GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY

CASUS CONSCIENTIAE

TOMUS SECUNDUS

CASUS CONSCIENTIAE

PROPOSITI AC SOLUTI

A P. IOANNE PETRO GURY, S. I.

NOVIS CASIBUS AUCTI, NOVISSIMO CODICI CANONICO, DISPOSITIONIBUS IURIS HISPANI AC LUSITANI, DECRETIS CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE NECNON CONC. PROV. MANILANI EARUMDEMQUE REGIONUM LEGIBUS PECULIARIBUS, ACCOMMODATI

OPERA

P. IOANNIS B. FERRERES

EIUSDEM SOCIETATIS

Longum iter est per praecepta
breve et efficax per exemplo.
(SENEC. Epist. 6.)

EDITIO QUARTA HISPANA, PRIMA POST CODICEM

CORRECTIOR ET AUCTIOR

DE ORDINARII LICENTIA

TOMUS SECUNDUS

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library



TYPIS EUGENII SUBIRANA, PONTIFICII EDITORIS
IN VIA DICTA PUERTAFERRISA, 14-BARCINONE-1921

3649

PROPRIETAS LITTERARIA

COPYRIGHT 1921 BY
EUGENIO SUBIRANA

24136 — Ex Typis EUGENII SUBIRANA

INDEX TOMI SECUNDI

CASUS

DE STATIBUS PARTICULARIBUS

DE STATU LAICALI

		Pag.
Casus	I ad * II *bis*. Iudex.	1
—	III. IV. Advocatus.	6
—	* IV *bis*. Advocatus et procurator.	9
—	V. Apparitor.	10
—	VI. Reus in iudicio.	11
—	VII. Testis in iudicio.	13
—	VIII, IX. Notarius.	14
—	X. Custos.	17
—	XI ad * XIII. Medicus.	18
—	XIV. Pharmacopola.	21

CASUS

DE STATU CLERICALI

Casus	I. Vocatio clericalis.	23
—	II. Clerici dotes.	25
—	III. Candidatus ad clericatum lacrimabundus	28
—	IV. Officii divini obligatio.	29
—	V. Officii divini recitatio.	30
—	VI. Tempus horas recitandi.	32
—	VII. Ordo recitationis.	34
—	* VII *bis*. De recitatione officii divini iuxta novum psalterium.	34
—	* VII *ter*. De recitatione divini officii iuxta novas rubricas.	35
—	* VII *quater*. De novis rubricis servandis in recitatione officii divini ac in ministranda Eucharistia.	36
—	VIII. Recitatio cum socio.	37
—	IX. Ancilla recitationis socia.	39
—	X, XI. Causae a recitatione excusantes.	40
—	* XI *bis*. De negotiatione clericis interdicta	42
—	XII, XIII. Parochi munus.	44
—	XIV. Adiutoris parochi munus.	48
Casus	XV. Confessarius intricatus!, *seu de libera confessarii electione*.	50
—	XVI. Canonicorum obligatio.	52
—	* XVI *bis*. De residentia canonicorum.	53
—	* XVII. De licentia necessaria iuxta encyclicam «Pascendi» ut clerici et religiosi, civiles Universitates frequentare possint.	55
—	* XVIII, * XIX. De fidei professione ac de iuramento contra modernistas.	57

CASUS

DE STATU RELIGIOSO

Casus	I, II. Vocatio religiosa, *eius obligatio*.	61
—	III. Id *Quatenus cognoscenda et dirigenda*.	64
—	IV. Id. *Qualis finis intendendus sit*.	66
—	V. Id. *Obex vocationi*.	67
—	VI. Consensus parentum *in vocationem*.	69
—	VII. Consensus Episcopi pro clerico *in vocationem religiosam*.	71
—	VIII ad XII. Votum paupertatis.	72
—	XIII ad XV. Dominium religiosorum.	78
—	XVI. Votum castitatis.	82
—	XVII, XVIII. Votum oboedientiae.	84
—	XIX. * XX. Obligatio officii divini *ratione religionis*.	86
—	* XXI, * XXIII, * XXIV. Dispensatio in votis religiosis.	89
—	* XXV. Indultum saecularizationis.	92
—	* XXVI. Nullitas professionis religiosae.	93

CASUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Pag.

Casus I, II. Valor Sacramentorum. 95
— III. Mutatio materiae. 97
— IV. Lapsus linguae *seu mutatio involuntaria formae.* 98
— * V. Mutatio formae. 100
— VI. Interruptio formae. 101
— VII. Repetitio formae. 102
— VIII. IX. Intentio ministri. 103
— X. Dignitas ministri. 105
— XI, XII. Sacramenta ministranda. 107
— XIII. Sacerdos mortis periculo occurrens. 110
— XIV. Sacramenta denegandа. 111
— * XV. Simulatio sacramenti. 113
— XVI, XVII. Subiectum Sacramentorum. 115

CASUS

DE BAPTISMO

Casus I. Materia baptismi. 118
— II. Materia baptismi proxima. 119
— III, IV. Forma baptismi. 121
— V, VI. Minister baptismi. 124
— VII. Subiectum baptismi. 127
— * VIII. Baptismi iteratio. 129
— IX. Infans quater baptizatus. 130
— X, * XI. Baptismus filiorum acatholicorum. 132
— * XII. Operatio caesarea. 134
— XIII, XIV. Baptismus privatus. 137
— * XV, XVI. Baptismus sollemnis. 140
— XVII. * XVIII. Patrini. 142
— * XIX, * XX. Cognatio spiritualis. 144

CASUS

DE CONFIRMATIONE

Casus * I, II. Materia confirmationis. 147
— * III. Minister confirmationis. 150
— IV, * V. Subiectum confirmationis. 151

CASUS

DE EUCHARISTIA

Pag.

Casus I. Materia consecrationis prioris. 155
— II. Materia consecrationis posterioris. 156
— III ad V. Consecratio. 158
— * VI ad VIII. Minister Eucharistiae. 163
— IX. Quid de repertis particulis? 168
— X, * X *bis.* Eucharistiae subiectum. 169
— * XI. Admissio ad primam communionem. 172
— XII ad * XIV. Dispositio animae *ad communionem.* 174
— XV. Sacrilega mulier angoribus confecta. 178
— XVI ad * XIX *bis.* Ieiunium requisitum. 180
— XX. Angores neosacerdotis *prima vice celebraturi.* 185
— XXI ad XXV. Sacrum Viaticum. 187
— * XXVI. Communio frequens. 193
— * XXVII. Communio in institutis monialium, vel etiam virorum omnino laicorum. 195

CASUS

DE SACRIFICIO MISSAE

Casus I. Obligatio celebrandi. 198
— II, * II *bis.* Obligatio Sacrum perficiendi. 200
— III. Intentio et applicatio sacrificii Missae. 204
— IV, * V. Applicatio Missae *pro populo ratione officii.* 205
— VI ad VIII. Applicatio Missae *ratione stipendii.* 209
— IX. Id. Mira sacerdotis perplexitas! 214
— * X. Id. Parcus sacerdos. 215
— * XI. Id. Male providus sacerdos. 217
— * XI *bis.* De interpretatione decretorum «Ut debita» et «Recenti». 219
— * XI *ter.* Detractio partis stipendii. 221
— XII. Applicationis permutatio. 222
— XIII. Modus celebrandi. *Errans in Missa.* 223
— XIV. Id. *Perplexus celebrans.* 225

Pag.

Casus XV. De rubricis. *Quanta sit earum obligatio.* 226
— *XV *bis.* Id. *De collectis ab Ordinario imperatis.* 228
— XVI. Id. *Celebrans abundans et deficiens.* 229
— XVII. Id. *Parum solers et infelix celebrans.* 231
— XVIII. Id. *Aranea in calicem delapsa.* 233
— *XIX. De Missa ac communione in nocte Natalis Domini ac de precibus post Missam dicendis vel omittendis. 234

CASUS

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE — DE NATURA PAENITENTIAE

Casus I ad III. Materia paenitentiae. 237
— IV, V. Forma paenitentiae. 241
— VI, VII. Absolutio conditionata. 244

CASUS

DE CONTRITIONE ET PROPOSITO

Casus I. Contritio extra sacramentum. 248
— II ad IV. Contritio in sacramento. 249
— V. Doloris intensitas. 254
— *VI, *VII. Dolor et propositum. 256

CASUS

DE CONFESSIONE

Casus *I. Obligatio confessionis *in haeretico ad fidem converso.* 259
— II. Integritas confessionis. 263
— III. Id. *Venialia uni, et mortalia alteri declarata.* 264
— IV. Id. *Peccatum recens ut antiquum declaratum.* 265
— V. Id. *Confessio dimidiata ob infamiae periculum.* 267
— VI. Id. *Virago.* 268
— VII, VIII. Mendacium in confessione. 269
— IX. Peccata dubia. 272
— X ad XII. Circumstantiae peccatorum. 274
— *XIII. Manifestatio complicis *et illius qui fuit occasio peccati.* 278

Pag.

Casus XIV. Inquisitio de nomine complicis. 280
— XV, XVI. Peccata ex oblivione omissa. 282
— *XVII. Paenitens linguae confessarii ignarus. 284
— XVIII. Confessarius idiomatis loci ignarus. 286
— XIX, XX. Absolutio moribundi sensibus destituti. 286
— XXI, XXII. Absolutio haeretici morientis. 289
— XXIII, XXIV. Examen conscientiae. 291
— XXV, XXVI. Confessio repetenda. 294

CASUS

DE SATISFACTIONE

Casus I ad III. Impositio paenitentiae. 297
— IV. Paenitentia medicinalis. 302
— V, VI. Obligatio paenitentiae. 303
— VII. Mutatio paenitentiae. 305
— VIII. Paenitentiae oblivio. 308
— IX, X. Adimpletio paenitentiae. 309

CASUS

DE IURISDICTIONE ET APPROBATIONE

Casus I. Approbatio. 312
— II. Iurisdictio et licentia. 314
— *III. Candidatus minus habens. 315
— IV, V. Sacerdos iurisdictione destitutus. 316
— VI. Iurisdictio dubia. 318
— *VII. Confessarius peregrinus. 319
— VIII, IX. Absolutio moribundi. 321
— X, XI. Iurisdictio regularium. 323
— XII. Iurisdictio et approbatio regularium. 325
— XIII. Confessarius monialium. 327

CASUS

DE CASIBUS RESERVATIS

Casus *I. Reservationis efficacia. 329
— *II ad *IV. Reservationis subiectum. 332
— V. Reservatio dubia. 335

Pag.

Casus VI. An semper aperienda reservatio? 336
— * VII ad IX. Absolutio a reservatis. 338
— X. Id. *Facultas pro aliquo postulata et alteri applicata.* 342
— XI. Confessarius intricatus *pro absolutione a reservatis.* 343
— XII. Solers postulatum. *Facultas pro aliquo incognito postulata, et sibi applicata.* 345
— XIII. Miles reservato constrictus. *Eius admiratio!* 346
— *XIV ad *XXIII. Absolutio complicis. 347
— XXIV ad XXVIII. Sollicitatio ad turpia. 363
— * XXIX. De absolutione regularium. 371
— *XXX. De confessariis navigantibus. 374

CASUS

DE OFFICIO CONFESSARII

Casus I. Confessarius ut doctor. 378
— II. Confessarius ut iudex; *de causa instruenda.* 380
— III. Id. *Dispositiones ad absolutionem.* 383
— IV. Confessarius memoriae brevis. 384
— * VI ad X. Occasio peccati. 386
— XI. De consuetudinariis. 394
— XII, XIII. De recidivis. 395
— * XIV. Confessarius cum pueris. 399
— XV. Confessarius cum moribundis. 401
— XVI. Id. *Casus extremae necessitatis.* 403
— XVII. Confessarius cum mulieribus. *Ne quid nimis.* 404
— XVIII, XIX. Confessarius cum sponsis. 407
— XX ad XXIV. Defectus confessionis reparandi. 410

CASUS

DE SIGILLO CONFESSIONIS

Casus * I. Obligatio sigilli. 416
— II ad IV. Usus externus notitiae confessionis. 418
— V, VI. Quid missionarius de sigillo? 422
— VII. Complices coram eodem confessario, *uno fatente, altero silente.* 425
— VIII. Laicus de sigillo. 426
— IX. Confessarius a paenitente declinans *ob incommoda ex praecedenti confessione cognita.* 428
— X, XI. Perplexus confessarius ratione sigilli. 429

CASUS

DE EXTREMA UNCTIONE

Casus I, * II. Materia extremae unctionis. 433
— III. Minister extremae unctionis. 436
— IV. Ungens ungendus. 438
— * V, VI. Subiectum extremae unctionis. 439
— VII. Vetula inuncta.—Puerpera oleo infirmorum roborata.—Capite damnatus *extrema unctione munitus.* 441
— VIII. Obligatio extremae unctionis. 443

CASUS

DE SACRAMENTO ORDINIS

Casus I, * I *bis*. Ordinis materia. 445
— II. Duplex ordinantis error. 447
— III. Minister ordinis. 448
— IV. Candidatus dolose ordinatus. 449
— * V. Minister ratione iurisdictionis. 450
— VII. Subiectum ordinis. 452
— VIII. Subiectum ratione aetatis. 453
— * IX. Interstitia. 454
— * X, * XI. De sacerdotibus in Americam aut Philippinas insulas demigrantibus. 455

CASUS

DE MATRIMONIO — DE SPONSALIBUS

Casus * I, II. Valor sponsalium. 460
— III. Uxor facile a lacrimis temperans. 464
— * IV, * IV *bis*. * IV *ter*. * IV *quater*. De forma et efficacia sponsalium.. 465
— V. Consensus erroneus 470

Pag.

Casus VI. Consensus conditionalis. 472
— VII ad X. Solutio sponsalium. 473

CASUS

DE PROCLAMATIONE BANNORUM

Casus I, * II. Obligatio banna proclamandi. 479
— III. Parochus anceps. 482
— IV, V. Obligatio impedimenta revelandi. 484

CASUS

DE NATURA MATRIMONII

Casus I, II. Consensus coniugalis. 488
— III. Consensus conditionalis. 491
— IV, V. Solutio matrimonii. 493
— VI, VII. Divortium a toro et habitatione. 496
— VIII. Parochi munus. 500

CASUS

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

Casus * I. Impedimentorum efficacia. 502
— * II. Impedimenta dubia. 503
— III, IV. Votum simplex. 505
— V. Votum ingrediendi religionem. 508
— VI, VII. Error. 509
— * VIII. Votum sollemne. 511
— IX. Puella apud monachos vovens. 512
— X, * XI. Consanguinitas. 514
— XII. Id. *Coniuges infideles ad fidem conversi.* 516
— XIII. Mulier eiusdem viri soror, filia, uxor!!! 518
— * XIV, * XV. Cognatio spiritualis. 520
— * XVI, * XVII. Affinitas. 522
— * XVIII, * XIX. Honestas. 524
— * XX ad XXIV. Crimen. 526
— XXV, * XXVI. Metus. 531
— * XXVII. Cultus disparitas. 533
— * XXVIII. Mixta religio. 535
— XXIX. Ligamen. 537
— * XXX. Clandestinitas. 538
— * XXXI ad * XXXIII *bis.* De forma contrahendi matrimonium. 541
— * XXXIV. De forma celebrationis matrimonii. 550

Pag.

Casus * XXXV, * XXXVI. De forma contrahendi matrimonium. 552
— * XXXVI *bis.* Assistentia parochi iuxta *antiquam* disciplinam. 557
— * XXXVII, * XXXVIII. De impotentia feminea. 558
— * XXXIX. De vasectomia duplici ac de sanatione matrimonii in radice. 563
— * XL. De liceitate vel illiceitate vasectomiae. 564

CASUS

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONII

Casus I. De potestate dispensandi. 567
— * II, * III. Causae exponendae. 569
— * III *bis.* Dispensatio gradus minoris. 571
— * IV, * V. Dispensatio subreptitia. 573
— VI. Dispensatio obreptitia. 574
— * VII. Dispensatio pro iterata copula. 575
— * VIII. Error in dispensatione. 576
— * IX ad XII. Matrimonii revalidatio. 577
— * XIII. Matrimonium ter celebratum. 584
— * XIV. De matrimonii sanatione in radice. 586

CASUS

DE CONIUGUM DIRECTIONE

Casus I. Obligatio debiti. 588
— II, III. Obex ad debitum. 590
— V. Instructio pro sponsis et coniugibus. 593
— * V *bis.* De usu matrimonii. 594
— * VI ad * IX *bis.* Onanismus. 595

CASUS

DE CENSURIS

Casus I. Conditiones censurarum. 605
— * II, * II *bis.* Absolutio a censuris. 607
— III. Excommunicatio. 610
— * III *bis.* Delatio clerici ad tribunal laicorum. 612
— * IV. Duellum. 613

Pag.

Casus V, * VI. Lectio librorum haereticorum. 615
— VII. Clausura religiosa. 618
— VIII. Suspensio. 620
— IX. Sepultura ecclesiastica. 621
— *X, *XI. Interdictum. 624

CASUS

DE IRREGULARITATE

Casus *I. Irregularitas in genere. 627
— II. Defectus corporis. 628
— *III. Defectus natalium. 630

Pag.

Casus *IV. Obstupefactus ordinandus. 631
— *V. Bigamia. 633
— *VI, VII. Defectus lenitatis. 634
— VIII. Ordinis usurpatio, et censurae violatio. 635
— *IX, *X. Homicidium. 636
— XI. Homicidium casuale. 639

* APPENDIX

De iis, qui probabiliter adhuc vivunt, quamvis vulgo recenter mortui credantur, sacramento donandis. 641

FINIS INDICIS TOMI II

CASUS CONSCIENTIAE

CASUS
DE STATIBUS PARTICULARIBUS

DE STATU LAICALI

SEU

De officiis publicis, scilicet de iudice, advocato, apparitore, reo, teste, notario, custode, medico, pharmacopola.

CASUS I

IUDEX 1.°

LAMBERTUS, iudex, licet notitiam certam habeat innocentiae CASIMIRI, de gravi crimine accusati, nihilominus illum ad perpetuum carcerem damnat, quia ex allegatis et iuridice probatis vere nocens ipsi visus est. Postea vero anxietatibus agitatus, quaerit an recte egerit, et quid sibi faciendum sit? Alias, litem PETRUM inter et PAULUM de iure aliquo iudicaturus, seclusa malitia, iniustam tulit sententiam contra PAULUM. Errore postea tandem detecto, iterum in perplexitate versatur, theologum interrogat, a quo ad restitutionem erga PAULUM obligatur.

HINC:

QUAER. 1.° *An iudex damnare possit, vel debeat reum de crimine iuridice convictum, sed, scientia privata, ut innocentem certo cognitum?*

QUAER. 2.° *An iuratus* (jurado) *in simili casu votum contra accusatum dare possit?*

3.° *An parti laesae restituere debeat iudex qui, absque malitia, erravit in sententia ferenda; vel quid, cognito errore, ipsi agendum sit?*

SOLUTIO:

1. — *R. ad* 1m *Quaes. Controvertitur* inter theologos. *Affirmat S. Thomas,* 2, 2, q. 64, art. 6; quia iudex pro bono communi iudicare debet ex allegatis et probatis. *Negat* vero *S. Bonaventura,* quia iudex innocentem nunquam damnare potest. Hanc posteriorem sententiam in praxi tenendam esse docet *S. Alphonsus,* n. 208, cum de causis criminalibus maioribus agitur, praesertim si innocens morte plectendus foret. — Verum si ad **iuratos** spectet sententiam ferre de existentia criminis, fieri potest ut iudex teneatur etiam poena capitali plectere reum, quem privata scientia scit certo esse innocentem: quo in casu iudex non peccabit, dummodo debitam adhibuerit diligentiam, ut veritas *iuratis* pateret. V. **Comp.,** n. 5.

R. ad 2m *Quaes. Nego* prorsus. Ratio est, quia iuratus in omni casu votum dare debet ex sua scientia, seu ex intima animi convictione. V. **Comp.,** n. 10.

2. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Iudex qui inculpabiliter, seu absque culpa theologica erravit, minime ad restitutionem obligari potest. Constat ex dictis in Tract. de iustitia, ubi de iniusto damnificatore. Ergo erravit theologus a LAMBERTO consultus. *Pontas* tamen, v. Iudex, cas. 5, hunc iudicem damnat ad restitutionem faciendam, quia vel fuit ignarus, vel incurius; in utroque autem casu graviter peccavit, ac proinde damnum reparare debet. Sed cum pace *Pontas,* dico facile dari medium, nempe, errorem ex inadvertentia inculpabili, ob aliquam circumstantiam, provenientem. Et revera iudex, etiam doctus, in casu particulari errare potest inculpabiliter. *Errare enim humanum est.*

2.° Iudex, errore post sententiam detecto, tenetur sub gravi adhibere media ad damni reparationem, in quantum fieri potest, absque magno incommodo: v. gr. admonendo secreto partem laesam, ut ad appellationem, si casus ferat (cfr. *Ferreres,* Inst. can., vol. 2, n. 798 seq.), recurrat. Ratio est, quia homines sunt custodes actionum suarum, bono publico id requirente, ita ut procurare debeant ne damnum aliis, ex suis actionibus quodammodo perstantibus, proveniat.

CASUS II

IUDEX 2.°

FESTUS, iudex, pecuniae cupidus, libenter munera a clientibus accipit, ratus se non illicite agere, cum ceteroqui sit animo paratus ad ius suum cuique in omni casu reddendum. Die quadam, ad eum accessit PHILO, qui, causam suam mancam reputans, munus deferebat, ut eius benevolentiam sibi conciliaret. FESTUS, re perpensa, advertit iustam esse causam, sententiam itaque in PHILONIS favorem tulit, munusque sibi retinuit. Alias, nesciens an TITIO vel CAIO ius esset tribuendum, cum rationes hinc et inde forent aequales, TITIO causam dedit, a quo munus acceperat.

HINC:

QUAER. 1.° *An iudex munera a litigantibus licite et iuste accipere possit?*

2.° *An munera accepta ad causam, sive iustam, sive iniustam, tribuendam, post factum retinere valeat?*

3.° *An teneatur iudicare iuxta maiorem probabilitatem; et quid facere debeat in aequali iuris probabilitate?*

4.° *Quid de* FESTO *dicendum?*

SOLUTIO:

3. — *R. ad* 1m *Quaes.* Certo peccat iudex qui munera a litigantibus accipit, quia id omnia iura prohibent (1), eo quod facile iustitia muneribus flectitur. Attamen *probabiliter* non peccat contra *iustitiam,* nec proinde tenetur ad restitutionem, quia munera libere donantur. In praxi inducendus est iudex ad munera restituenda, vel in pias causas eroganda. *S. Alph.,* n. 216; *Lugo, Lessius,* et alii *communius.*

R. ad 2m *Quaes.* Iudex minime retinere potest munera accepta ad sententiam iustam ferendam, quia hoc non potest esse materia contractus, utpote pretio non aestimabile. Potest autem *probabiliter* servare munera accepta ad sententiam iniustam ferendam, post factum, ut dictum est De contr. in genere, ubi de contractu in materia turpi.

4. — *R. ad* 3m *Quaes* 1.° In *foro ecclesiastico,* ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae (sive in iudiciis contentiosis, sive in criminalibus), praerequiritur in iudicis animo *moralis certitudo* circa rem

(1) Cfr. v. gr. can. 1624: iudex et omnes tribunalis administri, occasione agendi iudicii, munera quaevis acceptare prohibentur.

sententia definienda; qua certitudine deficiente iudex declarabit non constare de actoris iure et reum dimittere debet, nisi agatur de causa favorabili, quo in casu pro ea pronuntiandum est, salvo praescripto can. 1697, § 2, iuxta quod in dubio aequali de possessione, iudex utrique parti pro indiviso possessionem attribuere debet. Favorabiles sunt causae piae, matrimonialis vinculi (can. 1014, vide tamen can. 1127), viduae, pupilli, etc. (can. 1869, §§ 1, 4). **Comp.**, n. 2.

2.° *In foro* autem *civili: a)* In *criminalibus* reo favendum est, nisi de crimine constet. *Reg. iur. can.* 11, in 6.° Unde in *utroque foro* civili et ecclesiastico, si crimen non plene probetur, reus dimittendus erit; si probetur crimen, non vero circumstantia aggravans, poena imponatur, quae *soli* respondeat crimini, non vero ea, quam pro aggravante circumstantia leges decernant.

b) In causis *civilibus* seu *contentiosis,* et in dubio **iuris,** i. e. circa sensum legis, iudex applicare debet regulas interpretationis et iudicare iuxta opinionem obiective probabiliorem, quae fere semper erit moraliter certa. Damnata est enim ab Innoc. XI haec propositio: *Probabiliter existima, iudicem posse iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem* (Cfr. can. 1697, § 1). Quod si rationes utriusque partis appareant obiective aeque probabiles, in favorem possessoris (qui utique reus erit) sententia erit ferenda, quia *in pari delicto, vel causa* (iuxta antiquam regulam iuris) *melior est conditio possidentis.*

Si autem nemo possidet, iudicium sibi absque acceptione personarum efformet et iuxta propriam opinionem sibi probabiliorem, sententiam ferat, rem totam uni adiudicans, ut leges recentiores praescribunt, si partes componere nolint. **Comp.,** n. 3, 2.° b.

c) In causis *civilibus,* seu *contentiosis,* et *in quaestionibus* **facti,** si factum *moraliter certo* non probetur ab actore, probationibus non quibuscumque, sed quas lex iuxta varios casus requirat, sententia ferenda est pro *rei absolutione.* Facta enim non praesumuntur, sed probari debent, utique ab actore. Cfr. *Lugo,* d. 16, n. 100; d. 37, n. 115; *Waffelaert,* 2, n. 431, b. **Comp.,** n. 3.

5. — *R. ad* 4m *Quaes.* Nunc ad FESTUM iudicem. Quomodo iudicandus ille? 1.° Peccavit graviter contra honestatem, si munera notabilia acceperit; leviter tamen, si donationes valde tenues admiserit. Nec excusatur ex eo quod dispositus sit ad iustitiam adamussim servandam, quia violat legem naturalem, canonicam et civilem. Non tamen tenetur ad restitutionem, cum rigore loquendo, ante sententiam. — 2.° Iniuste egit recipiendo munera pro sententia iusta ferenda, et proinde ea restituere tenetur, ut patet ex dictis. — Non *iniuste* tamen, sed *illicite* tantum munera accepisset, si ex mera benevolentia ipsi erogata fuissent. — 3.° Tandem in ultimo casu peccat contra *iustitiam* vel contra *honestatem* tantum, prout accipit munera ex *contractu,* vel ex sola *benevolentia,* et ea accipit ad sententiam *iuste*

vel *iniuste* ferendam, iuxta dicta in responsione ad 2m quaes. Quoties autem iudex iniustam tulit sententiam *scienter,* omnia damna parti laesae illata reparare debet. *S. Alph.*, l. 5, a n. 210 ad 216; et l. 4, nn. 712. V. **Comp.,** nn. 6 et 7.

* CASUS II *bis*

IUDEX 3.°

TITIUS, iudex, in Quitensi civitate Aequatoris, vir integerrimae probitatis, odium in se concitaverat CALLISTI, coryphaei hominum perditissimorum illius civitatis, eo quod horum perduellionum conatus contra catholicam religionem manu valida iuxta leges saepe represserat. Quare illi nullum non movebant lapidem ut TITIUS a munere deponeretur vel saltem alio transferretur. Res tamen eis non successerat, certantibus e contra catholicis ut TITIUS munus suum pro bono civitatis ac catholicae religionis totis viribus retineret.

Nunc vero CALLISTUS medium excogitavit, ut ipse putat certissimum, ad finem suum consequendum. Quid illud sit, facile intelliges. Cum enim per supremum Gubernium lex divortii inducta sit, CALLISTUS matrimonio canonico ligatus causam divortii apud TITIUM agitat, non modo ut, relicta legitima uxore, civile matrimonium cum BERTHA concubina contrahat, sed etiam ut TITIUM cogat ad munus suum deponendum: existimat enim TITIUM, si catholicus esse velit, sententiam divortii pronuntiare recusaturum, ideoque deponendum esse a suo munere iuxta legis sanctionem.

Igitur improbi de futura victoria laetantur; catholici vero, et imprimis TITIUS, qui deposito munere vix prolem numerosiorem alere poterit, omnem iam spem despondere videntur.

Quare in tantis angustiis theologum interrogant.

HINC:

QUAER. 1.° *An iudex aliquando ex gravissima causa sententiam divortii pronuntiare queat?*

2.° *Quid consilii in casu capere oporteat?*

SOLUTIO:

5 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes.* Res acriter controvertitur. *Negant Gasparri,* Tract. can. de matrim., n. 1248; *Matharan,* Casus de matrim., n. 125; *Buccer.,* n. 983; *Rosset,* n. 4085 seq.; *Aertnys,* l. 6, n. 522, et *alii,* existimantes hoc esse intrinsece malum. Addunt praeterea ex sententiis huiusmodi de pleno divortio gravissima oriri mala, nempe, errorem paulatim fidelium mentes subire quo putant solubile esse matrimonium; foveri adulteria, quia his coniugibus nova civilia permittuntur matrimonia, etc. *Affirmant* vero *Ball.-P.,* vol. 6, n. 519 seq.;

Lehmk., vol. 2, n. 701, not.; *Santi-Leitner,* lib. 4, p. 436; *Sabetti,* n. 559 seq.; *Génicot,* 2, n. 561; *Theses* ex universa Theologia in Coll. Lovaniensi, S. I. (29 iun. 1904), thes. 67; *Waffelaert,* apud Nouvelle Rev. Théol., vol. 14, p. 600 seq.; *Haine,* vol. 4, n. 83; *Tanquerey,* De matrim., n. 16, quibus consentire videtur Card. *Gennari* apud *Il Monitore,* vol. 4, part. 1, p. 274 seq., vol. 13, p. 32 seq., et vol. 14, p. 181 seq. Afferunt hanc rationem, quia si haec sententia spectetur independenter ab intentione legislatoris, et eorum qui illam petunt vel pronuntiant, nihil aliud est quam destructio effectuum civilium per civile matrimonium inductorum. Atqui talis destructio ex se non est intrinsece mala. Ergo... Attamen cum talis sententia apta sit ad gravissima consectaria adducenda, in se continet materialem cooperationem rei malae. Ergo leges de cooperatione applicandae erunt. Cfr. vol. 1, n. 332 seq.

P. Wernz, vol. 4, n. 750, inclinatur in rigidiorem sententiam, sed mitioris probabilitatem admittere videtur. Cfr. etiam *Ojetti,* Synopsis, v. Syndici, p. 620.

5 *b.* — *R. ad* 2^m *Quaes.* In casu quamvis laudandus forte esset TITIUS, si gravissima haec incommoda subiret, ne pronuntiata sententia divortii videatur contaminari actione quam auctores magni nominis intrinsece malam esse putant, quaeque gravissima habet consectaria; attamen, inspectis rerum adiunctis, non auderemus TITIUM nec de levi damnari culpa, si sententiam proferret intendendo tantum ex parte sua destructionem effectuum civilium. Videtur enim in casu uti posse probabilitate secundae sententiae, cum adsit gravissima causa cooperandi materialiter consectariis quae ex tali sententia oriantur: quia secus ex privatione muneris gravissima mala obvenient tum ipsi, tum publico bono, ut patet; et aperietur via qua omnes probi iudices cogantur ad munus suum deponendum, ita ut impii tantum homines in eorum locum succedant.

CASUS III

ADVOCATUS 1.°

HYPARCUS, advocatus celebris, quamplures causas in se susceperat, ita ut omnibus defendendis, tempore deficiente, viribusque non suppetentibus, omnino impar fuerit. Hinc causis nonnullis pauperum, e quibus minus salarii sperare licuit, in longum dilatis, vel praetermissis, totus in causam celebrem defendendam incubuit, ex eo quod praesertim actor principalis illius causae, praeter ordinariam mercedem, decimam partem litis, seu rei de cuius dominio causa agebatur, ei promiserat, si victoriam esset reportaturus. Quare contigit, ut indefesso labore causam feliciter lucraretur.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quomodo peccaverit* HYPARCUS, *plures causas suscipiendo quam agere posset, cum detrimento clientium; et an illis restituere debeat?*

2.° *An advocatus causas pauperum teneatur gratuito patrocinari?*

3.° *An* HYPARCUS *munera potuerit accipere, praeter salarium? an etiam decimam litis partem, postquam causam lucratus fuerit; vel an ad restitutionem teneatur?*

SOLUTIO:

6. — *R. ad* 1m *Quaes.* HYPARCUS peccavit contra iustitiam graviter, et ad restitutionem pro damno illato tenetur. Ratio est, quia sua incuria causa fuit iniusta damnorum quae clientes passi sunt. Etenim, licet liberum sit advocato huius potius quam alterius causae patrocinium suscipere, hoc tamen intelligendum est, nisi iam aliam obligationem susceperit; hoc enim supposito, non amplius libei est aliam cum praeiudicio praecedentis suscipere. Hinc advocatus tenetur clientibus declarare se, ob temporis defectum, causae illorum patrocinari non posse. Si vero isti sponte exspectare velint, et iacturam, si quae sit, subire, hanc sibi et non advocato imputabunt. *Elbel,* De statibus, n. 755.

R. ad 2m *Quaes.* 1.° Advocatus tenetur ex caritate tueri gratis causas pauperum qui in communi necessitate versantur, sed absque gravi incommodo, nempe aliquid ex superfluo tempore eis largiendo. 2.° Si vero pauperes in gravi necessitate constituantur, tenetur quidem sub gravi ipsis opitulari, non tamen cum notabili suo incommodo. *S. Alph.,* Hom. apost., tr. 13, n. 69.

7. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° HYPARCUS non potuit munera exigere, nec indirecte quidem requirere; non peccavit tamen sponte oblata acceptando. 2.° Non peccavit, nisi leges civiles obstent, acceptando aliquam partem rei de qua lis movebatur, praeter salarium consuetum, pro casu quo esset causam lucraturus, si omnino spontanee ipsi oblata fuerit. Potest enim cliens ex mera liberalitate totam litem, de qua controvertitur, advocato donare; ergo a fortiori aliquam eius partem ei dimittere. *Elbel,* De statibus, n. 757.

CASUS IV

ADVOCATUS 2.°

1.° FLORIMUNDUS causam suscepit tuendam, quam quidem iustam a principio reputabat, sed decursu processus detegit esse falsam. Noluit tamen mentem suam aperire, et putavit se obligationi satisfacere, si nullas alias rationes in medium produceret. Alias, causam valde sibi probabilem defendebat; verum in media discussione advertit probabiliter, immo probabilius, iniustam esse. Nihilominus in ea defendenda prosecutus est.

2.° GERULFUS litem magni momenti tuendam susceperat. Eius cliens 100 aureos ei promiserat, si causam obtineret, et 50 tantum si eam perderet. Sed ecce, pluribus elapsis mensibus, duo contendentes ante iuridicam discussionem bona pace inter se rem totam composuerunt. GERULFUS autem 100 aureos a cliente reclamat, quia iam laboravit, et fecit quod in ipso erat ad causam lucrandam.

HINC:

QUAER. 1.° *An* FLORIMUNDUS *potuerit tacere quando advertit causam iniustam esse; vel quando detegit partem oppositam solidius fundari?*

2.° *An* GERULFUS, *in secundo casu, pactum iustum cum cliente fecerit circa laboris mercedem?*

3.° *An reclamare possit 100 aureos ipsi in hypothesi victoriae promissos, vel 50 tantum, vel nihil prorsus?*

SOLUTIO:

8. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° FLORIMUNDUS peccavit graviter contra iustitiam, tuendo causam quam cognovit esse falsam, licet ad errorem in media discussione tantum adverterit. Etenim advocatus, statim ac errorem detegit, tenetur causam deserere, ne iniusto damno cooperetur. Neque satis est ut abstineat a novis rationibus proferendis; nec sufficit ut privatim admoneat clientem de causae falsitate, quia damnum iniustum non solum clientis, sed etiam partis adversae impedire debet. *S. Alph.*, n. 225.

2.° FLORIMUNDUS non peccavit contra iustitiam, neque contra caritatem, defendendo causam adhuc vere probabilem, licet oppositam nunc probabiliorem iudicet, quia spem habere potest ut veritas eluceat. Hinc advocati non adstringuntur, ut iudices, ad sectandam tantum opinionem quae probabilior ipsis apparet. *S. Alph.*, nn. 220, 222, et alii *communiter*. V. **Comp.**, n. 17.

9. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° GERULFUS exigere nequit stipendium

ultra consuetum, etiam pro casu, in quo causam sit obtenturus. Victoria enim eius labori et curis nihil addit, neque pro victoria, sed pro studio et diligentia mercedem accipit. Ergo id, quod accipit pro victoria obtenta, iniuste accipit et id restituere debet.

2.° Si vero pactum de 100 aureis fuerit labori congruum, non erit iniustum, quia advocatus de mercede iusta remittere non tenetur pro casu quo amittat causam.

3.° Potuisset GERULFUS pacisci de maiori pretio pro casu victoriae obtinendae, si successus futurus apparuisset valde dubius, ita ut aequalitas inter spem et metum servata esset; tunc enim fuisset contractus ex parte aleatorius.

10. — *R. ad* 3^m *Quaes.* GERULFUS reclamare potest stipendium labori congruum. Igitur, si laborem integrum fecerit, v. gr. si clientes rem componant pridie diei, qua causa iudicanda erat, ius habet ad totam mercedem in pacto iusto determinatam. Si vero laborem non ad finem perduxerit, id tantum, quod labori congruum est, repetere potest. An autem possit reclamare 100 aureos, unica responsione definiri nequit, sed ad iustitiam contractus, necnon ad maiorem vel minorem impensum laborem attendendum est, iuxta modo dicta. *Valentin,* Examen raisonné sur les professions, n. 121.

* CASUS IV *bis*

ADVOCATUS ET PROCURATOR

TITIUS, advocatus, in foro ecclesiastico cum litem SEMPRONII defendendam suscepisset, causae fundamenta parti adversae manifestavit, qua non levia accepit dona. SEMPRONIUS litem amisit.

CAIUS, procurator, litem a cliente emit, ita ut quandam pecuniae summam ei dederit, sibi reservans totum quod ex iudicis sententia clienti fuerit adiudicatum; quare, victoria obtenta, summam triplo maiorem, quam clienti dederat, reportavit.

HINC:

QUAER. 1.° *Ad quid teneatur* TITIUS *in primo casu?*
2.° *An et quatenus* CAIUS *in secundo casu litem fecerit suam?*

SOLUTIO:

10 *a.* — *R. ad* 1^m *Quaes.* Iuxta can. 1666: «Advocati ac procuratores qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum officium prodiderint, ab officio repellantur, et, praeter damnorum refectionem, mulcta pecuniaria aliisve congruis poenis plectantur». Tenetur igitur non modo ex iure canonico sed etiam ex iure naturali ad damna reparanda, quae parte adversae ex hac proditione obvene-

runt, idque in conscientia, etsi ad hoc a iudice non damnetur. Praeterea ab officio removeri debet, et congrua poena erit puniendus: hanc tamen remotionem et poenam subire non debet, nisi ei a Superiore competenti imponatur. V. **Comp.,** nn. 16, 21.

10 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Ex can. 1665: «Vetatur uterque (tum advocatus tum procurator) emere litem, aut sibi de immodico emolumento vel rei litigiosae parte vindicata pacisci. — Quae si fecerint, nulla est pactio, et a iudice vel ab Ordinario poterunt poena pecuniaria mulctari; advocatus praeterea tum ab officio suspendi, tum etiam, si recidivus sit, destitui et titulo privari». Unde emptio litis fuit nulla, ideoque clienti debetur quidquid ex victoria obtentum fuit; cliens vero Caio id tantum dare debet quod correspondeat labori ipsius Caii, qui etiam poena pecuniaria poterit a iudice vel ab Ordinario mulctari.

CASUS V

APPARITOR

Paternus, apparitor, cum plura vadimonia habeat in eodem loco nuntianda, a singulis, pro quibus munere suo fungitur, salarium lege determinatum exigit, perinde ac si pro singulis solis iter suscepisset. Dum tempore paschali ad paenitentiae sacramentum accessisset, a confessario ad restituendum obligatur, simulque ad firmiter proponendum se id non esse amplius peracturum. Promittit quidem apparitor, sed secum reputat: *Scio quid faciam.* Quid igitur fecit? Ecce: recurrente eodem casu, ut nihil lucri perderet, toties iter suum iteravit quot vadimonia fuerunt deferenda, ita ut, crescente labore, merces quoque adaucta fuerit. Verum, cum alias a confessario interrogatus fuisset, et novam industriam ei aperuisset, ab eo iterum carpitur, et ad restitutionem adstringitur.

Hinc:

Quaer. 1.° *An apparitor multiplex salarium exigere possit, si diversa vadimonia eadem vice nuntiet?*

2.° *An apparitores licite et iuste munera accipere valeant?*

3.° *Quid de iis dicendum, qui res exsequendas ad aliud tempus differunt?*

Solutio:

11. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° *Affirmo* quidem de iure *naturali,* ubi lex positiva non obstat, quia apparitor eamdem praestat utilitatem singulis ac si pro uno solo iter et operam susciperet. Recole dicta de contr. in genere, n. 765.

2.° *Negant* autem plures pro locis ubi lex civilis id prohibet, quia

legislator ius habet determinandi quid publicis officialibus retribui debeat. Ita *Valentin,* Examen raisonné sur les professions, n. 70. Attamen, quidquid sit de lege, etiam his in regionibus usus esse solet, sciente et vidente Gubernio, ut advocati et procuratores ita rem componant, ut pro singulis vadimoniis apparitores fere idem pretium habeant, sive in eumdem locum pergant, sive in loca diversa. Rationem afferunt, quia numero vadimoniorum multiplicatur, ut aiunt, responsabilitas, et ideo etiam pretium multiplicari debet. Apparitor igitur videtur hoc pretium posse repetere.

12. — *R. ad* 2m *Quaes. Nego per se.* Ratio est, quia donationes hominibus huius conditionis sponte fieri non solent. Quare, si excessum pretii accipiant, illum restituere tenentur. Excipe, nisi labori extraordinario et indebito vacarent. *S. Alph.*

R. ad 3m *Quaes.* Peccant defectu diligentiae ex officio debitae, et iustitiam laedunt, si inde damnum pro aliquo sequatur, v. gr. pro creditore, qui solutionem tempore debito non accipit; consequenter ad restitutionem tenentur.

CASUS VI

REUS IN IUDICIO

Palemon, furto gravissimo occulte patrato, ob praeteritam infamiam, in rei suspicionem facile venit. Itaque a satellitibus comprehensus, in carcerem detruditur. Pluries evasionem tentat, sed conatibus non succedit eventus. A iudice interrogatus, crimen iterum iterumque negat. Sententia iuridica ad perpetuum carcerem damnatur. Non diu tamen in atra custodia fuit detentus, nam, muro terebrato cum instrumentis a Paulo amico ipsi subministratis, aufugit, evasit, erupit. Iterum comprehensus, se defendit, satellites evertendo, eorum vestes lacerando, feliciter ab eorum manibus sese eripit, praecipiti fugae se committit, donec in extraneam ditionem se receperit.

Hinc:

Quaer. 1.° *An* Palemon *licite crimen suum negaverit?*

2.° *An fugam e carcere arripere potuerit, sive ante, sive post iudicis sententiam, etiam murum carceris terebrando, vel fores effringendo?*

3.° *An* Paulus, *eius amicus, graviter peccaverit, illi instrumenta subministrando, quorum ope evadere posset?*

4.° *An peccaverit reus, se a satellitibus defendendo, et ab eorum manibus aufugiendo?*

SOLUTIO:

13. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia iuxta sententiam communem reus non tenetur crimen suum fateri, nisi adsit contra ipsum saltem semiplena probatio: atqui, a iudice interrogatus, non videtur adhuc semiplene convictus, nam in suspicionem venit tantum ob furtum olim patratum; sed suspicio illa non sufficit ad probationem saltem semiplenam adstruendam; ergo... Insuper, iuxta plures graves theologos, reus ne tenetur quidem veritatem fateri, etiam post semiplenam probationem, quando agitur de poena maxima subeunda, quia videtur actus heroicus tunc seipsum reum agnoscere, et proinde iudex non censetur id ab eo sub praecepto rigoroso exigere. Interrogans igitur intendit praecipue accusatum ex ipsius ore iudicare, et ex propriis verbis confundere. *S. Alph.* probabilitatem huius sententiae admittit. — Immo Codex canonicus in can. 1743, § 1: «Iudici legitime interroganti partes respondere tenentur et fateri veritatem, *nisi agatur de delicto ab ipsis commisso*». Quare (iuxta can. 1744) nequit iudex *iusiurandum* defferre *accusato* in causis *criminalibus*. — Pariter iura recentiora reo non imponunt obligationem aperiendi proprium crimen, nec iuramentum eis defertur (cfr. quoad **Hisp.** Ley de enjuiciamiento crim., a. 387; vide etiam Const. **Columb.,** a. 25). Igitur in tribunalibus ecclesiasticis et ubi novum ius vigeat, semper licebit reo illud negare: haec enim negatio erit restrictio late mentalis. *Ball.-P.,* vol. 4, n. 622 seq.; *Valenzuela,* Comp. del Código civil *(De Colombia)*, n. 617. Cfr. Regulam 109 Rotae Romanae ap. *Acta,* II, p. 819, et *Ferreres,* La Curia Romana, n. 964. V. **Comp.,** n. 32.

14. — *R. ad* 2^m *Quaes.* 1.° Licet reo fugere, iuxta communem sententiam, si nondum fuerit damnatus, quia ante sententiam nemo poenam subire tenetur. Idem quidam dicunt, si reus fuerit quidem damnatus ad poenam gravissimam, et carcer assignetur ad custodiam, donec poena illa plectatur. — 2.° Negant vero communius, si carcer ad poenam per sententiam iudicis iam assignatus fuerit, quia tenetur iustae sententiae obedire. Excipiunt tamen plures, si carcer ille sit durissimus, quia esset actus heroicus subire poenam gravissimam, quando facile effugi posset. — Immo alii simpliciter asserunt licere semper reo e carcere fugere, etiam post sententiam iustam, et quamvis damnetur ad poenam levem. Rationem afferunt, quia reus damnatur non ad *manendum* sponte in carcere, sed ut in illo *detineatur,* quae cura ad alios spectat. Sufficit ergo ut *absque resistentia activa* poenam subeat. *Ball.-P.,* l. c., n. 632; *D'Annibale,* 2, n. 601: *Génicot,* l. c., n. 12. — 3.° Quando autem illicitum non est reo effugere, hic non peccat fores effringendo, vel muros terebrando; quia, ubi licitus est finis, etiam licita sunt media per se indifferentia. Sic *probabilius S. Alph.,* n. 282. Non tamen reo licet custodem pecunia corrumpere, quia illius peccato cooperaretur. *S. Alph.,* De statibus, n. 280; Hom. apost., nn. 86, 87.

15. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.* Ratio est, quia, si licet aliquando reo fugere, non est illicitum eum in fuga adiuvare, non tantum consilia, sed etiam illi instrumenta suppeditando, v. gr. funes, etc., modo eius fuga non sit societati perniciosa. Graviter tamen peccarent custodes vel alii ministri iustitiae, si fugae rei cooperarentur, siquidem ad reos custodiendos constituuntur. Neque ulli hominum licitum est adiuvare reum in effractione ipsa carceris, quia secus omnis securitas cessare posset; hoc enim ultimum aperte et graviter bono communi adversatur. *S. Alph.*, ibid.

16. — *R. ad* 4m *Quaes.* Peccavit PALEMON ministris iustitiae resistendo, ipsorumque vestes lacerando, quia nunquam auctoritati resistere licet. Excusari tamen a peccato posset, si e manibus satellitum absque resistentia se eripuisset. *S. Alph.*, n. 280. Immo simplex eversio satellitis ceteraque huiusmodi ad fugam arripiendam, ubi agitur de tanta poena vitanda, ut quid parvum, adeoque pro nihilo reputanda videntur. Saltem non peccavit graviter leve damnum eis inferendo, ad grave malum effugiendum, si non fuit resistentia gravis.

CASUS VII

TESTIS IN IUDICIO

BARBANTIUS, cum argenteam supellectilem e domo ARMANDI occultissime sustulisset, in iudicium ob aliquam rei suspicionem compulsus, furtum constantissime negavit. Advocati sunt pariter, die indicta, duo BARBANTII contubernales, qui res oculis viderant, nec ignorabant ubi delicti corpus lateret. Eorum autem unus in dissitam regionem aufugiens, non comparet; alter vero in tribunali se sistit quidem, sed nihil se prorsus scire contestatur, et id iuramento confirmat. Absolvitur proinde BARBANTIUS et dimittitur. ARMANDUS igitur, ad rem suam recuperandam, in perpetuum impotens efficitur.

HINC:

QUAER. 1.° *An testis se subducens a testimonio ferendo contra iustitiam peccaverit, et ad restitutionem teneatur,* BARBANTIO *non restituente?*

2.° *An ad restitutionem multo magis teneatur ille alter mendax et periurus, prout in casu?*

3.° *An testis teneatur veritatem aperire, si factum sub secreto commisso noverit?*

4.° *An testis crimen omnino occultum revelare teneatur?*

SOLUTIO:

17. — *R. ad* 1m *Quaes.* Testis qui citatus aufugit, graviter peccavit contra iustitiam legalem, et contra oboedientiam iudici debitam in re gravi et ad societatem necessaria. Cfr. *Ball.-P.*, vol. 4, nn. 615, 616. Sed probabilius non peccat contra iustitiam commutativam, quia citatis lex non imponit obligationem *strictae* iustitiae, sed tantum iustitiae *legalis*. *S. Alph.*, lib. 4, n. 270.

R. ad 2m *Quaes.* Ille alius testis qui tacuit in iudicio, seu dixit falso se nihil scire, grave peccatum contra oboedientiam iudici debitam et contra iustitiam legalem, et ingens periurium commisit; attamen *probabiliter* contra iustitiam commutativam non peccavit, quia se mere negative habuit, nec fuit causa damni quod ARMANDO obvenit. Testis enim non tenetur veritatem deponere, nisi ex lege et praecepto iudicis, et proinde eam celando contra oboedientiam et iustitiam legalem tantum peccat. Ergo ad restitutionem non tenetur. *S. Alph.*, ibid.

18. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.* Nisi cesset obligatio secreti commissi. Testis enim *per se* non tenetur oboedientiam iudici praestare, quando veritatem sub secreto commisso cognovit; quia iudex, dum obligatio servandi secretum commissum urget, obligare nequit ad praeceptum legis naturalis violandum. Testis igitur in hoc casu dicere potest, se nihil prorsus scire. *S. Alph.*, l. c., n. 268. Recole dicta tom. 1, n. 436 et seq.

Obligatio autem secreti commissi cessat, si eius revelatio necessaria est ad grave damnum publicum cavendum, aut ad avertendam iniustam vexationem innocentis inferendam ab eo qui secretum commisit, aut damnum grave ipsius committentis, aut proprium. Cfr. *Noldin*, De praeceptis, n. 659.

19. — *R. ad* 4m *Quaes. Neg.*, *probabilius*, de iure communi, si testis sit omnino certus sibi soli crimen notum esse; quia ad reum damnandum necessario duo testes requiruntur. Hinc axioma: *Testis unus, testis nullus*. Secus vero dicendum, iuxta recentiora iura, (v. gr. **hisp.**, a. 741 legis proces. criminal. et art. 659 legis proces. civilis), ex quibus unicus testis sufficere potest ad rei damnationem, si alia indicia accedant, et nihil aliud a iuratis exigitur, nisi ut asserant se intimam facti convictionem habere, quin sententiam suam probare debeant. Cfr. **Comp.**, n. 37.

CASUS VIII

NOTARIUS 1.°

1.° MELCHIOR, notarius, haud infrequenter interesse solet testamentis condendis, et aliis contractibus ac litibus diversis; quare vi officii sui instrumenta publica bene multa conficere cogitur. Sed lucri

maioris cupidus, executiones instrumentorum de industria in longum protrahit, ut partes salarium maius offerant ad negotia citius promovenda. Insuper tot negotia suscipit simul gerenda ut omnibus nisi longo tempore satisfacere nequeat. Praeterea ex incuria aliquando nonnullas formas, ex lege praescriptas, omittit, ita ut clientium damnum haud semel subsequatur.

2.° VICTORINUS, debitis pressus, timet ne bonorum cessionem facere cogatur. VICTOR, eius amicus, opem suam ei promittens, «Fingamus, ait, mutuum 5,000 francorum a me tibi praestitum; sic summa tibi servabitur.» Adeunt SABINUM, notarium, qui, rei haud ignarus, instrumentum conficit. Reapse cessione mox facta, VICTOR, qui curaverat ut hypothecae privilegio gauderet, 5,000 fr. cum creditorum detrimento obtinet.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo peccent notarii, si incuriosi in officio suo negotia absque necessitate differant?*

2.° *Quid de* MELCHIORE *statuendum in primo casu?*

3.° *An* SABINUS, *notarius, in secundo casu, ad restitutionem teneatur, ut in iniustitia participans?*

4.° *An valeat haec excusatio:* Nisi instrumentum tale confecero, ab alio notario conficietur?

SOLUTIO:

20. — *R. ad* 1m *Quaes.* Peccant graviter, si negligentia eorum sit gravis, et inde grave damnum alicui eveniat. Idcirco ad restitutionem sub gravi tenentur. V. **Comp.,** n. 27; *S. Alph.,* nn. 230 et 231.

R. ad 2m *Quaes.* MELCHIOR, 1.°, peccat graviter *per se,* res sibi commissas protrahendo, et maius pretium postea ad eas accelerandas accipiendo, ut patet. 2.° Item peccat graviter, tot negotia simul suscipiens, ut ea omnia tempore debito pertractare nequeat, si inde clientes grave damnum patiantur. Attamen ab iniustitia foret excusandus, varia negotia simul suscipiens, si diligentia extraordinaria uteretur ad ea conficienda, v. gr. si vigiliam protraheret in seram noctem. Ex hac eadem ratione maius stipendium accipere posset ad urgens negotium expediendum. 3.° Facile peccat graviter, formas legales in scriptis omittendo, quia id facile in magnum detrimentum clientium suorum cedere potest, v. gr. si propterea actus invalidi declarentur, si contractus corruant.

21. — *R. ad* 3m *Quaes.* Agendi ratio SABINI est iniquitatis plena; cooperatur enim scienter iniustitiae gravi VICTORINI debitoris et VICTORIS ficti mutuatoris, qua damnum notabile creditoribus prioris infertur. Ergo SABINUS, deficientibus aliis damnificatoribus, utpote cooperator positivus, seu in iniustitia participans, ad restitutionem obligatur.

R. ad 4m *Quaes.* Minime gentium. Haec enim excusatio sic sonat:

«Nisi iniustitiam hanc fecero, alius faciet». Quid inde? Si alius furetur, ipse damnum resarcire debebit; si autem tu prior hanc iniquitatem patres, tu ipsissimus, et non alius, onus restitutionis subibis. Ergo, si tu coopereris furto aliorum, actum iniustum conficiendo, teneris, his deficientibus, damnum resarcire, sicut alius quilibet ad id teneretur, si loco tui hoc fecisset.

CASUS IX

NOTARIUS 2.°

1.° RUTILIUS, VIRGINIAE nepti suae, decem millia fr., donatione inter vivos, contractu a notario confecto, dedit; simulque EUGENIUM nepotem suum pro reliquis bonis heredem universalem instituit. Sed notarius, in instrumento donationis, ex oblivione, consensum seu acceptationem neptis referre praetermisit. Mortuo paulo post RUTILIO, EUGENIUS formae legalis defectum detegit et a iudice obtinet, ut donatio invalida declaretur. Hinc ipse, loco VIRGINIAE, 10,000 francorum accipit; VIRGINIA autem a notario indemnitatem pro damno repetit.

2.° DARIUS, notarius, instrumentum publicum venditionis praedii alicuius confecturus, advertit contrahentes non verum venditionis pretium, sed aliud multo minus in contractu publico declarare, eo fine ut tributum minus fisco persolvant. Hoc non obstante, instrumentum perfecit.

HINC:

QUAER. 1.° *An notarius, in primo casu, ad restitutionem erga* VIRGINIAM *teneatur, etiam in foro interno?*

2.° *An* DARIUS, *notarius, in secundo casu, Gubernio debeat restituere, ob cooperationem in tributi defraudationem?*

3.° *Quid, si* DARIUS *hanc pretii immutationem contrahentibus suasisset?*

SOLUTIO:

22. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Notarius certo tenetur ad restitutionem in foro externo, seu post iudicis sententiam. 2.° Tenetur etiam ad damnum reparandum in foro interno, si error ex negligentia graviter culpabili evenerit. Secus vero dicendum probabiliter, iuxta multos, si omissio ex mera distractione, seu ex sola inadvertentia facta sit. Non datur enim obligatio restituendi in foro interno, seu ante iudicis sententiam, ubi deest culpa theologica, etiamsi damnum eveniat occasione contractus vel quasi contractus, ut in casu, prout ait *S. Alph.*, l. 4, n. 554; *Lugo, Lacroix,* etc., contra alios. V. **Comp.,** De iustitia, nn. 798, 954 seq.

R. ad 2m *Quaes.* Non videtur inquietandus DARIUS, quia non constituitur ex officio ad tributum exigendum, seu quia hoc ad eius munus non pertinet. Recole dicta de restit. in specie, tom. 1, n. 755.

23.—*R. ad* 3m *Quaes.* Neque de iniustitia aut peccato est arguendus DARIUS, notarius, etiamsi pretii immutationem contrahentibus suasisset; quia, si non peccant contrahentes, ut supra, ubi de tributis dictum est, saltem probabiliter neque peccabit notarius ipsis cooperando, cum id impedire ex officio non teneatur. Etenim notarius, licet sit homo publicus, non est tamen tributis praepositus, et proinde non tenetur ex officio proprio ad tributa colligenda, vel ad eorum defraudationem impediendam. Ergo quoad tributa habendus est ut quilibet alius privatus.

CASUS X

CUSTOS

BARBATIANUS, custos agrorum et vinearum, rite quidem solet officio suo fungi; an vero in omnibus? hoc tibi perpendendum nunc venit. Hinc: 1.° pluries incuriosum in invigilando se habet, sed nescit utrum damnum inde fuerit subsecutum; 2.° non raro se abscondit, ut incautos damnificatores ex latebris prosiliendo, facilius deprehendat; 3.° aliquando denuntiationem praetermittit, quia negotium tanti momenti non est; 4.° pluries pecuniam accepit ne damnificantes proderet, atque etiam ad cenam a damnificatoribus invitatus, vel ab eis muneribus cumulatus, se minus rigidum exhibuit, cum damno tum privatorum qui indemnes effecti non sunt, tum fisci qui, ratione mulctae infligendae, lucro privatus est; 5.° quandoque etiam, dum alios a damnificando arcebat, ipse damnificavit, nec officii circumstantiam in confessione aperuit.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quatenus in singulis peccaverit* BARBATIANUS, *et utrum ad restitutionem teneatur?*

2.° *An fiscum indemnem facere debeat pro mulctis quibus caruit, ob denuntiationis defectum?*

3.° *An debuerit circumstantiam officii sui aperire, furta propria confitendo?*

SOLUTIO:

24. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° BARBATIANUS peccavit quidem contra iustitiam pro ratione negligentiae in officio suo adimplendo; attamen non tenetur ad restitutionem, quando, facta inquisitione, non ipsi constat damnum inde subsecutum esse, quia obligatio restituendi non potest esse certa, si damnificatio incerta est. Quando autem *damnificatio,* proveniens ex negligenti custodia, moraliter certa est, quamvis

adsit dubium circa *quotitatem* eius, tunc restitutio etiam certa est quoad radicem, et incerta secundum *quotitatem*. Restituendum est igitur pro rata dubii; nam certum est custodem debere aliquid restituere. 2.° Minime peccat dum se abscondit ut facilius damnificatores deprehendat, quia non est causa damni ab eis patrati, et insuper iustam habet rationem damnificationem permittendi, ut melius delinquentes corrigat, et maiora damna in futurum avertat. 3.° Non videtur arguendus ex hoc quod delicta minoris momenti praetermittat, seria tamen admonitione praemissa, ne iterent; sicut aliquando faceret ipse dominus cuius intentio recte praesumitur. 4.° Peccat graviter *per se,* pecuniam a damnificatoribus accipiendo ne eos denuntiet, et ipse pro illis damnum resarcire debet. An vero accepta munera reddere debeat? *Neg., probabiliter*, post factum, iuxta dicta de iudice, in simili casu, et de contractu in materia turpi, tom. 1, n. 949 seq.

25. — *R. ad* 2^m *Quaes. Probabilius* non tenetur restituere pro mulctis quae a delinquentibus solutae fuissent, si eos denuntiasset, quia non constituitur ut fiscum adaugeat. Recole dicta supra, n. 22, et tom. 1, nn. 939, 942.

R. ad 3^m *Quaes. Probabiliter* confessionis integritati satisfecit, licet praefatam circumstantiam reticuerit, quia ipse, furando, non duplex sed unicum fecit peccatum, scilicet, furtum; non fuit enim constitutus ad seipsum, sed ad alios a damnificatione impediendos.

CASUS XI

MEDICUS 1.°

1.° Flavinus, medicus, pauperibus petentibus auxilium praestare abnuit, ex eo quod nullam mercedem ab eis obtenturus sit. Aliquando etiam artis suae opem denegavit diviti, a quo alias nunquam pro cura sua salarium ullum obtinere potuit.

2.° Philo, Hippocratis discipulus, cum advocatus fuisset ad aegrotum phthisi laborantem, remedia ei praescripsit, et pluries iterum eum invisit, licet plane novisset haec omnia prorsus inutilia fore, et aegrum intra paucos dies moriturum esse. Dubitat postea, utrum ad restitutionem teneatur.

Hinc:

Quaer. 1.° *An vel quatenus medicus pauperibus et aliis necessitate pressis succurrere teneatur, et quid de* Flavino?

2.° *An* Flavinus *peccaverit, praedicto diviti succurrere nolendo?*

QUAER. 3.° *An mercedem requirere valeant medici, si remedia inutilia praescribant, aut superfluas visitationes peragant, et quid de* PHILONE?

SOLUTIO:

26. — *R. ad* 1m *Quaes.* Tenetur medicus pauperibus in mortis periculo versantibus gratuito succurrere eos invisendo et aptas medicinas praescribendo, nisi aegrotus ab aliis medicis adiuvari possit. Huiusmodi obligatio ex generali praecepto caritatis fluit. *S. Alph.*, l. 5, n. 291; *Pontas,* v. Medicus, cas. 2. — Hinc patet FLAVINUM peccasse, et quidem *per se* graviter, cum omnibus pauperibus opem artis suae denegaverit; de numero enim pauperum plures in gravi mortis periculo versantur, nec facile alium medicum habere possunt.

27. — *R. ad* 2m *Quaes.* An vero peccaverit FLAVINUS recusando succurrere diviti, a quo salarium alias obtinere non potuit? *Affirm.*, si ille dives alium medicum arcessere non possit, ut facile evenit in locis a civitate dissitis, ubi unicus reperitur medicus, et aeger in gravi periculo versatur. Ratio est, quia lex caritatis obligat ad succurrendum in necessitate versantibus, licet indignis, vel inimicis. Ipse autem actionem iuridicam servat tum erga aegrotum illum tum erga eius heredes, ut salarium debitum obtineat. *Pontas,* ibid., cas. 3.

28. — *R. ad* 3m *Quaes.* Medici peccant quidem *per se,* si, non vocati, frequentes simul et inutiles visitationes aegrotorum peragant, et remedia inutilia praescribant, perinde ac si ea omnia essent necessaria, vel utilia. Excusantur autem ab omni labe iniustitiae, si familiam aegrotantis praemoneant de vero illius statu, necnon de inutilitate remediorum, vel si consensum familiae rationabiliter praesumant. Tunc enim verum ius habent ad salarium, quia cura ab ipsis adhibita non est omnino inutilis, siquidem inservit ad animum aegro faciendum. Hinc PHILO ab omni onere restitutionis immunis evadit, quia eiusmodi aegroto inutiles non sunt medici visitationes, licet morbum neque curare neque physice sublevare queant; aeger enim a medico derelictus facile animum abiiceret, et corporis etiam maius detrimentum pateretur. *Pontas,* cas. 5.

* CASUS XII

MEDICUS 2.°

TITIUS, medicus cuiusdam civitatis, pactum habet (quod dichotomiam appellant) cum aliis medicis ac chirurgis specialistis, nec non cum his qui praepositi sunt balneis, ut quoties eis aliquem clientem remittat, illi medici TITIO ipsi dent partem aliquotam honorariorum a cliente perceptorum (v. gr. quartam vel quintam partem), unde non

semel pro uno cliente ad chirurgum ut difficilem operationem subiret remisso, quingentos vel plures francos accepit. Simile pactum habet cum quodam pharmacopola. Nunc vero scrupulis angitur de sua hac agendi ratione, eo vel maxime quod sibi videatur pluries remisisse clientes sive ad balnea quae eis minus erant indicata, sive ad specialistam pro operatione minus eis necessaria vel etiam inutili, sive pro medicinis maioris pretii, cum medicina vulgaris ac domestica sufficeret.

HINC:

QUAER. 1.° *An liceat medico exigere ab alio medico pro clientibus, quos ei remittat, partem aliquam honorariorum ex dictis clientibus perceptorum?*

2.° *An liceat hanc partem percipere, si haec ab alio liberaliter offeratur?*

3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

28 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* Etenim remittere suum clientem ad alium medicum, cum ipse ei non possit subvenire, est pars sui officii, posita consultatione vel visitatione. Ergo nihil potest exigere sive a cliente sive ab alio ultra id quod ei debetur pro consultatione ipsa vel visitatione. Unde nec alius, v. gr. specialista, a tali cliente exigere quidquam potest quod alii medico remittat ultra id quod iuste exigeret ab eodem cliente, si hic ad eum directe recurrisset absque alterius medici interventu. Secus adest onus restitutionis quoad excessum perceptum.

28 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes.* In hac hypothesi non peccabit contra iustitiam, dummodo hic alius nihil iniuste exigat a cliente, ut dictum est in Resp. ad 1 quaes.

28 *c.* — *R. ad* 3m *Quaes.* TITIUS *a)* tenetur ad restitutionem quoties clientes remisit ad specialistas vel ad balnea absque necessitate vel utilitate expensis faciendis vel molestiis subeundis proportionata. Et tenetur restituere non modo partem a se perceptam, sed etiam omnes expensas a cliente inutiliter factas: fuit enim causa damni iniusta, clientem inducens in errorem; *b)* debet etiam restituere quidquid per excessum ex cliente perceptum est, iuxta dicta in Resp. ad 1m et 2m, si ei constat de tali excessu; secus alii restituent qui a cliente exegerunt; *c)* item gravatur onere restitutionis quoties *exegerit* quasi sibi debitam partem aliquam honorariorum ab aliis perceptorum, non vero si alii sponte sua ei dederunt. Haec tamen ratio agendi, etiam in hoc ultimo casu, plena periculis est, ut patet ex iis quae dicuntur de muneribus perceptis a iudicibus, minusque honesta vocatur a cl. medico *Surbled* in opere L'Honneur médical, p. 75 seq.

* CASUS XIII

MEDICUS 3.°

Cum rumor percrebuisset in quadam civitate quod vir quidam conspicuus paulo antea sepultus fuerat vivus etsi mortuus videbatur, ut apparuit, reserato sepulcro, ex dispositione cadaveris diversa ab ea in qua iacebat dum illic depositum fuit; tantus tremor plures invasit ne simile quid sibi vel suis obveniat, ut plures in testamento disponant ut antequam sepeliantur medicus cor eorum perfodiat aut venae sectionem faciat, ita ut de facto moriantur si forte tantum morte apparenti correpti sint. Quandoque id ipsum petunt aliqui de familia defuncti, quamvis hic nihil huiusmodi disposuerit.

Cum vero recenter casus huiusmodi occurrerit TITIO medico, hic anxius est an et quatenus possit clientis sui NAZARII defuncti iussa exsequi.

HINC:

QUAER. 1.° *An liceat praecipere sive in testamento sive aliter, ut sibi vel aliis talis punctio cordis vel sectio venae fiat?*

2.° *An medico liceat tales operationes peragere?*

3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

28 *d.* — *R. ad* 1m *Quaes. Negative,* quia intentio huc tendit ut directe occidatur ille qui mortuus apparet, si forte vivus adhuc sit. Iam vero velle directe occidere hominem, est intrinsece malum, et *non sunt facienda mala ut eveniant bona.*

28 *e.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Ex hac intentione nec medico licet praedictas peragere operationes propter eamdem rationem.

28 *f.* — *R. ad* 3m *Quaes.* In casu, si certo iam constet de morte reali, poterit TITIUS illas perficere operationes, aperte declarando ideo se ita procedere quia certissimus est de morte reali NAZARII, secus illas non peracturus. Etenim cum iam certo de morte constet, operatio per se est indifferens et poterit adhiberi ut familia defuncti liberetur ab inani timore, sicut propter alias causas licet discindere cadaver anatomice, aut illud in mare proiicere, aut sub terra sepelire, ubi certo morietur si iam mortuus non sit.

CASUS XIV

PHARMACOPOLA

GETULIUS, pharmacopola, medicinas iuxta medicorum praescriptum praeparare quidem satagit; attamen herbas nonnullas, pulveres, et

alia medicamenta iamdiu exoleta, ac nullius amplius virtutis, iis admiscere solet. Immo aliquando, ob defectum rerum a medico praescriptarum, alias herbas vel species admiscet, ne officina sua deseratur, aut ne medici, huiusmodi defectum rescientes, ad alium recurrant.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quomodo* GETULIUS *contra iustitiam peccaverit?*

2.° *Quid, si loco unius rei tantum, sibi deficientis, rem aliam suo iudicio aeque bonam aut meliorem pro morbo aegroti cognito subministret?*

3.° *Si infirmus rescierit medicinam non fuisse traditam iuxta medici praescriptum, teneturne eam solvere, praesertim si nullum exinde senserit effectum?*

SOLUTIO:

29. — *R. ad* 1m *Quaes.* GETULIUS multipliciter contra iustitiam peccavit, scilicet: 1.° quia res nullius pretii pro veris mercibus vendidit, cum detrimento ementium, qui noluerunt res eiusmodi sibi comparare, nec proinde contractui consensum dederunt; 2.° quia res nullius virtutis pro efficacibus remediis tradidit, cum iactura sanitatis infirmorum, qui periculo mortis vel tardioris convalescentiae expositi sunt; 3.° quia nocuit etiam medicis, qui famae imminutionem etiam pati potuerunt, ex eo quod praescripta ab eis remedia nihil aut parum profecerunt. *Elbel,* De contr. in genere, n. 304.

30. — *R. ad* 2m *Quaes.* Id tolerari potest in aliquo casu particulari, ex rationabili causa, v. gr. ne officina deseratur, propter defectum insolitum alicuius rei quae brevi comparabitur, modo res alia, quae traditur, reapse sit aeque bona, utilis et proficua, seu conducens ad usum et finem comparantis; tunc enim praesumere potest ementem non esse rationabiliter invitum. Hoc tamen difficile permittendum est, quia cupiditas lucri facile vendentem inducere potest ad res minoris pretii, loco remediorum praescriptorum, tradendas. *Elbel,* ibid., n. 305.

31. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Si medicina fuit omnino aliena a praescripto medici, aut composita ex rebus iam exoletis et nullius virtutis, emens non tenetur pretium pro ea solvere; quia error fuit substantialis in contractu, et proinde corruit contractus ipse. 2.° Si vero res diversa fuit in aliqua specie tantum minus notabili quam illa quae fuit a medico praescripta, valet contractus, et emptor ad pretium rei solvendum obligatur; quia adhuc, iuxta moralem existimationem, censetur esse eadem medicina a medico praescripta. *Elbel,* ibid., n. 306.

CASUS

DE STATU CLERICALI

SEU

De vocatione clericali, de officiis clericorum, de breviario, de obligationibus parochorum, vicariorum et canonicorum.

CASUS I

VOCATIO CLERICALIS

1.° ALBINUS, peractis studiis, statum clericalem suscipere proponit. Sed confessarius, cognita eius vita, perpensisque dispositionibus, dubius et anceps non audet paenitentis propositum approbare. ALBINUS pergit ad alium, a quo nec certum responsum obtinere potest. Interea vero, cum a Superioribus ad sacros ordines advocatur, dubium omne excutit ipse, resoluto animo ad subdiaconatum accedendo.

2.° DAVIUS, absoluto sacrae theologiae curriculo, repente spreto confessarii monito, et Seminario et vocationi valedicens, subridenti mundo et subridet ipse. Sed paulo post, cum confiteretur, acriter increpatur a confessario, eo quod graviter peccaverit derelinquendo vocationem, et ei denegatur absolutio, nisi statim redire ad Seminarium promittat. DAVIUS autem recusat obtemperare, quia vocatio est de *consilio*, non vero de *praecepto*.

HINC:

QUAER. 1.° *An detur vocatio graviter obligans ad clericalem statum amplectendum; et quomodo dignoscatur?*

2.° *Quomodo peccet ille, qui ordines sine vocatione suscipit?*

3.° *Quid agendum foret erga eum, qui sine vocatione ordines sacros suscepisset?*

4.° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO:

32. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Certo datur vocatio divina ad sacerdotium. Constat ex clarissimis Scripturae sacrae testimoniis. Sic

(Hebr., 5, 4): *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.* Et (Ioann., 15, 16): *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* — An vero haec vocatio obliget sub *gravi? Affirmandum* aliquibus videtur, quando signa indubia vocationis habentur, id est, ob maxima salutis pericula, in quibus versabitur ille qui, spreta vocatione divina, proprio marte aliquem statum mundanum amplectitur. Hinc ait *S. Alph.*, hanc vocationem tanti esse momenti, ut ab ea pendeat aeterna salus tam ordinandorum, quam multorum fidelium. Alii tamen *distinguunt* inter vocationem *imperativam,* qua Deus vocans imponit obligationem parendi, et vocationem invitativam tantum, qua Deus invitat ad statum clericalem, sed obligationem strictam non imponit. Priorem dicunt obligare sub gravi, posteriorem non ita, ideoque hoc secundo modo vocatus, si renuat obtemperare, non videtur posse reprehendi de culpa saltem *gravi* (1). Cfr. n. 33, *N. B.*

Bene tamen nota: 1.° Vocari a Deo dicuntur, qui a legitimis Ecclesiae ministris vocantur *(Catech. Conc. Trid.,* p. 2, De ord. sacram., cap. 3); 2.° conditio, quae ex parte ordinandi debet attendi, quaeque *vocatio sacerdotalis* appellatur, nequaquam consistere, saltem necessario et de lege ordinaria, in interna quadam adspiratione subiecti, seu invitamentis Spiritus Sancti, ad sacerdotium ineundum. Sed e contra, nihil plus in ordinando, ut rite vocetur ab Episcopo, requiri, quam **rectam intentionem** simul cum **idoneitate** in iis *gratiae* et *naturae dotibus* reposita et per eam *vitae probitatem* ac *doctrinae sufficientiam* comprobata, quae *spem fundatam* faciant fore, ut *sacerdotii munere recte obire* eiusdemque *obligationes sancte servare* queat» (2).

Unde Codex canonicus statuit: «Sacram ordinationem licite recipit, qui ad normam sacrorum canonum debitis qualitatibus, iudicio proprii Ordinarii, praeditus sit, neque ulla detineatur irregularitate, aliove impedimento» (can. 968, § 1).

2.° Signa autem praecipua divinae vocationis sunt: aptitudo candidati a Superioribus agnita, vitae probitas, et recta intentio, seu desiderium vacandi divinae gloriae et saluti animarum. *S. Alph.*, n. 802.

33. — *R. ad* 2m *Quaes.* Gravissime peccat, quia ille non pastor ovium, sed fur est et latro, qui non intrat in ovile per ostium ovium. «*Illi igitur,* ait S. Alph., *qui, non vocati a Deo, in sacra ministeria se intrudunt,* ipsi sunt de quibus per Ieremiam (23, 21): *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant,* quo quidem hominum genere, ait Catechismus romanus, nihil infelicius ac miserius, nihil Ecclesiae calamitosius esse potest.» *S. Alph.*, n. 803; *Gasparri,* l. c., n. 112.—Haec

---

(1) Cfr. *Gasparri,* De sacra ordinatione, vol. 1, n. 110 et 114; *Icard,* Prael. iur. can. ad S. Sulpit., nn. 318, 319; *Génicot,* vol. 2, n. 25.

(2) Ita Commiss. Cardinal. in exam. op. canonici *Lahitton,* La vocation sacerdotale. Cfr. Epist. Card. Secret. Status, 7 iul. 1912: *Acta,* IV, pag. 485.

amen fac intelligas de eo, qui ordines suscipit sine vitae probitate ac sine requisita aptitudine. Etenim si haec habeat, ac simul sincere proponat onera sacro ordini adnexa adimplere, non videtur damnandus de culpa saltem *gravi*. *Génicot*, 2, n. 25. **Comp.**, n. 921 seq.

34. — *R. ad* 3m *Quaes.* Seriam agat paenitentiam, ita ut, si non sit absolute inhabilis, gratias vocationi divinae adnexas a piissima Dei misericordia obtineat, et sacra ministeria obire valeat cum sui et aliorum spirituali profectu. Praestantius foret, si seipsum integre Superiori manifestaret; sed saltem conscientiam integre confessario aperire debet. In casu vero in quo nullo modo sit habilis ad sacras functiones, nec evadere possit, res deferenda erit Episcopo, qui pro sua prudentia, secluso in quantum fieri poterit fidelium scandalo, hunc clericum a sacris ministeriis amovebit. Casus autem istiusmodi rarissimus erit, siquidem difficile est ut quis omnino inhabilis a Superioribus admittatur, nisi ille per fraudem inter ordinandos irrepserit.

35. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Peccavit, et forte graviter, ALBINUS, sponte sua, posito tanto dubio, in statum clericalem se ingerendo. Exspectare debuisset, donec difficultas saltem ab uno confessario soluta fuisset. Post factum vero paenitentiam agat, et dotes, praesertim vitae sanctitatem, sacris ordinibus congruas, acquirere satagat.

2.° DAVIUS sane male egit, confessarii monita contemnendo, posita morali certitudine vocationis; et magno salutis periculo exponetur. Attamen rigidius egit confessarius secundus, absolutionem ei denegando. Satius fuisset eum adhortari, ut ad Seminarium rediret; quia difficile constat de vera vocatione in tali casu, et minus erit malum si DAVIUS malus sit laicus, quam si pravus sacerdos evadat.

CASUS II

CLERICI DOTES

1.° BENITIUS, virtute quidem insignis, sed ingenio admodum tardus, in examine de doctrina et idoneitate *inventus est minus habens*, adeoque a sacris ordinibus suscipiendis amotus. Nihilominus ille enixis precibus effusisque lacrimis Superiores obsecratus est, ut ipsum promovere velint ad Missam tantum celebrandam, propriae sanctificationis et devotionis intuitu.

2.° AMANDUS, ad subdiaconatum promovendus, praeclaris quidem animi dotibus est conspicuus, sed virtutibus mediocris valde; immo in prava peccandi consuetudine versatur. Tunc vero contritione vehementi percitus, a confessario obtinet non solum absolutionem a peccato, sed etiam facultatem ad subdiaconatum suscipiendum accedendi.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam dotes ad sacerdotium requirantur?*
2.° *An candidatus, scientia destitutus, promoveri possit ad Missam solum celebrandam?*
3.° *An habituatus in vitio turpi ad ordines sacros admitti possit, si emendationem seriam promittat; et an absolvi possit, si accedere paratus sit?*
4.° *Quid ad varios casus?*

SOLUTIO:

36. — *R. ad* 1m *Quaes.* Dotes ad sacerdotium requisitae sunt: 1.° aetas per sacros canones requisita; 2.° scientia ordinibus et functionibus sacris obeundis a Concilio Tridentino praescripta; 3.° vitae probitas, et praesertim vocatio divina. V. **Comp.,** De ordin., n. 874 et seq.

R. ad 2m *Quaes. Neg.*, si omni prorsus scientia sit destitutus. Ratio est, quia ignarus ne potest quidem rite Sacrum peragere, rubricas intelligere, etc. Insuper Concilium Tridentinum absolute requirit, ut initiandi ad ordines quoque minores latinam linguam intelligant, et ordinandi sacerdotes, ad populum de necessariis edocendum ministrandaque Sacramenta idonei reperiantur (Sess. 23, c. 4 et seq., De reform.). Dicunt tamen communiter cum *S. Thoma* et *S. Alph.*, requiri minorem scientiam in religiosis unice ad chorum destinatis, ut sunt Carthusiani, etc. An vero ordinari possint regulares praefati, etiamsi notabiliter in linguae latinae intelligentia deficiant? *Affirmant* nonnulli; sed *S. Alph.* non audet id approbare, quia, ait, si in saecularibus initiandis tantum ad ordines minores requirit Trid., ut saltem linguam latinam intelligant, quomodo regulares ordinari poterunt ad sacerdotium adhuc in lingua latina deficientes?

37.—*R. ad* 3m *Quaes. Negandum* videtur ex sententia *S. Alph.*, De Sacram. in genere, n. 64. Non sufficit enim quod sit dispositus ad sacramentum paenitentiae recipiendum. Ratio est, quia non satis est, si in statu gratiae hic et nunc versetur ordinandus, sed adhuc habere debet probitatem positivam tam sublimi statui necessariam; proinde graviter peccat, si absque illa sacrum ordinem recipere statuit. Vult enim temere suscipere statim onus perpetuae castitatis cum periculo propriae salutis et scandali alieni. Confessarius igitur eum absolvere non potest, nisi ab ordine suscipiendo abstinere promittat, donec, per longi temporis, saltem plurium mensium, probationem, dignus reperiatur. Et revera, iuxta communem doctorum sententiam, ad sacros ordines recipiendos non sufficit bonitas communis, id est simplex immunitas a peccato mortali; sed requiritur etiam bonitas specialis, vi cuius ordinandus sit a pravis habitibus exemptus. *S. Alph.*, De Sacram. in gen., n. 64, et in Praxi confess., n. 78, ubi, post *S. Thom.*, excipit

casum compunctionis tam extraordinariae, quae illum ordinandum ab antiqua fragilitate liberaret, ita ut subito sanctitatem perfecte consequeretur. Sed etiam in hoc casu «confessarius toto conatu curare debet, persuasum reddere huiusmodi initiandum, quamvis *extraordinarie compunctum*, ut differat ordines suscipere, quoadusque, probatione alicuius notabilis morae, magis purgatum se praebeat a sceleribus patratis» (1).

Quanto autem temporis spacio probandi huiusmodi habituati sint, non facile erit regula aliqua generali determinare; sed potius res erit decidenda in singulis casibus, mature inspectis rerum, personae et casuum adiunctis.

Attamen quamvis difficillimum sit regulam generalem statuere, perpensis tamen probatorum auctorum locutionibus, haec non incongrue dicenda forte videntur: 1.° Si quis exquirat a nobis *consilium*, id nostrum erit, ut non audeat ad ordines sacros accedere, nisi post longam unius saltem anni probationem castitatis. 2.° Si de *praecepto* sit sermo, vix unquam prohibendum accessum ad sacros ordines ei, qui per *sex menses* perfectam servaverit castitatem; vix unquam concedendum, nisi saltem post *tres menses* probationis; minus vero difficilem poterit quis se exhibere erga eos, qui per *quattuor* vel *quinque* menses illibatam servaverunt castitatem. — Excipitur semper casus mirae et extraordinariae conversionis, iuxta ea quae antea diximus. Cfr. omnino *Villada*, l. c., et *Casus Rom. ad S. Apollin.*, l. c. V. **Comp.**, n. 876.

Nec multum ab hac norma discrepare videntur ea quae postea scripsit *Lehmkuhl* in Cas., vol. 2, n. 697: «Vix unquam ad sacros ordines admitti potest, nisi qui per tempus omnino notabile, v. gr. sex menses, ab omni labe turpi se custodierit. Idque valet imprimis ante suscipiendum subdiaconatum, sed etiam omnino ante presbyteratum. Nam etsi in presbyteratu nova obligatio non assumitur, tamen periculum multiplicandi sacrilegia omnino multum augetur. Severum in hac parte esse est misericordem se gerere et providum erga candidatum et erga Ecclesiam. Nam propter extraordinariam conversionem habituatum statim vel cito admittere posse est tanta exceptio, ut in regula id notari vix mereatur.»

38.—*R. ad* 4^m *Quaes.* 1.° Benitius, ut videtur, defectu scientiae sufficientis ordinari non potest, nisi ordinem religiosum ad chorum

---

(1) Ita *S. Alph.*, l. 6, n. 77. Cum *S. Alph.*, praeter *P. Gury*, sentiunt *Benedictus XIV* (De Synodo, l. 11, c. 2), laudans doctrinam ligorianam; *Card. Gasparri*, De sacr. ordin., nn. 573-576; *Many*, De sacr. ordin., n. 90, 3.°; *Wernz*, Ius Decretal., vol. 3, n. 87; *Haine*, vol. 2, p. 411; vol. 3, p. 464; *Van der Velden*, vol. 2, n. 74; *Aertnys*, lib. 6, nn. 314 et 910; *Lehmk.*, n. 602; *Villada*, Casus, vol. 3, p. 8 seq. (ed. 1); *Card. Vives*, n. 654; *Mach*, Tesoro del sacerdote, n. 600; *Buccer.*, 2, n. 247; *Casus Romae ad S. Apollin.*, p. 227 seq.; *Il Monitore*, vol. 24, p. 767, nota, vol. 25, p. 74 seq.; *Scavini, Gousset, Casaj.*, h. l., etc., contra *alios*.

destinatum ingrediatur, et habeat insuper ad hunc statum scientiam supra requisitam. Posset etiam in aliqua capellania constitui, in qua Missa tantum celebranda foret.

2.° AMANDUS non debuit admitti a confessario ad ordinem subdiaconatus recipiendum, iuxta superius dicta; sed remittendus fuit saltem ad aliam ordinationem, ut interea experimentum boni propositi faceret, et argumentum solidae conversionis et verae sanctitatis exhiberet.

CASUS III

CANDIDATUS AD CLERICATUM, LACRIMABUNDUS

BASILIUS, curriculo scholarum inferiorum ad philosophiam usque peracto, quam maxime cupit statum clericalem amplecti, adeoque statuit postulare ut in Seminarium maius, ad studiis philosophicis et theologicis vacandum, admittatur. Sed, re confessario prius subiecta, ab eo prorsus cohibetur. Quare igitur obsistit pater spiritualis? Numquid idoneitate ad ordines requisita caret? Ecce: BASILIUS a tribus vel quatuor annis fuit habituatus in vitio turpi, et ideo iussu confessarii a sanctuario arcetur. Instat paenitens, emendationem seriam promittit, verbis promissisque magnam lacrimarum copiam miscet. Sed surdo canit; neque precibus, neque proposito, neque lacrimis movetur sacerdos.

HINC:

QUAER. *Quid tenendum de sententia confessarii, an probanda, vel improbanda?*

SOLUTIO:

39. — *R. ad Quaes.* Difficile est valde, aequum ferre iudicium circa iudices in foro interno constitutos; possunt enim moveri variis rationibus maxime fundatis, quae nos lateant. Multi sunt casus, qui ex solis circumstantiis intimisque causis solvi possunt. Generatim, ex sola casus expositione, nimis dura videtur confessarii sententia. Etenim si actualis conversio BASILII seria apparet, ut reapse videtur, et de cetero aliis polleat dotibus ad statum clericalem amplectendum, inspecta eius efflagitatione et cordis compunctione, quare experimentum ipsi denegaretur? Nonne fieri potest ut perfecte emendetur? Ceterum nullam obligationem hic et nunc suscipit. Si res non succedet, alius confessarius aliam feret sententiam, quando de obligatione contrahenda castitatis perpetuo servandae agetur.

40. — Nec obstat vita praeterita, licet habitu turpi diu polluta, quia non praeterita, sed praesens dignitas requiritur. Quot sancti sacerdotes et Episcopi, praeeunte S. Augustino, quorum vita laicalis illibata non permanserat!

CASUS IV

OFFICII DIVINI OBLIGATIO

MAGLORIUS, sacerdos, de rebus theologicis cum pluribus sociis conferens, sequentia indubitanter asserit:

Scilicet: 1.° septem peccata mortalia patrare clericum in sacris, vel alium ad horas canonicas obligatum, si officium integrum unius diei omiserit; quia horae singulae, quae septem numerantur, seorsim sub gravi obligant.

2.° Peccatum mortale committere clericum, qui unicum psalmum ex hora minori, v. gr. ex *tertia* vel *sexta,* omittit; quia psalmus est pars notabilis, seu 3.ª pars circiter horae sub gravi obligantis.

3.° Graviter peccare sacerdotem, qui horam aliquam etiam parvam recitat cum distractione voluntaria, aut ex gravi negligentia habita, nisi recitationem ex integro et devote iteret, quia voluntarie distractus non orat, cum Deum offendat, nedum colat.

Ita MAGLORIUS, contradicentibus vero sociis; quare contentio acerrima inter eos inducitur. Disputarent adhuc, nisi nox ingruens liti finem adduxisset.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit officii divini obligatio?*

2.° *Quaenam materiae omissae quantitas ad peccatum grave requiratur? an psalmus sufficiat? an plura dentur peccata gravia, si totum officium omittatur?*

3.° *An reapse mortaliter peccet, qui est distractus seu voluntarie, seu ex negligentia gravi per partem alicuius horae notabilem?*

SOLUTIO:

41. — *R. ad* 1m *Quaes.* Obligatio divini officii pro clericis in sacris urget sub gravi singulis diebus, et est ipsi diei affixa, ita ut peccet graviter, qui omittit breviarium in die recitandum. Agitur enim de lege Ecclesiae valde gravi.

42. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Materia gravis habetur in omissione notabilis partis divini officii. Pars autem notabilis communiter reputatur omissio unius horae, etiam parvae, vel unius nocturni; immo, si nocturnum sit longum, ut in feriis, omissio eiusdem notabilis partis etiam peccatum grave constituet. Si quis autem omittat partem officii hora parva minorem, a peccato gravi excusatur. Hinc merito dicit *Lacroix,* peccare tantum venialiter clericum, qui psalmum unicum unius horae parvae recitaret, etc., quia horam hanc integram non omitteret.

2.° Si totum officium omittatur, unicum peccatum, non vero multiplex, committitur, si ab initio, ut supponitur, totum officium omittere statuerit; quia, licet omissio unius horae, etiam parvae, sit gravis, obligatio tamen breviarii diurni unica est; secus enim sacerdos officium omittens, non tantum septem, sed etiam plura alia peccata, v. gr. saltem tria pro matutino non recitato, patraret, quod falsum est.

43. — *R. ad* 3m *Quaes. Controvertitur. Probabilius* quidem peccat graviter qui est voluntarie distractus per partem officii notabilem; quia oratio sine interna attentione, non est oratio proprie dicta. Attamen opposita sententia vere *probabilis* a *S. Alph.* dicitur. Quare, licet in praxi quam maxime suadenda sit prima sententia, nunquam tamen recitans horas voluntarie distractus de peccato mortali certo argui potest. V. **Comp.,** n. 100.

Hinc MAGLORIUS noster *acerrime* potius quam *iuste* disputans, in omnibus erravit. Illius igitur disputatio plus clamoris quam rationis habuit. In posterum faucibus parcat, et studio ante disputationem magis indulgeat.

CASUS V

OFFICII DIVINI RECITATIO

1.° ADAMUS, sacerdos, matutinum recitavit in vigilia, hora licita, ex mera devotione, cum intentione illud repetendi ipsa die ante Missam praecepto satisfaciendi causa. Sed mutata voluntate, alteram recitationem praetermittit.

2.° ANATOLIUS, ad officium obligatus, aliquando *ex errore* et alias *scienter,* officium aliquod pro altero recitavit, v. gr. officium alicuius Sancti pro feria, aut vice versa, vel unius Sancti pro alio, nec recitationem iteravit, hoc inixus axiomate: *Officium pro officio.* Postea tamen, cum rem ad confessarium detulisset, de peccato gravi ab illo arguitur.

3.° BARNABAS, sacerdos, aliquando abstinet ab anticipanda recitatione officii in vigilia, quamvis illud facile recitare possit, et insuper impedimentum pro die sequenti integra praevideat.

4.° CLAUDIUS, sacerdos dioeceseos Barcinonensis, Tarracone commorari debet, studiis incumbens per integrum curriculum ad doctoratus lauream obtinendam, et nescit utrum proprium calendarium sequi debeat, an vero Tarraconense.

HINC:

QUAER. 1.° *An* ADAMUS, *in primo casu, sub gravi ad officii recitationem iterandam obligatus fuerit?*

2.° *An, in secundo casu, peccati mortalis reus fuerit*

ANATOLIUS, *ex eo quod in praedictis casibus officium non iteravit? et quid tenendum?*

QUAER. 3.° *An advertens ad errorem in media recitatione, reliqua de officio diei persolvere debeat?*

4.° *An* BARNABAS, *in tertio casu, a recitatione excusatus fuerit?*

5.° *An* CLAUDIUS, *in quarto casu, proprium calendarium quoad recitationem officii sequi debeat?*

SOLUTIO:

44. — *R. ad* 1m *Quaes. Nego* prorsus. Ratio est, quia vere obligationi suae satisfecit, licet satisfacere minime intenderit; intentio enim praescriptum adimplendi non requiritur, sed sufficit ut opus praescriptum tempore debito ponatur. Ergo ADAMUS non peccavit, iterationem matutini officii omittendo, nisi forte ex conscientia erronea; immo etiam nolens satisfecisset, et per ipsum non stabat quominus non satisfaceret. V. **Comp.,** De legibus, n. 172. — Ita *S. Alph.,* De legibus, n. 163; V. *Pontas,* v. Officium, cas. 16, contra *Collet* adnotatorem, ibid.

45. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° ANATOLIUS minime peccavit, ne venialiter quidem, quando ex errore officium indebitum recitavit, quia nemo peccati ignarus peccat; nec tenetur officium iterare, tunc enim valet axioma: *Officium pro officio.* — 2.° Secluso autem errore et *rationabili* causa, ANATOLIUS peccavit quidem, sed *venialiter* tantum, nisi id saepe fecerit. Ratio est, quia praeceptum quoad substantiam implevit. Nec contra hanc doctrinam videtur esse sequens decretum: «Dub. III. An satisfaciat obligationi suae clericus in ordinibus sacris constitutus, qui sponte vel invitatus se adiungit clero officium ab officio ipsius clerici diversum canenti vel recitanti? – Resp. ad III: Generaliter *Negative*». S. R. C., 27 ian. 1899: *Decr. auth.,* n. 4011. Quamvis decretum dicat GENERALITER *non satisfacere;* non eo ipso debemus admittere peccatum grave: sufficit quod dicamus adesse peccatum leve, vel nullum, iuxta diversos casus. Ita etiam post hoc decretum, *Bucceroni,* Inst. mor., 2, n. 133 (Romae, 1908); *Lehmk.,* Comp., n. 979 (Friburg. Brisg., 1907); *Noldin,* De praeceptis, n. 752 (Oeniponte, 1906); *Soláns,* Prontuario litúrgico, n 1447 (Barcelona, 1906). Peccavit autem graviter, si saepe saepius id fecerit, quia huiusmodi consuetudo contemptum legis involvere videtur. V. **Comp.,** nn. 83-85.

46. — *R. ad* 3m *Quaes.* Potest vel errorem corrigere statim ac ad illum advertit, vel officium inceptum prosequi. Ita *communiter.* Attamen melius est officium mutare, iuxta effatum: *Error corrigitur ubi deprehenditur. S. Alph.,* n. 160, q. 6.°

R. ad 4m *Quaes. Affirmative.* Ratio est, quia officium matutinum, licet pridie recitari possit, non tamen necessario recitari debet.

Etenim anticipatio matutini est veluti *privilegium,* quo nemo uti tenetur ex generali regula. Ergo obligatio stricta non urget ante mediam noctem sequentem. Ergo non est ei antea necessario satisfaciendum. Ergo, stante impedimento a media nocte ad mediam noctem, BARNABAS ab obligatione officii persolvendi excusatur. Attamen, si vir pius sit, recitationem in vigilia anticipare non omittet. V. **Comp.,** n. 76.

46 *bis. — R. ad* 5m *Quaes.* Clerici non beneficiati ad officium obligati et degentes extra dioecesim per notabile tempus, v. gr. ratione studiorum, *possunt* retinere proprium calendarium, sed *praestat* ut se conforment calendario loci ubi commorantur (praesertim si sacerdotes sint, ut Missa officio correspondeat). S. R. C., 12 nov. 1831, ad 46: *Decret. auth.,* n. 2682; *Berardi,* Praxis, 3, n. 215. V. **Comp.,** n. 69.

Praestat igitur ut CLAUDIUS in recitatione officii Calendario Tarraconensi se conformet, si beneficiatus non sit: secus proprium sequi deberet.

CASUS VI

TEMPUS HORAS RECITANDI

AMELINUS, sacerdos, parum curans de servando tempore singulis horis proprio, utitur hoc principio: *Parum est dummodo officium intra 24 horas recitetur,* nempe a media nocte ad mediam noctem, addito etiam privilegio de anticipatione matutini. Hinc, alias recitat parvas horas summo mane, et vesperas cum completorio ante meridiem; alias matutinum remittit ad unam vel alteram horam noctis vel diei; alias etiam, dictis vesperis hora secunda pomeridiana, incepit statim matutinum diei sequentis, licet hora aut semihora desit ad tempus requisitum in tabella calendarii pro initio recitationis, quia, ait, *parvum pro nihilo reputatur.* Contrahit etiam consuetudinem matutinum et laudes peracto iam Sacro, recitandi.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo peccet* AMELINUS, *mutando tempus horis recitandis affixum?*

2.° *An peccaverit, matutinum semihora, antequam sol medium cursum teneat inter meridiem, recitando?*

3.° *An peccatum mortale commiserit ex consuetudine matutinum et laudes post Missae celebrationem recitando?*

SOLUTIO:

47. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° AMELINUS sane peccat venialiter, toties quoties sine rationabili causa ordinem temporis invertit, quia violat leges

Ecclesiae modum recitandi breviarium determinantes. — 2.° Non peccat nisi venialiter, *per se*, modo in die, seu a media nocte ad mediam noctem, pensum persolvat, addito privilegio matutinum in vigilia hora debita anticipandi. Ita *communiter*.

48. — *R. ad* 2m *Quaes. Negative.* Certe affirmabat *communior* sententia *antiquorum*. Ratio erat, quia AMELINUS recitando matutinum hora aut semihora antequam sol medium cursum teneat inter meridiem et occasum, illud recitare videbatur ante diem ecclesiasticum, et consequenter violare substantiam praecepti, dum matutinum die praescripto non recitet.

Verum certum est licere *in privata recitatione* matutinum dicere hora secunda pomeridiana. Etenim cum hac de re S. C. R. interrogaretur: «I. Utrum, in privata recitatione, matutinum pro insequenti die incipi possit hora secunda pomeridiana, aut standum sit tabellae Directorii dioecesani, omni tempore?» respondit: Consulantur probati auctores» (12 maii 1905). Immo dum publici iuris factum est VI volumen *Decret. Auth. S. R. C.*, posita est responsio: «Ad I. *affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam». *D. auth.*, n. 4158 (1).

49. — R. *ad* 3m *Quaes. Negative* saltem *probabilius*. Ratio est, quia nulla est connexio inter officium et Missam, et proinde recitatio matutini non videtur dispositio ad celebrandum, cum sacerdos etiam aliter orando possit sese pie ad Sacrum disponere; nec apparet gravis obligatio ex rubrica supra relata, neque sub gravi generatim apprehenditur. – Ita *communiter* cum *S. Alph.*, De Euch., n. 347, et *Bened. XIV* in opere De sacrificio Missae, lib. 3, c. 13. Immo *Ball.-P.*, vol. 4, n. 405 (cui consentire videtur *Génicot)*, etiam levem culpam abesse probabile putat. Cfr. etiam *S. Alph.*, l. 6, n. 347. Nec obstat

---

(1) Iam antea probati auctores passim hanc sententiam docebant: v. gr. inter antiquos *Sánchez*, Cons., l. 7. c. 2, dub. 37, n. 4; *Diana*, part. 4, tr. 4, res. 9; *Trullench*, l. 1, c. 7, dub. 18, n. 8; *Quintanadueñas*, tr. 8, sing. 2, n. 1; *Salmant.*, tr. 17, p. 3, n. 15; *Viva*, Curs. theol., p. 2, q. 7, a. 5, n. 31, etc.; inter recentiores vero *Acta S. Sedis*, vol. 37, p. 713, nota, vol. 40, p. 112; *Ephem. liturg.*, vol. 11, p. 323 seq., 383 seq., vol. 19, p. 389; *Il Monitore*, vol. 12, p. 233; vol. 17, p. 275 seq.; *Razón y Fe*, vol. 14, p. 98 seq.; *La Ciudad de Dios*, vol. 67, p. 690 seq.; *Ball.-P.*, vol. 4, p. 407; *D'Annibale*, 3, n. 150, nota 32; *Bucceroni*, 2, n. 153; *Frasinetti*, 2, n. 538; *Sabetti*, n. 576; *Génicot*, 2 n. 55; *Delama*, 2, n. 819; *Haine*, 2, p. 291; *Tanquerey*, De statibus, n. 152; *Noldin*, n. 763: *Ojetti*, Synopsis, v. Horae can.; *Bulot*, 2, n. 75; *Angel. a. SS. Corde*, n. 420; *Mocchegiani*, Iurisprud., 2, n. 24, 9.°; *Villada*, De confess., n. 21, et apud *Nouv. Rev. Théol.*, vol. 20, p. 510 seq.

Ratio est, quia iuxta S. Thom. (Quodlib. 5, a. 28), «quantum ad ecclesiasticum officium..., incipit dies a vesperis: unde si aliquis post dictas vesperas et completorium dicat matutinum, iam hoc pertinet ad diem sequentem»: atqui hodie ex consuetudine etiam Romae recepta *(Beringer*, Les indulgences, etc., p 105) tempus aptum ad *recitationem publicam vesperarum in ecclesiis*, etiam in aestate, est hora secunda pomeridiana; ergo qui hora secunda post meridiem recitet matutinum, iam recitat in ipso die ecclesiastico, ideoque satisfacit. Cfr. *Ferreres*, in Eph. *Razón y Fe*, l. c.

Nec dicas: ergo etiam satisfaceret si recitaret horas minores et 2as vesperas. Negaretur enim consequentia; quia haec anticipatio *consuetudine* inducta est tantum pro matutino cum laudibus, non pro aliis horis. V. **Comp.**, n. 74.

quod ex consuetudine ita peragat, quia consuetudo violandi obligationem levem peccatum grave non constituit, siquidem peccata venialia multiplicata peccatum mortale non efficiunt. *S. Alph.*, De Euch., n. 347.

CASUS VII

ORDO RECITATIONIS

NEMESIUS, sacerdos, ex levi vel etiam nulla causa, vel ex oblivione, intervertit ordinem horarum, recitando v. gr. *tertiam* ante *primam, vesperas* ante *nonam,* aliquando etiam matutinum diei sequentis ante vesperas aut completorium officii praesentis. Sabbato quodam, dicto sub nocte primo nocturno matutini dominicalis, vocatus est ad infirmum, et die dominica dixit reliqua nocturna, quin primum iteraret.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo peccaverit* NEMESIUS *in praefatis casibus?*

2.° *An iterari debeat matutinum, si nocturnum unum ab aliis tota nocte separetur?*

SOLUTIO:

50. — *R. ad* 1m *Quaes.* NEMESIUS peccavit *venialiter* toties quoties, absque rationabili causa, ordinem horarum in recitatione intervertit, quia violavit legem Ecclesiae sub levi tantum obligantem. Ratio est, quia inversio ordinis horarum, sicut mutatio temporis, est quid mere accidentale. Hinc, si ex iusta causa fiat, culpa vacat; si absque causa, peccatum veniale non excedit unquam. V. **Comp.,** n. 86.

51. — *R. ad* 2m *Quaes. Nego.* Ratio est, quia substantiae praecepti satisfecit, cum officium debito tempore persolverit. Ergo a peccato mortali est excusandus NEMESIUS, licet noctem totam inter nocturnum unum et sequens interposuerit. Immo veniali etiam culpa vacat, cum id ex iusta causa peregerit, seu ex officio caritatis, scilicet, ut infirmo succurreret. V. **Comp.**, n. 95.

* CASUS VII *bis*

DE RECITATIONE OFFICII DIVINI IUXTA NOVUM PSALTERIUM

TITIUS, ex quadam inadvertentia, recitavit officium feriale in Quadragesima cum suis precibus et suffragio, die quo iuxta calendarium debuisset recitare de Sancto Patritio Ep. et Conf. Cum vero die sequenti ad horas minores recitandas se accingeret, errorem advertit,

ideoque horas minores de Sancto Patritio recitavit, cum solis tribus psalmis in prima, et addidit commemorationem de S. Patritio quam in laudibus omiserat, non autem quam omiserat in I vesperis.

HINC:

QUAER. 1.° *An recte se gesserit* TITIUS *in casu?*

2.° *Quid si die quo debuisset recitare de feria, ex distractione recitasset de Sancto; vel si recitaturus de Sancto psalmos sumpsisset de communi, cum de Psalterio recitandi essent?*

SOLUTIO:

51 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes. Affirmative,* quia cum ex errore aliquid huiusmodi accidit, *officium valet pro officio et error corrigitur ubi deprehenditur,* iuxta antiqua principia quae hodie totam suam vim retinent, maxime cum post reformationem Pii X omnia fere officia sint eiusdem brevitatis; commemorationem pro laudibus bene potuit addere, etsi non tenebatur, quia officium feriale *per se* non admittit commemorationem *duplicis,* sed huius officium esse debet cum commemoratione de feria. Commemorationem pro vesperis, nullo modo addere debebat, quia tempus vesperarum iam effluxerat. Nec in prima debuit quatuor psalmos dicere sed tres, iuxta ritum festivum. Si tamen quartum addidisset ne psalmus ille tali die praetermitteretur, non videretur reprehendendus TITIUS.

51 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Etiam in hoc casu valent antiqua principia, cum officium festivum et feriale hodie sint fere eiusdem brevitatis, et psalmos et antiphonas magna ex parte eosdem habeant. Nec in officiis festivis desumere psalmos ex communi, loco eos recitandi de psalterio, habet maiorem diversitatem quam in breviariis S. Pii V habuisset, si officium de communi confessorum aliquis recitasset, loco recitandi de communi Apostolorum.

N. B. Si quis recitaturus de feria non haberet Novum Psalterii ordinem nec illud memoriter sciret, non teneretur recitare, quia antiquus Psalterii ordo a Pio X abolitus est in Const. *Divino afflatu,* ad finem. Unde si ex distractione recitaret iuxta antiquum ordinem, iterum teneretur repetere recitationem.

* CASUS VII *ter.*

DE RECITATIONE DIVINI OFFICII IUXTA NOVAS RUBRICAS

BERTHA, monialis Ordinis Sancti Augustini, post Constitutionem *Divino afflatu* plura dubia habet circa recitationem divini officii in choro, nempe: *a)* an omnes simul ac semel debeant recitare *Confiteor* ad *primam* et *completorium;* an vero prius hebdomadaria et postea

reliquae; *b)* an teneantur adhuc ad recitandum feria II, quoties officium classicum non occurrit, vesperas defunctorum; et Officium parvum, quoties recitandum sit officium feriale prout Regula ipsis praescribit.

HINC:

QUAER. *Quid* BERTHAE *quoad singula dubia respondendum sit?*

SOLUTIO:

51 *c. — R. ad Quaes. a) Semel* omnes simul, omissis verbis *tibi Pater, te Pater, vobis fratres, vos fratres,* eodem modo ac dicitur quoties aliquis solus recitet extra chorum. Sic enim legitur in Rubrica novi Psalterii sive ad primam sive ad completorium: «Extra chorum, si unus vel duo tantum recitent Officium, et *in choro monialium,* semel tantum ac simul ab omnibus ita fit confessio» etc.; *b)* iam non videntur teneri neque ad vesperas defunctorum neque ad Officium parvum, quia Regula in casu tantum videtur expositio Rubricae. Pius X (tit. 8, n. 2) utramque obligationem pro omnibus sustulit quae ex rubricis ad hanc recitationem tenebantur. Qui vero ex peculiari constitutione aut ex legato tenebantur, debent petere commutationem a Sede Apostolica (ibid.); sed in casu hoc non videtur necessarium; quia verba Pii X videntur referri ad constitutionem quae imponat obligationem ex iustitia.

* CASUS VII *quater.*

DE NOVIS RUBRICIS SERVANDIS IN RECITATIONE OFFICII DIVINI AC IN MINISTRANDA EUCHARISTIA

TITIUS, parochus: *a)* quoties in privata recitatione separat matutinum a laudibus, semper ante laudes omittit *Pater* et *Ave; b)* dum ministrat communionem extra Missam non semper dicit antiph. *O sacrum convivium,* et tempore paschali in oratione *Spiritum nobis* adhibet conclusionem brevem, nec in fine antiphonae addit alleluia; *c)* dum infirmis ministrat Eucharistiam non per modum Viatici, adhibet formulam in plurali «Misereatur *vestri*» etc.; *d)* in officio defunctorum omittit nomen defuncti quoties in oratione non reperitur littera N., adhibet semper conclusionem longam, et semper praemittit *Pater* et *Ave.*

HINC:

QUAER. *Quid de ratione agendi* TITII?

SOLUTIO:

51 *d. — R. ad Quaes.* TITIO consulendum est ut legat novas dispositiones liturgicas, ex quibus perspiciet in quantis errat. Etenim: *a)* in

Ordinario novi Psalterii praescribitur initio ut «ante Laudes a Matutino extra chorum separatas» dicatur *Pater* et *Ave; b)* in editione typica novi Ritualis, tit. 4, c. 2, n. 6, praescribitur dicenda antiphona *O sacrum convivium* et quod tempore paschali et per octavam *Corporis Christi* addatur alleluia tum in fine ipsius antiphonae, tum in fine ℣. et ℟.; et ibid., n. 7, additur ut in oratione semper dicatur conclusio longa etiam in ea quae dicitur tempore paschali *Spiritum nobis; c)* in cap. 4 eiusdem tit. 4, n. 14, praescribitur ut in communione infirmorum, etiamsi non sit per modum Viatici, adhibeatur formula singularis (in plurali et semel pro omnibus si in eodem cubiculo plures sint infirmi) Misereatur *tui*... Indulgentiam... *tuorum,* tribuat *tibi,* etc., et oratio dicenda dum perventum fuerit ad ecclesiam semper est, etiam tempore paschali, *Deus qui nobis* (quae hic habet conclusionem brevem); *d)* iuxta tit. 6, c. 3, p. 140, nota: «Conclusio longa orationum adhibetur tantummodo in Missa et officio, extra vero semper brevis»; omnes omnino orationes dicuntur cum nomine et titulo defuncti (1). Quoad vero commune officium defunctorum legitur cap. 4: «Quoties Vesperae vel delationem cadaveris ad Ecclesiam, ac Responsorium *Subvenite,* vel Officium diei currentis immediate non sequantur, dicitur secreto *Pater* et *Ave;* secus absolute incipitur a 1 antiphona» (p. 149). «Quoties Matutinum vel delationem cadaveris ad Ecclesiam ac Responsorium *Subvenite,* vel Matutinum et Laudes diei currentis immediate non sequatur, dicitur secreto *Pater, Ave,* et *Credo;* secus absolute incipitur ab Invitatorio» (p. 160).

CASUS VIII

RECITATIO CUM SOCIO

Balbus, sacerdos, a puero linguam balbutientem sortitus, breviarium recitando, mirum in modum verba syncopare et quodammodo deglutire solet. Cum, die quadam, ab Hadriano ad matutinum secum persolvendum invitatus fuisset, ita praecipitanter legere coepit et syllabas plurimas praetermittere, ut vix aliquis sensus lectionis aut psalmi a socio percipi potuerit. Immo, vix alter mediam versiculi partem recitaverat, cum ipse iam versiculum sequentem psalmi incipere festinabat. «Tardius, quaeso, carissime», saepius aiebat Hadrianus, Balbum blande admonendo, «tardius, carissime, tardius, inquam, nec ita properanter recites, quia nihil intelligere, vel etiam audire possum». Sed surdo canebat. Tunc, ut maiori occurreret incommodo, cum

(1) Excipe, ut patet, orationem pro omnibus defunctis, pro patre et matre sacerdotis, etc.

Balbo statuit ut psalmis quidem alternative recitatis, ipse solus cetera omnia legeret.

Hinc:

Quaer. 1.° *An praecepto recitandi horas satisfaciat ille qui socium non intelligit, immo saepius neque audit?*

2.° *An praecepto satisfecerint* Balbus *et* Hadrianus?

3.° *An satisfaceret ille qui cum surdo officium persolveret, et an ipse surdus legem adimpleret?*

Solutio:

52.—*R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Satisfacit obligationi suae qui socium non intelligit, quia nulla est obligatio intelligendi, sed recitandi suam partem, et audiendi alteram; secus enim moniales et etiam religiosi multi, linguam latinam non capientes, non satisfacerent: non potest autem iis imponi obligatio impossibilis. Insuper, qui idioma latinum sciunt, obligationem ab aliis diversam non habent: ergo satisfacit qui socium non intelligit, siquidem ea quae ipsemet legit intelligere non tenetur.

2.° Quid vero, si socium tuum ne audias quidem? *Controvertitur.* Alii dicunt te non satisfacere, quia oratio non potest fieri communis inter te et alterum, et proinde idem est ac si dimidiam partem breviarii recitares, nisi submissa voce recites id quod non percipis, vel nisi pars non audita modica sit. *Reuter, Lacroix.* Alii tamen non pauci censent te satisfacere, si attendis quantum potes, et ob defectum chori, vel socii, non percipis quae dicuntur. Sic *Elbel,* n. 446; *Tamburinius, Sporer, Roncaglia,* etc., etc. Ratio eorum est, quia tunc per societatem ipsam, et per tuam attentionem, censeris moraliter communicare in oratione, dum intendis Deo exhibere omnes laudes et preces quas chorus vel socius profert. Hanc opinionem satis probabilem dicit *S. Alph.,* n. 163, ubi haec addit: «Praeceptum enim hoc officii ex benignitate Ecclesiae benigne est interpretandum. E converso, valde erit anxietatibus obnoxium, quod socii in officio semper solliciti esse debeant ad quamnam quantitatem pervenerit omissio auditus, ut teneantur, vel non, repetere».

53.—*R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Balbus *probabilius* satisfecit suae obligationi. Ratio est, quia, cum a puero habuerit linguam blaesam, defectus pronuntiationis videtur potius naturalis quam moralis, nec proinde ad culpam gravem imputari potest. Etenim huiusmodi hominibus balbutientibus tam naturale est verba syncopare, ut generatim aliter facere nequeant. Immo, saepius quo magis recte pronuntiare conabuntur, eo peius pronuntiabunt. Balbus igitur a peccato saltem gravi excusandus videtur, neque quivis alius similis, noxae mortalis reus habendus est, nisi defectus sit certo corrigibilis, et excessus sit enormis. *Elbel,* ibid.; *Gobat, Laymann,* etc.

2.° HADRIANUS quoque satisfecisse censetur, licet valde imperfecte socium audiverit. Ratio patet ex modo dictis. Etenim fecit quidquid moraliter potuit ad BALBUM audiendum, tum aures attentas praebendo, tum etiam socium hunc admonendo, ne citius procederet. Ergo eius recitationem rite sibi fecit communem, seu in oratione cum eo communicavit.

3.° An vero HADRIANUS potuerit solus omnes lectiones et alia omnia, praeter psalmos, legere, altero audiente tantum? — *R. Affirmative.* Socius enim satisfacit, quia haec audiendo sufficienter in oratione communicat, cum iam partem suam psalmorum recitaverit. Hoc praesertim valet in nostro casu, in quo melius est pro utroque ut BALBUS audiat, quam si legat. *S. Alph.*, n. 162, etc., contra *Reuter.*

54. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Satisfaceret sane ille qui cum surdo officium recitaret; quia ex ipsius parte nihil deesset ad debitam recitationem, cum recte pronuntiet et audiat.

2.° Surdus vero minime satisfaceret, quia, nihil omnino audiendo, in oratione communicare non potest. Hinc surdus assistens choro debet omnia submisse recitare. *S. Alph.*, n. 163, quaes. 3, et *alii* contra *Suárez.* Secus vero *probabiliter* dici potest de *surdastro,* seu de eo qui difficulter audit, si attentionem praestet, et audiat in quantum potest, saltem si advertat in breviario ea quae in confuso audit, ita ut bene percipiat ea quae dicuntur. *S. Alph.*, ibid.

CASUS IX

ANCILLA RECITATIONIS SOCIA

NICON, parochus, ex devotione maiori, incommodoque minori, alternatim cum socio aliquo officium divinum recitare solet. Cum autem saepe deficiat alter clericus, horas legit cum *laico,* scilicet TITIO, *sacrista,* qui non intelligit quid ipse proferat, nec attendit quid a sacerdote proferatur. Immo, deficiente *sacrista*, cum MARTHA, ancilla rite edocta, et proprio breviario instructa, chorum instituit, et, alternatim recitando, diurnum pensum persolvit.

HINC:

QUAER. 1.° *An bonus* NICON *valide et licite cum laico et cum femina recitaverit?*

2.° *An tenearis socium adhibere, etiam laicum vel mulierem, si solus officium recitare non valeas?*

SOLUTIO:

55. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° NICON valide recitavit officium cum laico, quia nihil deest ad validam recitationem; neque necesse est ut socius in recitatione praecepto Ecclesiae obligetur. Agit quoque licite

per se, si horas recitet cum viro pio, de modo et ordine recitandi bene instructo. *Reuter*, n. 262.

2.° Valide etiam parochus horas cum ancilla recitavit ob eamdem rationem. Mulieres enim a recitatione officii non prohibentur, siquidem moniales obligatione illud recitandi ligantur. Non tamen laudandus est in hoc NICON noster, quia non videtur decere ut sacerdos mulierem sociam in recitando breviario adhibeat.

56. — *R. ad* 2m *Quaes.* Si horas solus legere nequeas, teneris socium adhibere quando facile aliquem invenis, et commode eum adhibere potes, quia in hoc casu non datur impotentia proprie dicta ad breviarium recitandum. Non teneris tamen aliquem stipendio soluto requirere, quia medium esset extraordinarium. Neque teneris laicum et a fortiori mulierem sociam in hoc casu adhibere, quia nemo ad media extraordinaria et singularia adstringi debet. V. **Comp.**, n. 106.

CASUS X

CAUSAE A RECITATIONE EXCUSANTES 1.°

NAZARIUS, parochus, versus mediam noctem ad aegrotum administrandum advocatus, recordatur se vesperas non recitavisse, easque omittit, ut aegroto succurrat. Idem non raro totum praetermittit officium ob urgentes occupationes, v. gr. ad confessiones excipiendas in vigilia vel die festo, tempore missionis, etc. Iterum, officium quoque omittere solet ex mediocri dolore capitis, etc.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sint causae a breviario excusantes?*
2.° *An* NAZARIUS *legitime fuerit excusatus?*

SOLUTIO:

57. — *R. ad* 1m *Quaes.* Causae a recitatione horarum excusantes ad triplicem classem referuntur, quae sunt:

1.° Impossibilitas, sive physica, sive moralis, quae consistit in difficultate valde gravi officium persolvendi; 2.° caritas erga proximum, id est, gravis et repentina occupatio, quae sine detrimento proximi omitti nequit; 3.° dispensatio legitima, seu a legitimo Superiore, cognita causa, concessa. V. **Comp.**, n. 104.

58. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° NAZARIUS sane legitime excusatus fuit ratione caritatis, seu necessitatis aegroto succurrendi. Sed praecavere debet ne, absque rationabili causa, vesperarum recitationem adeo differat, ut forte, in simili casu, eam omittere debeat.

2.° Non videtur facile excusandus NAZARIUS ex eo quod non raro officium ob urgentes occupationes posthabeat, quia in praxi rari videntur adesse casus in quibus propter negotia pertractanda omitti

possit. Etenim pii sacerdotes, etiam occupatissimi, hac obligatione funguntur, quin res necessario peragendas derelinquant. Si consuetudinem haberet NAZARIUS, maturius, seu primo tempore opportuno, pium pensum persolvendi, difficultates eius plerumque evanescerent. Quare horarum recitationem ad ultimum tempus remittit, velut minoris momenti negotium? «Sed, ait, urgent aliquando confessiones audiendae.» Generatim non valet haec excusatio, quia vesperas recitare facile potest, saltem ordinarie, antequam operi se accingat, et elapsa una vel altera aut tertia hora, facultas etiam dabitur ut matutinum diei sequentis interponat. Qui fit, quaeso, ut innumeri missionarii fere nunquam, neque ob gravissimas occupationes, officium omittant? Attamen *S. Alph.*, n. 156, supponit missionarios quandoque legitime excusatos esse.

3.° Nec valet ultima ratio a NAZARIO adducta, seu ob mediocrem capitis dolorem. Requiritur enim incommodum vere grave ad te ab officio excusandum; dolor autem mediocris grave incommodum non inducit. *S. Alph.*, n. 95.

CASUS XI

CAUSAE A RECITATIONE EXCUSANTES 2.°

LAURENTIUS, sacerdos, iter die quadam molestissimum, per nives et glacies, per avia et devia, pedester incedendo, confecerat, nec tantum temporis reperit quantum ad horas et vesperas recitandas requirebatur. Tandem, maxime defatigatus ac viribus debilitatus, cum circa horam nonam noctis pervenisset ad aliquod hospitium, et corpus nonnihil refecisset, somno obrutus, quieti sese dedit, ratus se melius facturum dormiendo quam horas somnolenter recitando et, sine omni prorsus devotione, percurrendo. Postea tamen stimulis conscientiae exagitatus fuit, quia mane, antequam itineri se committeret, hanc officii partem recitare potuisset. Rem confessario aperit, ab eo postulans an peccaverit, et quid in simili casu alia vice esset sibi faciendum?

HINC:

QUAER. 1.° *An* LAURENTIUS *graviter peccaverit, partem officii omittendo; seu, an fuerit a recitatione sufficienter excusatus?*

2.° *Si sacerdos, ludo vel confabulationibus detentus, distulisset officium hac die recitandum et cenam usque ad horam 11 1/2 noctis, possetne omittere officium ad cenandum?*

SOLUTIO:

59. — *R. ad* 1^m *Quaes.* LAURENTIUS, praevisa difficultate, debuisset integrum diei officium recitare antequam iter susciperet; tunc enim

datur obligatio anticipandi, eadem currente die; si id facere non potuit summo mane ante discessum, iter agendo peragere debuit, saltem per partes, sive consistendo, sive incedendo. Si vero neque mane, neque decurrente die, id praestare potuit, suadendum quidem ei erit ut naturae lassatae vim inferat, antequam quieti nocturnae se committat, et tributum Deo debitum persolvat. Attamen ad hoc obligandus non videtur. Ratio est, quia stante tanta defatigatione, LAURENTIUS sine maxima difficultate horas recitare non potest; quod autem fieri nequit sine permagna difficultate, est moraliter impossibile: atqui Ecclesia, pia mater, non vult obligare filios ad id quod est moraliter impossibile; ergo... *Elbel,* n. 452.

60. — *R. ad* 2m *Quaes.* Nequaquam. Ratio est, quia obligatio recitandi pensum canonicum adhuc currit, et potest adhuc impleri. Nec adest ratio cur Ecclesia tali sacerdoti indulgeat. Si enim tantum temporis concedere potuit ludo vel mundo, quidni etiam partem horae Deo non consecraret? quare obligationem tanti momenti adeo distulit? Nonne aequum est, ut aliquam poenam de sua tam gravi incuria subeat? Si vero die sequenti Missam serius ex officio celebrare debeat, et huic oneri impar sit, nisi cena refectus fuerit, tunc ei indulgendum est ut aliquid manducet, antequam breviarii recitationem aggrediatur; secus enim, hora duodecima interveniente, remanere deberet incenatus et ieiunus, donec Missam celebravisset. De cetero, si antea animadverterit se periculum incurrere ne breviarium ob impotentiam absolvere posset, iam peccavit dum ludo indulgere perrexit.

61. — *Obiicies:* Ille qui improbo labore se adeo defatigavit, ut nequeat sine magna difficultate abstinere a cena die ieiunii, non peccat cenam integram sumendo: ergo nec talis sacerdos tenetur cenam relinquere, et huius loco breviarium recitare.

Resp. Nego cons. et paritatem, quia prior supponitur ita debilitatus ut nequeat sine magna difficultate abstinere a cena; dum sacerdos de quo agitur, cum potuerit sine tanta difficultate ludere aut confabulari usque ad seram noctem, poterit etiam recitare breviarum per mediam horae partem, vel forte minus, si minor pars officii recitanda sit, et reliquum tempus, si supersit, refectioni corporis concedere. *Elbel,* nn. 454 et 455.

* CASUS XI *bis*

DE NEGOTIATIONE CLERICIS INTERDICTA

GENESIUS, sacerdos, fratri suo ADALBERTO, viro laico, magnam pecuniae quantitatem tribuit, ut eam impendat in commercium vini instaurandum, ea lege ut dimidia lucri pars ipsi GENESIO obtingat. Item GENESIUS nomine proprio plures *actiones* possidet societatis anony-

mae ad vias ferreas, multasque *obligationes;* easque vendere solet dum carius emuntur; novasque opportuno tempore emit. Quae cum suo exponat confessario, obligatur ad quaecumque lucra sic percepta Camerae Apostolicae spoliorum subiicienda.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit negotiatio clericis interdicta?*

2.° *An liceat clericis tum* obligationes, *tum* actiones *acquirere, sive ad constituendam societatem, sive societate iam constituta, etiam si societas sit commercialis?*

3.° *An liceat negotiari circa ipsas actiones vel obligationes?*

4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

61 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes.* Clericis omnibus saltem in *sacris,* et omnibus beneficiatis, nec non omnibus regularibus utriusque sexus interdicitur (*per se* sub gravi) negotiatio *quaestuosa,* qua res ea intentione emitur ut carius vendatur *non mutata.* Etiam prohibita ipsis est negotiatio *industrialis,* si res empta *non proprio labore* sed per operarios conductos est *transmutanda,* ut carius vendatur.

Clerici nec *per alios,* nec pro aliis, vetitam negotiationem exercere possunt. Bened. XIV, Const. *Apostolicae servitutis,* 25 febr. 1741.

61 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Certum omnino est licere hodie clericis accipere *obligationes* quarumcumque huiusmodi societatum: hoc enim nihil aliud est quam mutuo pecuniam dare, quod clericis non interdicitur.

2.° Quoad *actiones* acriter *controvertitur,* sed *probabilis* est sententia *affirmativa,* tam si agatur de actionibus societatum industrialium quam commercialium; tam societatum erectarum, quam erigendarum: dummodo clericus nullam partem habeat in agendis negotiis societatis, ideoque conventibus generalibus sociorum, in quibus negotia aguntur, non intersit (nec per se, nec per alium illius nomine). Tunc enim nequit dici quod negotietur *per se,* ut patet; nec *per alium* in sensu prohibito, *cum efficaciter non influat in negotiationem* (1). Contrarium tamen tenent *Brabandère,* Iur. can. comp., n. 544, et *plures alii. Wernz,* l. c., vol. 2, n. 219, nostram sententiam admittit quoad *aliquas* societates *industriales,* negat vero quoad reliquas, et a fortiori quoad *commerciales. Villada,* Casus, vol. 3, p. 66 seq.,

(1) Ita *Sanguineti,* Iuris eccles. instit., n. 220; *Aichner,* Comp. iur. eccles., § 73, nota 5; *Bargilliat,* Prael. iur. can., n. 371; *Mocchegiani,* Iurisprud., vol. 1, n. 1585; *Aertnys,* lib. 5, n. 70; *Tanquerey,* n. 102; *Melata.* Man. Theol. mor., p. 163; *Palmieri,* (in adnot. edit. rom. P. Gury); *Génicot,* 2, n. 41, IX; *Icard,* Praelect. iur. can. in Sem. S. Sulpitii, n. 356; *Zitelli,* Apparatus iur. eccles., lib. 1, tit. 2, cap. 6, a. 1, d. 2; *Laurentius,* Inst. iur. eccles., n. 116, etc.

praes. p. 74 (ed. 1) id concedit quoad omnes societates *industriales*, negat quoad *commerciales*, etc. — *Berardi*, Praxis, 3, n. 511, videtur id concedere etiam pro societatibus commercialibus, nisi de societate *constituenda* agatur.

Consilium tamen esse potest ut clericus actiones non emat, quae emittantur ad novam societatem erigendam; propter *speciem* nimiae lucri cupiditatis. V. **Comp.**, n. 116 seq.

R. ad 3m *Quaes. Neg.* ad utrumque, saltem si habitualiter fiat, ut patet ex dictis ad 1m quaes.

61 *c.* — *R. ad* 4m *Quaes.* GENESIUS graviter peccavit vetitam negotiationem exercendo, licet *per alium*, i. e. per fratrem (cum quo, ut patet, verum societatis contractum inivit) hoc fecerit. Nullum peccatum admisit, *saltem probabiliter*, actiones et obligationes emendo societatis anonymae ad vias ferreas; sed peccavit graviter negotiationem circa eas exercendo, saltem si id frequenter egerit. V. **Comp.**, l. c.

Confessarius vero in omnibus errat: 1.° quia GENESIUS licite percepit lucrum ex pensionibus pro actionibus et obligationibus societatis ad viam ferream.

2.° Quia etsi GENESIUS peccavit, sive negotiationem per fratrem exercendo, sive etiam actiones et obligationes emendo ut carius eas vendat, lucrum tamen inde proveniens iniustum non fuit: restitutio autem Camerae Apostolicae facienda, est poena quae respicit bona acquisita per illicitam negotiationem, quae exstant *post mortem* ipsius clerici; nec tunc obligat, nisi post iudicis sententiam. Cfr. *Wernz*, l. c.

CASUS XII

PAROCHI MUNUS 1.°

1.° DYDIMUS, parochus, de contionibus habendis parum sollicitus, a contionando per mensem abstinuit. Alias, per duodecim festa interrupta intra annum praedicare omisit. Alias, putavit se obligationi docendi doctrinam christianam satisfacere, si plerumque tale munus per vicarium, seu adiutorem valde idoneum, id praestaret.

2.° NICEPHORUS, paroeciae rector, singulis diebus dominicis in Missa sollemni contionem ad populum habet, seriam quidem et concinnatam, sed quartam horae partem non excedentem. Expleto autem vespertino officio, rudimenta doctrinae christianae pueros vix per semihoram docet. Conscientiae stimulis agitatus, postulat utrum officio suo satisfecerit?

3.° MUTIUS, vicinam regens paroeciam, productas immo et prolixas habet contiones, omissa praevia praeparatione. Frequenter invehitur contra vitia subditorum, sive vera sint, sive supposita, ac imprimis

contra detractionem et calumniam, si audiverit quosdam de ipso male locutos fuisse.

HINC:

QUAER. 1.° *An graviter peccaverit* DYDIMUS, *praedicationem omittendo, prout in primo casu?*

2.° *An* NICEPHORUS *muneri suo satisfecerit in secundo casu?*

3.° *Quid de* MUTIO *dicendum in tertio casu?*

SOLUTIO:

62. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Iuxta multos graviter peccavit DYDIMUS, praedicationem per mensem continuum omittendo. Ratio est, quia omnes parochi tenentur diebus *dominicis* ac aliis *festis* de praecepto verbum Dei populo nuntiare consueta homilia, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia (can. 1344, § 1). Atqui in omissione praedicationis per mensem integrum et continuum (aut per tres menses discontinuos, seu in annum divisos) datur materia gravis, siquidem tempus illud notabile reputari debet. Ita *S. Alph.*, lib. 3, n. 269; *Marc,* n. 2269; *Tanquerey-Quévastre,* n. 712. Ergo revera DYDIMUS graviter peccavit in primo casu. Attendendum est etiam ad statuta synodalia, quae saepe hac in re modum et tempus praescribunt. P. *Lehmkuhl,* n. 820 (alias 645), putat grave peccatum saltem haberi si praedicatio omittatur per duos menses continuos aut notabiliter ultra tres discontinuos. Cfr. etiam *Villada,* Casus, vol. 3, n. 13. — Sunt tamen auctores, etsi pauci et non satis gravibus innixi rationibus, ut *Ball.-P.*, vol. 4, n. 505; *Génicot*, Instit., 2, n. 68, et Casus, tr. 10, sect. 2, cap. 3, 1.°, quibus probabile videtur requiri ad peccatum grave omissionem per tres menses *continuos*, aut (cfr. *Génicot*, Casus, 2, tr. 10, sect. 2, c. 3, § 4, cas. 4) per quattuor menses discontinuos.

2.° Etiam in secundo casu, peccati mortalis reus evasit, iuxta communem sententiam. Etenim, si mensis integer continuus est materia gravis, ut modo dictum est, a fortiori materia gravis censeri debent duodecim festa intra annum interrupta. — At in mitiori sententia dubium saltem esset an graviter peccaverit.

3.° Erravit etiam DYDIMUS, dum putavit satis esse si munus praedicandi vicario idoneo committeret; obligatur enim ipse personaliter oves suas pascere saltem saepissime, nisi rationabili causa ab Ordinario probata impediatur. Constat ex Cod., can. 1344, § 2: «Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam». Cfr. etiam Conc. *Trid.*, sess. 5, c. 4 de ref. — Ex can. autem 1329: «Proprium ac gravissimum officium, pastorum praesertim animarum, est catecheticam populi christiani institutionem curare». Immo ex can. 1332: «Diebus dominicis aliisque festis de praecepto, ea hora quae suo iudicio magis apta sit ad

populi frequentiam, debet insuper parochus catechismum fidelibus adultis, sermone ad eorum captum accommodato, explicare». Hoc munus catechizandi debet etiam parochus exercere *personaliter,* nisi legitime impediatur (1).

Ergo DYDIMUS non satisfacit obligationi suae, si continuo, decurrente anno, munus suum per alium exerceat. Vide *S. Alph.,* De quarto praec.; et **Comp.,** n. 130. — Si tamen hic alius idoneus esset, peccatum DYDIMI non videtur esse grave, sed leve tantum. *Génicot,* Casus, l. c., 3.°

63. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Non videtur inquietandus NICEPHORUS ratione praedicationis, quia licet breviter dicat, solide tamen populum docet. Immo in multis locis parochus aliter facere non potest, quin auditores a contionibus deterreat.

2.° Iuxta const. *Acerbo nimis,* muneri suo non satisfacit, doctrinam christianam per semihoram singulis dominicis ac festis docendo, quia per integrum horae spatium docere debet (a. 1) et quidem *per se* ipsum. Cfr. *Ferreres,* La enseñanza del catecismo, n. 29 seq.

64. — *R. ad* 3m *Quaes.* Quid de MUTIO dicendum? Multa forent contra ipsum dicenda, quia ipse nimis multa dicit, quae verbi divini praedicatori non expediunt. Licet prolixe loquatur, plebem tamen non instruit. Minime est in conscientia tutus, cum absque praevia praeparatione, vel saltem seria meditatione, pulpitum sacrum ascendat, verba vaga, confusa, prolixa, incohaerentia facturus. Plus aequo etiam in vitia, non solum publica, sed et privata, modo increpatorio, potius quam vero animarum zelo, invehitur. Ut quid insuper, o sacerdos imprudentissime! quae tua sunt inter contionandum requiris? Ut quid alludis ita patenter iis quae contra teipsum dicta sunt, dum solo zelo divinae gloriae et animarum salutis, tui ipsius immemor, excitari deberes?

CASUS XIII

PAROCHI MUNUS 2.°

1.° PHILETUS, parochus, extra tempus paschale confessiones paroecianorum audire abnuit, nisi prima cuiusque mensis dominica, modo tamen festum sollemne interea non occurrat.

2.° PHILONICUS, etiam animarum pastor, in loco insalubri degens, et saepe capite laborans, non monito Episcopo, sed relicto, sui loco, sacerdote idoneo qui eius vices supplere valeat, solet mensibus iulio et augusto abesse, et in alio loco non procul distanti, sed salubriori

(1) Innoc. XIII, Const. *Apostolici ministerii,* § 2; Conc. Prov. *Vallisol.,* p. 6, tit. 7, § 3, n. 1; *Wernz,* Ius Decret., vol. 3, n. 45. Cfr. *Ferreres,* La enseñanza del catecismo, etc., n. 29 seq.

commorari. Praeterea, saepe tota die discedit, nullo ibi idoneo sacerdote relicto, certus tamen nullum infirmum in paroecia tunc temporis reperiri.

HINC:

QUAER. 1.° *An* PHILETUS *possit indicere raros dies ad confessiones excipiendas, praesertim si vicarium habeat?*

2.° *An* PHILONICUS *abesse queat, prout in secundo casu?*

SOLUTIO:

65. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Nequaquam. Pastor enim se debet praebere plerumque ovibus suis pascendis. Fideles igitur omnimoda libertate gaudere debent parochum ipsum adeundi. Quot paroeciani a confessione arcerentur, si una die per mensem tantum ad parochum accedere valerent! Numquid, aliis etiam temporibus, gravi necessitate spirituali premi nequeunt? Et etiam, stante mera utilitate, nonne ius habent ut generatim audiri, atque ad Sacramenta admitti possint? Pastor sui non est, sed Dei, Ecclesiae, gregis.

66. — *R. ad* 2^m *Quaes.* 1.° PHILONICUS abesse nequit, prout dicitur in primo casu, licet capite laboret, et idoneum vicarium, sui loco, relinquat. Ratio enim illa non sufficit ad excusandum a residentia, non monito Episcopo, etenim ex can. 465, § 4, «cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus, praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii scriptam licentiam et vicarium substitutum sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum; quod si parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris, et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet». Constat etiam ex decretis a S. Congr. datis anno 1573 et 1646, iuxta Conc. *Trid.* mentem. Cfr. etiam Conc. Pl. **Amer. lat.**, n. 259, et *Mach-Ferreres,* Tesoro del Sacerdote, vol. 2, n. 113 seq.

2.° Bene potest autem PHILONICUS abesse die integra, immo et altera, absque licentia Episcopi, modo idoneo vicario paroeciam commendet. Quoad triduum *controvertitur.* Immo iure particulari caveri solet ne unquam discedant neque ad duos tresve dies sine licentia saltem archipresbyteri seu vicarii foranei. Conc. Plen. **Amer. lat.,** n. 259; Conc. Prov. *Vallisolet.*, part. 2, tit. 12, n. 7. Cfr. *Mach-Ferreres*, l. c.

In **Philipp.**, pro absentia a biduo ad 14 dies sufficit et requiritur licentia vicarii foranei. C. **Manil.**, n. 303.

An vero vicarius, constitutus pro parochi absentia unius vel alterius diei, residere debeat in ipsa paroecia, vel sacerdos versans in paroecia vicina parum distanti supplere possit? Hoc posterius tantum ex praxi sat generali videtur teneri posse, nisi Episcopus prohibeat. Hac autem in re, specialiter ad statuta synodalia attendendum est. V. **Comp.,** n. 127.

CASUS XIV

ADIUTORIS PAROCHI MUNUS

CORRADUS, parochi adiutor, seu vicarius, non monito parocho, a residentia non raro discedit ad unum aut plures dies. Quondam, cum ab amico sacerdote extraneo inviseretur, dum esset domo in ecclesiam profecturus, tum ad puerum baptizandum, tum ad matrimonium benedicendum, ut illi morem gereret, utrumque munus eidem commisit. Mortuo autem parocho suo, ipse omnia officia pastoralia peragere perrexit, confessiones excipiendo, baptizando, sponsos benedicendo, etc.

HINC:

QUAER. 1.° *An vicarius discedere possit, etiam ad breve tempus, non monito parocho?*

2.° *An alium sacerdotem delegare possit?*

3.° *An mortuo parocho, omnes functiones sacras, ut antea, obire valeat?*

SOLUTIO:

67. — *R. ad* 1m *Quaes. Nego,* quia ratio recti ordinis et etiam necessitatis requirit ut ipse parochus non discedat a paroecia, vicario non monito, qui parochum, casu occurrente, supplere possit; a fortiori igitur, si de vicario agatur, siquidem sub quadam pastoris tutela constituitur. Sic etiam declaratum fuit a S. Congr. Conc. Vide *Analecta Iuris Pontificii,* tom. 3, quat. 46, p. 372.

Statuta particularia decernere solent vicarium ex aequa causa et de licentia parochi posse discedere ad 1-3 dies (Conc. Prov. *Vallisolet.*, part. 2, tit. 13, n. 4); pro maiori absentia requiritur licentia archipresbyteri (Ibid.) aut Ordinarii (Conc. Plen. **Amer. lat.**, n. 274; Conc. Prov. *Burg.*, part. 2, tit. 18, n. 2). Cfr. *Mach-Ferreres*, vol. 2, n. 116.

68. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirmative.* Nulla quidem difficultas ratione baptismi, cum minime de validitate, sed de mera licitate agatur. Quoad matrimonium *per se* nequit vicarius eisdem assistere valide absque parochi vel Ordinarii delegatione. Hanc disciplinam vigere in Belgio testatur *Feije,* De imped. et dispensat., n. 66. Idem testatur *Bangen* quoad dioecesim monasteriensem, et *Gasparri* quoad parisiensem. Multo igitur minus poterit alium sacerdotem subdelegare, si ipse delegatus non sit. Cfr. *Wernz,* Ius Decretal., vol. 4, n. 176, nota 175.

Attamen in *quibusdam Galliae* dioecesibus videtur vigere consuetudo, vi cuius vicarius censetur delegatus ad assistendum matrimoniis cum potestate subdelegandi.

In **Hispania** generatim coadiutores nequeunt assistere matrimo-

niis, nisi ex speciali parochi delegatione. Nihilominus iis in regionibus, in quibus existunt coadiutoriae filiales cum territorio proprio et separato a territorio matricis, cum proprio fonte baptismali, etc., solent Episcopi huiusmodi coadiutoribus concedere facultatem administrandi omnia Sacramenta; quod ex instrumento nominationis vel ex recepta consuetudine generatim erui debet. Aliquid simile statutum est in dioecesi *santanderiensi*.

Pro archidioecesi *valentina* in **Hispania** haec statuta sunt expresse ab Archiepiscopo, 14 febr. 1902: ut scilicet coadiutores, habentes: *a)* territorium proprium et distinctum a territorio matricis, *b)* fontem baptismalem, pariter proprium, et *c)* proprium coemeterium, possint valide assistere (intra limites sui territorii tantum) matrimoniis eorum qui domicilium habent aut quasi domicilium in illo territorio ecclesiae filialis (quod etiam, ut patet, possunt parochi matricis); reliqui vero coadiutores id non possunt absque *speciali* delegatione. Cfr. *Arreglo parroquial del Arzobispado de Valencia*, p. 149 seq. praes., n. 6 seq.

In *toledana* archidioecesi necnon in dioecesi *urgellensi* omnes omnino coadiutores indigent speciali delegatione ut valide matrimoniis assistant. Litterae Card. Sancha, 17 sept. 1900, disposit. 5.ª (*Boletín eclesiástico del Arzobispado de Toledo,* ann. 54, n. 26, p. 538; *Boletín of. del Ob. de Urgel*, ann. 49, n. 10, p. 383). — *Specialis* etiam delegatio requiritur in dioecesi *segobricensi* (cfr. Instr. Ilmi. Episcopi, aa. 6.° et 12.°, apud *Elías de Molins*, Manual de Derecho administrativo, cap. 9, sect. 3, pp. 131, 132) et in *Abulensi* (*Arreglo parroquial del Obispado de Avila,* p. 26).

Igitur in iis tantum regionibus, in quibus ab Episcopo vel parocho accipiunt coadiutores facultatem assistendi matrimoniis *cum potestate subdelegandi,* poterunt eam alii sacerdoti *determinato* et ad matrimonium *determinatum* subdelegare. V. **Comp.,** n. 1075, q. 2.

Parochus et Ordinarius dare possunt licentiam assistendi, sed *expresse, sacerdoti determinato,* ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est (can. 1096, § 1).

69. — *R. ad* 3^m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia *communiter* vicarii omnem delegationem ab ipso Episcopo accipere censentur. Ergo, non obstante parochi morte, vicarius omnes functiones sacras *sicut antea* obire potest, nisi Episcopus contradixerit. Igitur si antea poterat absque parochi delegatione assistere matrimoniis, etiam mortuo parocho id poterit; non autem si tantum ex parochi delegatione hoc munus illi competebat. Attamen si ex lege dioeceseos, mortuo parocho, vicarius aliquis eo ipso munus vicarii paroecialis (seu oeconomi) accipiat donec aliud Episcopus statuat, tunc omnia munera parochi exercere potest ex can. 451, § 1.

CASUS XV

CONFESSARIUS INTRICATUS!

Seu de libera confessarii electione

LIBORIUS, sacerdos, renuit confessionem BERTHAE audire, non obstantibus iteratis eius precibus... Sed quare, quaeso? Numquid deficit in eo zelus, caritas, pietas? Numquid aliquo rancore movetur? Minime gentium. Quare igitur? Rem tibi subiiciam: renuit eam audire, quia novit eam solere ALBINO confiteri, et ipsum ALBINUM paenitentibus suis, praesertim mulieribus, adeo adhaerere, ut, siquando ab aliqua deseratur, id aegerrime ferat, perinde ac si pupillam oculi sui erutam cerneret. Proinde valde reformidat ne socium graviter contristet, et ne ipse ab eo in posterum oculo torvo aspiciatur.

HINC:

QUAER. 1.° *An recte* LIBORIUS *egerit? seu an potuerit repellere paenitentem, ne* ALBINO *eius confessario vel etiam parocho, displiceat?*

2.° *Quid de* ALBINO *et aliis huiusmodi sentiendum?*

SOLUTIO:

70. — *R. ad* 1m *Quaes.* Minime laudandus est LIBORIUS, saltem *per se,* ex eo quod paenitentem alterius admittere noluerit. Ratio est: 1.° quia ALBINUS in hac sua generali ratione agendi male agit, libertatem confessionis fidelibus adimendo, et LIBORIUS ipsi connivere videtur; 2.° quia non raro, gravi de causa, duci possunt paenitentes ad mutandum confessarium. Minime igitur LIBORIUS attendere debebat ad oculum torvum socii, neque ad eius indebitam, immo et stultam tristitiam. Nec temperanda foret haec solutio, si ALBINUS non simplex LIBORII socius sed eius parochus esset. Attamen prudenter aget LIBORIUS, si perpendat rationes quibus paenitentes ad mutandum confessarium ducuntur. Quod si animadvertat id fieri ex inconstantia, levitate, inoboedientia, enixe et *blande* eos *adhortetur* ut ad suum confessarium redeant, et se ipsi subiiciant; si obtemperare nolint, eos quidem excipiat, sed caute et prudenter cum eis agat: non pauci enim confessarii a novis paenitentibus decipiuntur.

71. — *R. ad* 2m *Quaes.* Damnandus est ALBINUS, quia paenitentes suos exuit libertate conscientiae, qua ab ipso Christo donati sunt, ut eos ferrea catena sibi devinciat, sicque causa est cur tot sacrilegia, defectu integritatis, in confessione patrentur. Damnandus est, quia invidia in tam sacro ministerio regi et moveri videtur, dum unice ad

gloriam Dei et animarum sanctificationem promovendam attendere deberet (1).

Nonne vides o ALBINE! hanc tuam agendi rationem ab aliis intelligi, circumferri, vituperari, despici? Ecce! gregis tui pecora ad alia pascua dilabuntur! Quo maiori autem conatu et clamore satagis ea cohibere ac reducere, eo maiori impetu huc et illuc disperguntur. Sine, quaeso, pro divino amore, oves tuas interdum alios adire, si cupiant, et libentius redibunt. Verum, etiamsi in alieno ovili commorarentur, numquid tibi lugendum erit? Numquid indissolubili vinculo tibi sunt desponsatae? Numquid eas velut oves perditas conclamare debebis? Cures in posterum ut oves tuas soli iugo Christi devincias et eas teque ipsum salvabis. Audi hac de re divum *Thomam:*

«Ad sextum, dicendum quod in hoc quod oportet confiteri proprio sacerdoti, non arctatur via salutis, sed sufficiens ad salutem via statuitur. Peccaret autem sacerdos, si non esset facilis ad praebendam licentiam confitendi alteri; quia **multi sunt adeo infirmi, quod potius sine confessione morerentur, quam tali sacerdoti confiterentur.** Unde illi qui sunt nimis solliciti ut conscientias subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, et per consequens sibi ipsis». *S. Thom.,* in 3 lib. Sent., dist. 17, q. 3, a. 3, ad 6^{m}.

Quid igitur sentiendum de confessariis, qui aegre ferunt si paenitentes alios confessarios interdum adeant, et de illis qui *selecta ac exquisita grana spargunt cum intentione alienas columbas alliciendi?* Nescio an in tam praeclaro ac divino munere nempe animas in caelestem patriam deducendi, tantum Dei laudem, fideliumque salutem quantum propriam gloriolam requirant. Nescio an *spargant cum Christo Domino,* vel num potius, motivo mere humano ducti, *dispergant.* Nescio an vero animas salvandi zelo, vel potius animo turpis invidiae, aut inanis superbiae moveantur. Quare enim tantum gregem paenitentium congregare ambiunt? Quare adeo moleste ferunt, si a nonnullis, praesertim conspicuis, deserantur? Respicite, o confessarii, animas sanguine Christi intinctas, et omnis sensus naturalis et humanus a vobis procul erit, et libertas a Christo Domino concessa a vobis non coarctabitur.

---

(1) Querer encadenar a su confesonario a todos sus parroquianos, mostrarse resentido con los que se separan, *spargere grana exquisita loco granorum communium cum intentione attrahendi columbas vicinorum,* ¡qué pequeñez y qué origen de sacrilegios! ¿Qué diría ese sacerdote si a él le negasen la libre elección de médico o confesor? ¿Cree ser más sabio, dice *San Francisco de Sales,* que el Concilio de Trento, que quiere que *bis aut ter in anno* se conceda un confesor extraordinario a las religiosas? ¿O son quizás las religiosas más sospechosas que los demás? *P. Valuy,* Manual del sacerdote en ejercicios.

CASUS XVI

CANONICORUM OBLIGATIO

1.° BECANUS, canonicus, saepe abest non solum a sociorum religiosis conventibus, sed etiam, absque ulla Capituli vel Praelati licentia, ab urbe episcopali, immo ab ipsa dioecesi, tum ad negotia pia peragenda, tum ad animum relaxandum quolibet anni tempore. Non existimat se ullius culpae reum esse, cum tres menses vacationum a Concilio Trident. canonicis concessos non praetergrediatur.

2.° MITIVIUS parvis horis in choro persolvendis ordinarie non intervenit, ut studio indulgeat. Non raro in ceteris horis voce demissa officium legit, quia numero sufficientes adsunt alii cantantes, sive canonici, sive alii stipendio conducti, nec tunc partem ab adverso choro persolutam recitat, sed audit tantum. Aliquando officium divinum cum aliis decantans, submissa voce non legit psalmorum aut hymnorum versiculos qui sollemniter cum organo canuntur.

HINC:

QUAER. 1.° *Quatenus abesse possint canonici sive a choro, sive a residentia? et quid de* BECANO *statuendum?*

2.° *An vel quomodo peccaverit* MITIVIUS *non interveniendo choro pro horis minoribus recitandis, vel officium submissa voce legendo, prout in secundo casu?*

SOLUTIO:

72. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Canonici *cotidiano choro adstricti,* abesse possunt sive a choro, sive a residentia, absque speciali ratione, seu ad meras vacationes per tres menses, decurrente anno, sive continuos, sive interruptos, modo ecclesiae suae statutis aut consuetudine tempus illud restrictum non fuerit. Sed vacatio ista incidere non debet, sine causa legitima et speciali Episcopi licentia, in tempus *Adventus, Quadragesimae,* neque in festa *Paschae, Pentecostes, Nativitatis Domini* et *Corporis Christi* (can 418, § 2). Canonici autem simul abesse nequeunt ultra tertiam Capituli partem. Si limites dioecesis excedere velint, licentiam ab Episcopo petere debent; secus nulla facultate indigent. *Mach-Ferreres,* vol. 1, n. 103. V. **Comp.,** n. 139.

2.° BECANUS ex dictis iudicandus est. *Per se* non est inculpandus, scilicet ratione absentiae, quae ultra tres menses non producitur. Sed ad exceptiones et restrictiones modo memoratas sedulo attendendum est.

73. — *R. ad* 2m *Quaes.* MITIVIUS, in praefatis casibus, minime

obligatione suae satisfacit. 1.° Peccat non interveniendo parvis horis in choro persolvendis; nec ratione studii, ab illa obligatione excusari potest.

2.° Peccat recitando officium demissa voce, licet cum aliis in choro assistat; quia canonicus, in quantum moraliter potest, cantare debet. Neque excusatur ex eo quod adsint alii ad chorum sufficientes; quia non satis est ut chorus haberi possit, sed requiritur ut singuli canonici pensum suum persolvant.

3.° Quid de hoc, quod suam partem submissa voce recitet, et alteram audiat tantum? — *Resp.* Si ageretur de choro in genere, *probabiliter* satisfaceret, quia per chorum videtur sufficienter communicare cum aliis in orationibus; sed hoc admittendum non est de canonicis, qui, si non canunt, amittunt distributiones cotidianas. Cfr. *Ferreres,* in ephem. *Razón y Fe,* vol. 2, p. 259, n. 68, auctoresque ibi citatos; necnon *Mach-Ferreres,* vol. 1, n. 103, *a*).

4.° Neque satisfacit MITIVIUS, omittendo recitare submissa voce ea quae a nemine assistentium pronuntiantur; etenim nulla est communicatio moralis in recitatione, vi cuius liceat illi partem suam tantum pronuntiare. Deberet saltem aliquis clericus deputari, ut, nomine omnium canonicorum, alta voce recitaret ea quae cum organo canuntur, ut rubrica praescribit.

* CASUS XVI *bis*

DE RESIDENTIA CANONICORUM

TITIUS, canonicus in Hispania, ita assistit choro ut singulis diebus per mensem integrum, duabus tantum horis canonicis praesens sit. In fine mensis accepit quidem omnes totius mensis fructus, et praeterea distributiones respondentes illis duabus horis, sed dictum est ei mensem integrum ei computandum fore non ut mensem servitii sed ut mensem vacationum. Ast ille non acquievit, sed die sequenti perrexit in suam villam extra dioecesim vacationis gratia, ibique remansit per tres menses, non obstantibus monitionibus Praesidis Capituli. Regressus ad suam residentiam postulat fructus huius tertii mensis, sed respondetur eum utpote illegitime absentem eos ipso facto amisisse ad normam can. 2381. Ille vero dicit ex consuetudine centenaria, immo immemorabili, mensem illum, quo ipse adstitit choro per duas horas singulis diebus, sibi computandum esse ut mensem servitii et ita ut omnes fructus cotidianos suos faciat: ideoque legitime usum esse tribus vacationum mensibus, in quibus ipsi fructus debentur, eo vel magis quod ex tribus hisce mensibus, per unum, qui fuit secundus, ipse infirmus fuit, ideoque excusatus a choro et cum iure percipiendi non solum fructus sed etiam distributiones; aliunde se non posse fructibus

privari nisi accedat saltem sententia declaratoria, semperque sibi relinquendos esse fructus respondentes recitationi privatae, cui fideliter cotidie satisfecit.

HINC:

QUAER. 1.° *Utrum sustineri, vel tolerari, possit centenaria et immemorabilis hispanica consuetudo lucrandi fructus praebendae cotidianos, etiamsi una tantum vel duabus horis canonicis praebendatus choro assistat in die naturali vel liturgico?*

2.° *An ille mensis debuit* TITIO *computari ut mensis servitii, an vero vacationum?*

3.° *An infirmitatis tempus computandum sit inter menses servitii choralis, an vero inter menses vacationum?*

4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

73 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes. Negative* (S. C. Conc., 10 iul. 1920: *Acta,* XII, pag. 357-365). Ratio est, quia talis consuetudo reprobatur canone 418, ubi legitur: «Reprobata contraria consuetudine, canonici ac beneficiarii cotidiano choro adstricti, possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive interpolatos», etc. Vi illius consuetudinis vel potius corruptelae possent abesse ultra tres menses.

73 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Ut mensis vacationum (S. C. Conc., 10 iul. 1920). Idque confirmatur ex resolutione S. C. Conc. *in Aquilana* (deducitur ex lib. VIII Decret., fol. 92 vers., cit. a Bened. XIV, l. c., n. 37), 17 iun. 1594, iuxta quam, non sufficit aliquem puncta seu assistentias ita addere, ut in fine anni toties choro astiterit, ut simul 265 integris diebus aequivaleant; sed 265 dies singuli in se completi esse debent. Unde, si canonicus hodie in choro adest tempore Missae et ad horas minores, reliquis sine iusta causa praetermissis; et crastino die (omissis ex negligentia Missa et horis minoribus) vesperis, completis, matutino et laudibus tantum assistat, non ei licebit, assistentiis utriusque diei simul iunctis, eas tanquam diem integrum servitii computare. Ergo a fortiori ei licitum non erit tanquam duos dies ipsas computare. Itaque, ut computus, non per dies integros, sed per additionem actuum assistentiae fiat, opus est privilegio apostolico.

Ideoque, nequidem licitum erit vacationes per horas sumere, ita ut additis absentiis omnibus eae nonaginta dies non excedant; immo interdum non aequent; sed absentiae totales vel partiales intra solos nonaginta dies distribui debent, ita ut in reliquis diebus singulis servitium integre fiat. Cfr. *Pallottini,* 5, pag. 179, n. 198 seq.

Aliunde certum est in iis diebus, quibus solum alicui vel aliquibus

horis quis assistit, pro ceteris horis (si dies inter vacationes non computaretur) non solum distributiones, sed etiam fructus annuos pro rata *ipso facto* amissurum. — Hinc tales dies ut vacationis computandos esse patet; atque ita bonae conscientiae absentis consulitur; aliter enim in eo supponenda est culpa contra suum officium choro assistendi. Cfr. *Ferreres,* Inst. can., vol. 1, n. 708, et apud *Razón y Fe,* vol. 58, pag. 456 seq.

73 *c.* — *R. ad* 3m *Quaes.* Si infirmitas incidat tempore servitii choralis, excusat a choro et tempus computatur ut servitii choralis, prout patet ex can. 420, 5.°; si vero incidat tempore vacationum, v. gr. in loco valde remoto ab ecclesia chorali, tunc computatur inter dies vacationum. Quia in casu ratio cur impeditur ab assistentia chorali non est infirmitas, sed vacationes. Cfr. *De Herdt,* Praxis capit., c. 28, § 10; ibique *Fagnano* qui affert annot. S. C. Conc.

73 *d.* — *R. ad* 4m *Quaes.* Titius, ut ex dictis patet, fuit illegitime absens tertio illo mense, ideoque incidit *ipso facto* in privationem omnium fructuum, quin opus sit sententia declaratoria (S. C. Conc., 10 iul. 1920). Nec retinere potest fructus respondentes privatae recitationi, quia vi can. 2381: «eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii pro rata illegitimae absentiae». Ergo si privatur omnibus fructibus, nullos potest retinere; nec excusatur ratione infirmitatis, tempore vacationis occurrentis; excusaretur quidem, si infirmitas accidisset in tertio illo mense ab eaque impeditus fuisset volens accedere ad locum suae residentiae.

* CASUS XVII

DE LICENTIA NECESSARIA IUXTA ENCYCLICAM «PASCENDI» UT CLERICI ET RELIGIOSI, CIVILES UNIVERSITATES FREQUENTARE POSSINT

Titius, parochus, facultate ab Episcopo accepta, operam dabat scientiis physico-mathematicis in Universitate Matritensi, relicto in sua paroecia idoneo vicario. Postquam vero publici iuris facta est encyclica Pii X, de Modernismo, Episcopus advocavit Titium, eique significavit, se non posse iam ei facultatem concedere ad praedicta studia prosequenda, ideoque iussit ut desisteret a frequentanda Universitate, sed potius privatim studeret vel incumberet studiis ecclesiasticis ad praebendam canonicalem obtinendam.

Titius vero prohibitionem Episcopi aegre tulit, maxime cum inter condiscipulos plures numeraret religiosos, et aliunde gravissimum duceret coeptis iam studiis renuntiare post tantas expensas tantosque exantlatos labores, nec privatim ea prosequi posset. Unde privabitur cathedra Universitatis, quam suis meritis obtinere, non improbabiliter sperabat.

HINC:

QUAER. 1.° *An et quatenus Episcopi et Superiores religiosi facultatem concedere frequentandi scholas universitarias possint?*

2.° *An et quatenus clericis liceat cathedras in Universitatibus aut alia similia officia suscipere?*

3.° *An parochi de licentia Episcopi suam residentiam derelinquere possint, ut studiis incumbant?*

4.° *Quid* TITIO *faciendum est?*

SOLUTIO:

73 *e.* — *R. ad* 1m *Quaes.* Ex decreto Bened. XV per S. C. Consist. 30 apr. 1918: Clerici, tum saeculares, tum religiosi, prohibentur frequentare Universitates civiles sine licentia sui Ordinarii; qui praedictam licentiam concedere nequit nisi: *a*) urgente necessitate vel utilitate dioecesis aut Instituti religiosi, et *b*) iis tantum, qui sacerdotio iam aucti sunt quique spem bonam ingerant fore, ut sua agendi ratione ecclesiastico ordini honorem tam ingenii vi ac perspicacia, quam sanctitate morum adiiciant.

Clerici saeculares degere debent in Seminario aut in aliqua domo religiosa aut saltem in domo pii sacerdotis, nisi illic parentes habeant, in quorum domo habitare possint.

Si Universitas sit extra dioecesim, dioeceseos Episcopo ubi Universitas reperiatur commendandi sunt, qui eos vigilet, et ipsi eum invisant et obsequium ei praestent.

Ordines et Congregationes quae munus docendi non profitentur, nequeunt alumnos suos ad Universitates Gubernii mittere.

Praeferri debent Universitates ubi habeant sui Instituti domum, in qua praedicti iuvenes habitare debent. Si non habeant, tunc 1.° scholares debent habitare in alia domo religiosa, aut in Seminario episcopali, aut in alio Instituto ecclesiastico; 2.° nec unus solus mitti potest, sed duo vel plures; 3.° commendari debent Superiori domus vicinioris, qui singularem eorum curam geret; 4.° foveatur commercium epistolare inter ipsos et Generalem; 5.° vacationum tempore scholastici redeant in domum proprii Instituti.

Universitates eligi debent in quibus minora pericula praevideantur, et sufficientes cautelae adhibendae sunt contra pericula ex impiis professoribus et ex libris textus. Si vero Episcopi aut Superiores noverint aliquem ex suis subditis a recto tramite veritatis aut virtutis declinare, aberrantem absque mora ab Universitate revocent; praestat enim eius cursum studiorum abrumpere, potius quam ita permittere ut animae ille suae detrimentum patiatur.

73 *f.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Sine licentia proprii Ordinarii, nequeunt huiusmodi sacerdotes praeesse, nec ut titulares nec ut auxiliares, alicui cathedrae in civili Universitate, Instituto, liceo... neque

habere officium bibliothecarii in publicis bibliothecis... Et ratio est, quia sacri ordines eis collati sunt in utilitatem dioeceseos, et de se talia munera illos removent ab huiusmodi servitio, saltem magna ex parte.

Si quis pro suo lubito, maximeque contra Ordinarii sui voluntatem, talia magisteria vel officia suscipiat, congruis poenis, non exclusa suspensione a divinis, plectatur.

Ad Ordinarium spectat in singulis casibus examinare, num dioecesis possit praescindere ab ecclesiasticis servitiis talis sacerdotis, et quatenus; num bona, quae in cathedra universitaria, etc... praestare potest suo ingenio, virtute et zelo, talia sint ut compensetur detrimentum obveniens ecclesiastico servitio; et num, e contra, sua infirma virtus, suum criterium parum solidum, vel propria fragilitas possint ei ruinam ceteris vero scandalum causare. Et his consideratis, Ordinarius resolvet, num expediat, necne, illi concedere, ut tales concursus adeat vel munera acceptet.

Decretum, quo confirmatur Instructio Leonis XIII sub die 21 iulii 1896, quae incipit *Perspectum,* necnon Encyclica *Pascendi* 7 sept. 1907 Pii X, et huius Motu proprio 1 sept. *Sacrorum Antistitum,* vide apud *Ferreres,* Inst. can., vol. 1, App. V, C. II, ubi exponitur.

73 *g.* — *R. ad* 3m *Quaes. Negative,* etiamsi agatur de studiis omnino ecclesiasticis, sed requiritur indultum Sedis Apostolicae. S. C. Conc., 1 oct. 1594, 8 mai. 1595. Cfr. *Mach-Ferreres,* Tesoro del Sacerdote, vol. 2, n. 120; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 2, n. 484.

R. ad 4m *Quaes.* TITIUS si noluerit studia abrumpere omnino, recurrere debet ad S. C. Concilii, rem totam et sua desideria exponens, et forte S. Congregatio ipsi facultatem concedat, ne tot sacrificia ac factae iam bona fide expensae effectu careant suo.

* CASUS XVIII

DE FIDEI PROFESSIONE AC DE IURAMENTO CONTRA MODERNISTAS 1.°

TITIUS cum a Gubernio nominatus fuisset canonicus ecclesiae cuiusdam cathedralis, statim possessionem capere per procuratorem curavit, sed non nisi post duos menses accessit ad residendum in sua praebenda et fidei professionem emittendam. Unde, propter omissam fidei professionem et iuramentum contra modernistas, Capitulum eum privavit non modo distributionibus verum etiam fructibus totius praebendae. TITIUS vero respondit se non esse privandum fructibus praebendae, sed amisisse tantum distributiones, quia Concilium Tridentinum ei potestatem facit differendi fidei professionem usque ad duos menses post captam possessionem.

HINC:

QUAER. 1.° *An et quatenus canonici et alii beneficiati teneantur emittere fidei professionem et iuramentum contra modernistas?*

2.° *An omissio professionis fidei secum afferat amissionem fructuum praebendae ab ipso momento possessionis?*

3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

73 *h.* — *R. ad* 1m *Quaes.* Fidei professionem emittere debent coram loci Ordinario eiusve delegato et coram Capitulo, qui ad dignitatem vel canonicatum promoti sunt (can. 1406, § 1, 5.°). Item coram loci Ordinario eiusve delegato, parochi et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis *curam animarum habentibus* (ibid., 7.°). Qui, priore dimisso, aliud officium, vel beneficium, aut dignitatem etiam eiusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam huius canonis (ibid., § 2).—*Iuramentum antimodernisticum,* iuxta praescriptum Pii X in Motu proprio *Sacrorum Antistitum*, praestandum est ab omnibus qui ex Codice emittere debent fidei professionem (Ita declaravit S. Offic., 22 mart. 1918. Cfr. *Acta,* X, p. 136).

73 *i.*—*R. ad* 2m *Quaes. Affirmative.* Etenim antea fructus quidem a canonicis, parochis aliisque beneficiariis non amittebantur nisi post duos menses a capta possessione, sed ideo ita erat quia ex facultate Concilii Tridentini fidei professio differri poterat per duos menses: quare, non violata lege ante duos illos menses, poena non poterat imponi. Nunc vero, cum professio praestanda sit ante captam beneficii possessionem, ut patet ex can. 405, § 2, quoad canonicos et beneficiatos, necnon et ex can. 461 quoad parochos, illa omissio inducit legis violationem ab ipsa possessione, ideoque statim secum affert, ut videtur, privationem fructuum. Sic enim statuit can. 2403: «Qui contra praescriptum can. 1406 fidei professionem sine iusto impedimento emittere negligat moneatur, praefinito quoque congruo termino; quo transacto, contumax, etiam per privationem officii, beneficii, dignitatis, muneris, puniatur; nec interim beneficii, officii, dignitatis, muneris fructus facit suos.» Privatio incurritur ipso facto, quin opus sit sententia iudiciali. Cfr. *Ferreres,* **Comp.**, 137, et apud *Razón y Fe,* vol. 30, p. 366 seq.; vol. 20, p. 367 seq.; *Mach-Ferreres*, vol. 2, 46.

73 *j.* — *R. ad* 3m *Quaes.* TITIUS non potuit admitti ad possessionem non emissis fidei professione et iuramento contra modernistas coram Episcopo et canonicis capitulariter congregatis (non autem coram delegato aliquo), ideoque iam vix dari poterit casus ineundi possessionem beneficii per procuratorem. Iuxta dicta, TITIUS ipso facto amisit fructus praebendae a capta possessione. Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 20, p. 371, n. 28, et **Comp.**, nn. 137, 145.

* CASUS XIX

DE FIDEI PROFESSIONE AC DE IURAMENTO CONTRA MODERNISTAS 2.°

TITIUS, Superior regularis, iubet subditos suos sacros ordines suscepturos ut coram ipso fidei professionem et iuramentum contra modernistas emittant. Cum a diversis Episcopis licentias ministeriales ante praedictum Motum proprium acceptas habeat, nescit an iuramentum coram omnibus illis Episcopis praestare debeat, ita ut non possit aliter uti praedictis licentiis.

VINCENTIUS Episcopus, iubet ut Superiores regulares iuramentum emittant coram ipso, si in civitate episcopali degant; secus coram parocho ab ipso delegato.

HINC:

QUAER. 1.° *Quinam praeter parochos, canonicos et alios beneficiarios teneantur emittere iuramentum contra modernistas?*

2.° *An Superiores regulares locales debeant emittere praedictum iuramentum, et coram quo?*

3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

73 *k.* — *R. ad* 1^m *Quaes.* Iuramentum contra modernistas (praemissa Fidei professione) emittere debent praeterea: 1.° coram praeside eiusve delegato, qui Oecumenico vel particulari Concilio, aut Synodo dioecesanae intersunt cum voto, seu consultivo, seu deliberativo; praeses autem coram eodem Concilio vel Synodo; 2.° coram Sacri Collegii Decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. Camerario, promoti ad cardinalitiam dignitatem; 3.° coram delegato ab Apostolica Sede, promoti ad sedem episcopalem etiam non residentialem, vel ad regimen Abbatiae vel Praelaturae *nullius,* Vicariatus Apostolici, Praefecturae Apostolicae; 4.° coram Capitulo cathedrali, Vicarius Capitularis; 5.° coram loci Ordinario eiusve delegato et coram aliis consultoribus, assumpti ad officium consultorum dioecesanorum; 6.° coram loci Ordinario eiusve delegato, Vicarius Generalis; rector, professores sacrae theologiae, iuris canonici et philosophiae in Seminariis, initio cuiuslibet anni scholastici, vel saltem initio suscepti muneris; omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus; librorum censores, de quibus in can. 1393; sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri concionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi; 7.° coram Ordinario eiusve delegato, Rector Universitatis vel Facultatis; coram Rectore vero Universitatis vel Facultatis, eiusve delegato, professores

omnes in Universitate seu Facultate canonice erecta, initio cuiusque anni scholastici, vel saltem initio suscepti muneris; itemque qui periculo facto academicis gradibus donantur; 8.° coram Capitulo, vel Superiore qui eos nominavit, eorumve delegato, Superiores in religionibus clericalibus (can. 1406, § 1). Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 30, p. 366; vol. 33, p. 246.

73 *l.* — *R. ad* 2m *Quaes. Affirmative* et quidem coram Capitulo, vel Superiore qui eos nominavit, eorumve delegato, Superiores in religionibus clericalibus, ut patet ex can. 1406, § 1, 9.° Ergo omnes Superiores tam generales quam provinciales et locales, quia lex non distinguit. Praeterea mens aperta Pontificis est obligare ad memoratum iuramentum omnes clericos qui specialem influxum exercent sive in subditos clericos sive in populum fidelem. Illud, quatenus Superiores, emittere debent non coram Episcopo aut eius delegato, sed coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit, ut dictum est.

73 *ll.* — *R. ad* 3m *Quaes.* Subditi Titii subdiaconatum suscepturi, iuramentum emittere debent coram Episcopo ordinante, non coram Superiore regulari. Ipse Titius, quatenus superior, non debuit iuramentum emittere coram Episcopo aut eius delegato, sed quidem quatenus licentias habeat audiendi saecularium confessiones aut contionandi. Quatenus occurrat ipsi pergere in aliam dioecesim, in qua iam ante diem 1 sept. 1910 concessas habeat licentias ministeriales, poterit illis uti, etiam non praestito illic iuramento. Si vero Ordinarius huius dioeceseos aliter statuat, satis erit ei mittere testimonium de praestito iam iuramento, v. gr. coram Ordinario loci ubi est monasterium cuius ipse est superior.

CASUS

DE STATU RELIGIOSO

SEU

De vocatione religiosa, de voto paupertatis, de dominio religiosorum, de voto castitatis, de voto oboedientiae, de dispensatione in votis religiosorum.

CASUS I

VOCATIO RELIGIOSA 1.°

Eius obligatio

SYNESIUS statum religiosum, non obstante interno impulso, reformidans, ne forte pio motui assentiret, se vinculo matrimonii vincire properavit. Verum, mox facti paenitens, et se in statu peccati mortalis versari ob derelictam vocationem, necnon de aeterna salute iam sibi desperandum esse reputans, pravis animae desideriis apertas habenas laxavit.

HINC:

QUAER. 1.° *An vero detur vocatio divina ad religionem?*
2.° *An gravis sit eius obligatio?*
3.° *Quid de* SYNESIO *dicendum?*

SOLUTIO:

74. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirmative.* Ratio est, quia ad statum excellentiorem et praesertim ad excellentissimum, ut est status religiosus, requiruntur gratiae speciales, quae a Deo solo pendent. Ergo ad solum Deum pertinet, ad hanc vocationem eligere et destinare.

R. ad 2m *Quaes.* 1.° *Neg. per se,* seu directe, quia divina consilia non obligant, ad rigorem loquendo, *sub peccato,* praesertim gravi (Cfr. supra, n. 32, 1.°). 2.° Per accidens tamen seu indirecte peccat graviter, qui vocationi certo cognitae non obsequitur, si persuasum habeat *unicum* medium salutis aeternae adipiscendae hoc ipsi superesse, ut a mundi periculis aufugiat. — Immo generatim difficile excusatur ab aliquo peccato, quilibet vere vocatus, qui non obtemperat,

ob imminentia salutis pericula quae pro omnibus in mundo reperiuntur, et ob carentiam gratiarum, quae ipsi concessae fuissent in religione. *S. Alph.*, n. 78.

Attamen S. Doctor non audet asserere, esse in omni casu peccatum mortale. Quidquid sit, hoc summe periculosum est, iuxta omnes.

75. — *R. ad* 3m *Quaes.* Synesius male fecit, renuendo obtemperare impulsui, quo in religionem ferebatur, si ex signis certis novit se spiritu divino moveri. Sed peius egit cum, contracto matrimonio, in desperationem se dedit, et pravis desideriis habenas laxavit; nam pro omni peccato Deus bonus misericordiam tribuere semper est paratus. Potuit enim Synesius, paenitentiam agendo, gratias ad recte vivendum in statu praesenti mereri, et in eo salvus fieri.

CASUS II

VOCATIO RELIGIOSA 2.°

Flavianus, cum diuturnam propensionem in statum religiosum expertus fuisset, tandem apud Patres Capuccinos se recepit, et, emenso tirocinii tempore, vota sollemnia nuncupavit. Verum o stupenda humanae voluntatis inconstantia! Flavianus, elapsis pluribus annis in fervoris aestu et cordis laetitia, coepit tedio vitae regularis affici, necnon libertatis desiderio corripi. Tandem invito confessario, et renitente Superiore, dispensationem a sacris vinculis obtinuit, et monasterio miser et miserabilis valedixit. Sed a Sacramentis a novo confessario arcetur, donec in conventum redire firmiter proponat.

Hinc:

Quaer. 1.° *An religiosus eiectus teneatur sub gravi admissionem suam iterum postulare?*

2.° *An religiosus, a votis ad duritiam cordis dispensatus, ab omni obligatione religiosa liberetur?*

3.° *Quid de* Flaviano *sentiendum?*

Solutio:

76. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° *Affirm.*, si a votis in religione emissis solutus non fuit. Etenim ex can. 672, § 1: «Dimissus, votis in religione emissis *non solutus,* tenetur ad claustra redire ac proinde in propriam emendationem incumbere, seque dignum facere, qui iterum in religionem recipiatur; et si argumenta plenae emendationis *per triennium* dederit, religio tenetur eum recipere; quod si graves obstent rationes, sive ex parte religiosi, sive ex parte religionis, res est iudicio Sedis Apostolicae subiicienda».

2.° *Neg.*, si solutus fuerit a votis. Tunc enim impedimentum ha-

bet, ita ut in nulla religione admitti possit, sine licentia Sedis Apostolicae. Ita can. 542, 1.° Cfr. *Ferreres*, Inst. can., vol. 1, n. 851.

Igitur cum admissio ipsius prohibita sit, non constat de obligatione postulandi id quod est prohibitum facere. Ad summum dici poterit habere obligationem se aptum reddendi et postulandi a Sede Apostolica facultatem ut religio ipsum admittere possit; sed neque de hoc constat. Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 32, p. 108 seq.; et decr. *Ecclesia Christi,* 7 sept. 1909, apud *Razón y Fe,* vol. 27, p. 69 seq.

77. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Non est tutus in conscientia, et invalide fuit dispensatus, si ipse per *obreptionem substantialem,* dispensationem a votis extorsit. Ratio patet ex dictis de dispensationibus in tractatu de legibus, etc.

2.° Si vero religiosus, nulla prorsus fraude interposita, dispensationem obtinuit absque ulla conditione, potest esse immunis ab omni peccato relative ad votorum obligationem, quia ab eorum vinculo *simpliciter* solutus fuit. Quando autem quis, sine iusta causa, et importunis precibus dimissionem a Superioribus quasi extorsit, tunc dispensatio, quae ad duritiam cordis, seu ad vitandum maius malum, conceditur, non omnino coram Deo religiosum liberat. Sed ille tenetur ad religiosa vota iterum amplectenda, vel ad sanandum defectus prioris dispensationis. Cum vero etiam hic habeat impedimentum pro admissione, de ipso iudicandum est, ut supra, n. 76, 2.°, dictum est. Item dicatur de eo qui, male agendo, curavit ut eiiceretur. Ceterum accidere potest ut peccaverit primum postulando et procurando dimissionem, et postea obtineat, tutus in conscientia, absolutam dispensationem.

78. — 3.° Religiosus *sollemniter* professus a suis Superioribus solvi nequit, sed ad Papam recurrendum est. Licet autem a Summo Pontifice dispensetur, ordinarie non solvitur *simpliciter* ab omni obligatione religiosa, sed subiicitur alicui Episcopo, qui eius superior constituitur, et cui oboedientiam praestare debet. Attamen ab omni vinculo a Papa liberari posset, quia etiam professio sollemnis, iuxta communem sententiam, ex institutione ecclesiastica repetenda est. Cfr. *Ferreres,* Las religiosas según la disciplina vigente, nn. 15, 16, 730, ed. 5.ª

R. ad 3m *Quaes.* Quid de Flaviano? Si a Summo Pontifice modo absoluto dispensatus fuit, non tenetur *per se,* seu ratione praecedentis professionis, religionem repetere; immo nec admitti iterum potest sine licentia Sanctae Sedis. Secus vero, si non fuerit dispensatus absolute, ut ordinarie fieri solet quoad sollemniter professos. Ergo si obtinuit decretum secularizationis *ad tempus,* tempore hoc finito redire ad religionem debet. Si vero *dimissus* fuit, confer dicta, n. 76.

CASUS III

VOCATIO RELIGIOSA 3.°

Quatenus cognoscenda et dirigenda

1.° PHILOCLES, studiosus animarum moderator, virginibus in monasteria intrudendis totus incumbit. Obvias difficultates facile solvit, dubia quaecumque in religionis favorem dirimit, dicens: «Ite et vos in vineam Domini». Etenim, ait, nonne Christus omne volentes ad vineam suam vocat? Libenter puellae, sibi in sacro tribunali occurrenti, ipse praeeundo: «Nonne tu, ait, de statu vitae cogitas, necnon de effugiendis pestiferis mundi illecebris?» — Siqua puella sponte mentem de religione amplectenda ipsi aperiat: «Perbene, filia, ait, gratias age Deo optimo pro hac egregia cogitatione, quam animae tuae indidit. Gaude et laetare, filia; Christus, sponsus tuus, ad nuptias te vocat».

2.° ROGERIUS, contra, decisionem nullam circa vocationem afferre valet. A paenitentibus interrogatus, in promptu responsum idem semper habet, scilicet: «Ora Deum, ut lucem accipias. — Sed, pater, quid faciam, ut in cognitionem vocationis meae deveniam? — Exorandus Deus. — Sed a multis annis in ancipiti versor. — Deus exorandus. — Sed a decem annis oravi, et adhuc dubium superest. *Oportet semper orare et nunquam deficere*».

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sint signa ordinaria vocationis religiosae?*

2.° *Quomodo se gerere debeat confessarius interrogatus de vocatione religiosa?*

3.° *Quid suadendum in dubio de vocatione, seu in casu inclinationis ancipitis?*

4.° *Quid de utroque confessario?*

SOLUTIO:

79. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Iuxta can. 538: «In religionem admitti potest quilibet catholicus: *a)* qui nullo legitimo detineatur impedimento, *b)* qui recta intentione ducitur ad postulandum ingressum, et *c)* ad religiosa onera ferenda sit idoneus». Duo igitur signa in providentia *ordinaria* requiruntur et sufficiunt, *generatim* loquendo, scilicet:

1.° Debita aptitudo, tum ad religionem *in genere,* tum ad religionem *particularem cui quis adscribi cupit,* vel ad gradum eiusdem amplectendum.

2.° Inclinatio voluntatis vera, recta seu pura, et constans. V. **Comp.,** n. 177 seq.

R. ad 2m *Quaes.* Confessarius ordinarius non statim responsum dare debet, sed rem mature perpendere, et orationem paenitenti commendare. Interim autem investigare debet, an vocationis signa sint certa vel dubia. Si paenitens aptus videatur et generosa voluntate praeditus, si motivis supernaturalibus impulsus, etc., signa certa adsunt, et religionis ingressus suadendus.

Quando autem res ad confessarium extraordinarium defertur, magna circumspectione opus est. Etenim si moderator ordinarius cavere debet ne in re tanti momenti a vero deflectat, a fortiori ille novus qui cognitione antecedenti de postulatore omnino caret.

80. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Si agatur de eo qui adhuc in saeculo versatur, adhortandus est primo ad orandum et ad rem, praesertim B. Mariae Virgini, commendandam. Dubio permanente, si nihil urgeat, v. gr. si paenitens iunior sit, res protrahenda est per examina, orationes et affectuum mortificationem, usquedum signa magis clara evadant.

2.° Quod si tempus tantam moram non permittat, stante successus probabilitate, inducendus videtur ut religionem ingrediatur ad experimentum faciendum. Si dubium perseveret, vel saepe redeat, etiam elapso experimenti tempore, non erit permittenda professio religiosa, sed novitiatus notabiliter erit prorogandus, vel novitius dimittendus.

3.° Si dubium afficiat non quidem paenitentis voluntatem, sed eius qualitates, confessarius eum inducere potest ad religionem amplectendam; melius enim de eius dotibus, decurrente novitiatu, superiores et magistri iudicabunt.

4.° Si dubius de vocatione peracto novitiatu, veras qualitates habere videatur, et sit adhuc titubans hinc et inde, induci potest ad vota emittenda, modo haesitatio ex notabili repugnantia non proveniat.

81. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° PHILOCLES imprudenter se gessit, tam facile absque praevio et gravi examine ad religionem plurimos propellendo. Quamvis enim verum sit Christum omnes invitare ad sectanda consilia evangelica, unde, ut ait *S. Thom.*, 2, 2, q. 189, ad 9, «inducentes alios ad religionem capessendam non solum non peccant, sed magnum praemium merentur»; attamen non minus est certum rem tanti ponderis mature et considerate esse capessendam. Secus vix fieri potest quin plures absque debita aptitudine in monasterium propellantur, non sine magnis eorum molestiis frustra susceptis, nec absque inutilibus curis et expensis ex parte monasterii, cum moraliter certum sit huiusmodi candidatos ad saeculum esse redituros, vel sponte vel per dimissionem. Praeterea alia nec levia incommoda ex multiplici novitiorum ad saeculum reditu oriri solent. Nec satis recte applicat ad vitam religiosam verba Christi, quae ad christianismum, seu ad salutem consequendam, proprie referenda sunt.

2. ROGERIUS autem limites prudentiae excedit, nec satis adiuvat

paenitentes bonae voluntatis, qui, sibi solis relicti, animo deficient. Sed eos interrogare debet, a quo tempore propositum ingrediendi religionem habuerint? an multum vel mediocriter id exoptent? quo fine praesertim ducantur? etc. Si responsis satisfacere videantur, blande eos inducat ad finem hunc attingendum.

CASUS IV

VOCATIO RELIGIOSA 4.°

Qualis finis intendendus sit

1.° CORNELIA, puella opibus destituta, ut huius vitae curis et miseriis se subtrahat, in quodam monasterio sanctimonialibus adiungi enixe efflagitat. Sed, elapso fere novitiatus biennio, confessarius, cum ingressus eius causam detexisset, declarat illud nihil valere prorsus, utpote mere humanum ac naturale, adeoque novitiam dimittendam esse pronuntiat. Eiulare et obniti puella, sed frustra; surdo enim cecinit.

2.° GODILLA, puella, nuptias haud spernendas proxime cum IULIANO erat celebratura, simul et pinguem avunculi morientis hereditatem inhians exspectabat. Sed heu! repente a sponso derelinquitur, et eodem tempore, defuncti avunculi hereditate destituitur. Indignabunda GODILLA, proditori et fallaci mundo in aeternum valedicens, in monasterii septa convolat, ibidem religiosam professionem emissura.

HINC:

QUAER. 1.° *An finis pravus, vel mere naturalis, argumentum sit certum de vocationis defectu?*

2.° *Quid de iuvenibus qui vocationem religiosam amplectuntur, ut a militia eximantur?*

3.° *Quid agendum cum novitiis vel professis qui, fine humano ducti, religioni se addixerunt?*

4.° *Quid ad casus?*

SOLUTIO:

82. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirmative,* si finis ille fuerit primarius et constans; dixit enim Christus: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum,* etc. Ille qui primario ducitur fine pravo, aut mere naturali, non potest esse aptus ad abnegationem profitendam; ergo non est aptus ad religionem. Secus vero, si finis iste non sit primarius, vel si fuerit postea retractatus, etc.; tunc vel fuit mera causa impellens, vel mera occasio vocationis.

83 — *R. ad* 2^m *Quaes.* Eodem modo distinguendum est ac in responsione iam data. Non pauci autem huiusmodi candidatorum, defectu verae vocationis, mali religiosi evadunt. Sedulo igitur tempore novitiatus probandi sunt.

R. ad 3m *Quaes.* Indagandum, utrum fine primario vel secundario tantum ducti fuerint. Admonendi sunt de gravi animae periculo quod etiam in religione incurrunt. Postea, si contriti et in melius mutati videantur, poterunt adhuc ad probationem retineri; secus erunt dimittendi.

84.—*R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Male egit confessarius erga CORNELIAM. Debebat enim imprimis novitiam examinare sedulius de fine suo, utrum nempe non intenderit etiam animae suae providere. Insuper nihil praecipitare debuisset, sed CORNELIAM inducere ad novitiatum peragendum, debito fine sibi praestituto, etc.

2.° Nihil obstat quin vocatio GODILLAE divina esse possit, a principio quidem. Saepe enim Deus utitur terrenis calamitatibus, et humanis deceptionibus, ut suos electos a mundo eripiat et in suum servitium adducat. In his casibus, calamitas vel deceptio est quidem occasio, non vero causa finalis ingressus in religionem.

3.° Si GODILLA recte tempore probationis procedat, virtutes religiosas colat, et novitiatus praescripta sat diligenter servet, signum indubium divinae vocationis habebitur.

CASUS V

VOCATIO RELIGIOSA 5.°

Obex vocationi

FLORENTIUS, nobili genere et alacri ingenio iuvenis, lucrosum munus exercebat, et de matrimonio feliciter ineundo cogitabat... Interea vero, gravi morbo correptus, instante morte, divini iudicii metu perculsus, religionem carthusianorum ingredi vovet, si convaluerit. Valetudine subinde recepta, votum adimpleturus, illud patri suo manifestat. Hic autem, qui, patrimonio dilapidato, ad inopiam vergebat, spemque omnem rei familiaris restituendae in filio reposuerat, totis viribus eum a suscepto proposito removere conatur. «Attende, fili, ait, quod ego iam senui, et labilis est meae fortunae status. Cerne etiam miseram conditionem fratris tui maioris, qui, ob ingenii tarditatem, rem domesticam adeo male gessit, ut neque sibi, neque numerosae proli alendae prospicere queat, et auxilio tuo indigeat.» FLORENTIUS, his rationibus minime permotus, ut animae saluti provideret, invito patre, religionem ingreditur, et, elapso tirocinii tempore, sollemnem professionem emittit. Interim pater senex, reliquis bonis consumptis, ad vitam aeger sustentandam, cuiusdam causidici scripturas, pacta mercede, peragere cogitur; frater vero, ad suos alendos, cum familiae dedecore, cuidam diviti famulatur. His cognitis, FLORENTIUS, qui magno fervore et cordis laetitia Deo serviebat, anxietate pressus,

dubitat utrum vocationem suam deserere debeat, ut patri et fratri succurrat.

HINC:

QUAER. 1.° *An filius possit religionem ingredi, parentes in necessitate relinquendo?*

2.° *An filius teneatur egredi e religione, ut parentibus succurrat?*

3.° *An parentes, vice versa, religionem ingredi possint, filiis indigentibus relictis?*

4.° *An liceat relinquere fratres aut sorores necessitate pressos, ad religionem ingrediendam?*

5.° *An recte egerit* FLORENTIUS *religionem ingrediendo?*

6.° *Ad quid nunc teneatur, aspectis quae in casu?*

SOLUTIO:

85. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg. per se.* Nam ex can. 642, 2.°, *illicite,* sed valide admittuntur ad novitiatum, filii qui parentibus, idest patri vel matri, avo vel aviae, in gravi necessitate constitutis, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria.

86. — Dixi *per se,* quia, si filius nimia pericula salutis incurreret in mundo, non tenetur in eo remanere ad succurrendum parentibus. Sic *S. Thomas,* Quodlib. 10, a. 9: «Aut is qui habet propositum intrandi religionem videt in saeculo non posse vivere sine peccato mortali, vel non de facili; si timet sibi periculum peccati mortalis, cum magis teneatur saluti animae suae providere quam corporali necessitati parentum, non tenetur in saeculo remanere».

87. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirmative,* in *extrema* necessitate, ut patet. Debent enim filii omni modo possibili servare vitam genitoribus, a quibus vitam acceperunt. Excipe, nisi filius e claustro parentibus subvenire possit. Si vero necessitas parentum sit tantum *gravis,* probabilius non tenetur neque potest e religione egredi, saltem sine licentia, quae a Superiore denegari potest. Sic enim *S. Thomas,* 2. 2, q. 101, a, 4: *Ille vero qui iam est in religione professus, reputatur quasi mortuus mundo; unde non debet, occasione sustentationis parentum, exire e claustro.* Attamen valde probabiliter dicunt plures, filium debere egredi ad succurrendum parentibus in gravi necessitate existentibus, si necessitas illa ante professionem contracta fuit, quia obligatio iam contracta non exstinguitur per professionem. *S. Alph.*, n. 67; *Elbel,* etc.

88. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.,* ut patet ex can. 542, 2.°, nuper citato. Parentes ergo religionem ingredi non possunt, non tantum si filii iuniores eorum auxilio temporali indigeant, id est, si in necessitate gravi versentur, sed etiam si ad eorum educationem spiritualem

necessarii sint. Secus autem de filiis emancipatis aut maioribus, quos parentes, ordinarie loquendo, nec alere nec instruere amplius tenentur, nisi filii per accidens gravi necessitate laborent. *S. Thom.*, ibid.; *S. Alph.*, n. 69.

R. ad 4m *Quaes.* Non licet fratres aut sorores deserere in *extrema* necessitate; sed licet in *gravi.* Attamen posset quis, ratione caritatis, differre aut etiam omittere statum religiosum, ad subveniendum fratribus *graviter* indigentibus. Idem vero, si votum religionis emiserit, ingressum differre non posset, nisi ad breve tempus. *S. Alph.*, n. 70.

89. — *R. ad* 5m *Quaes.* Seu, an recte egerit FLORENTIUS religionem ingrediendo? — *Neg. per se,* id est, nisi magno salutis periculo, in saeculo fuisset expositus. Ratio est, quia pater, vir senex, nobilis, ad inopiam vergens, versatur in gravi necessitate, saltem relativa. Ergo eius filius, non obstante voto emisso religionem ingrediendi, ei succurrere debet, statum perfectiorem postponendo. Non tamen tenetur FLORENTIUS religioni renuntiare ad succurrendum fratri, quia hic, tunc temporis saltem, versabatur in necessitate gravi tantum: atqui frater non tenetur religionem posthabere, ut fratri, gravi necessitate presso, succurrat, iuxta superius dicta. Ergo, etc.

90.— *R. ad* 6m *Quaes.* FLORENTIUS, emissa professione sollemni, ad rigorem non tenetur religionem relinquere ut patri succurrat; quia, ex dictis, statum suum deserere non debet, nisi ad subveniendum parentibus in extrema necessitate positis. Potest tamen probabiliter e claustro ad hunc finem exire, quia necessitas gravis patris praecessit professionem, immo ingressum in religionem. Proinde potest quidem egredi, nec tamen ad id stricte obligandus est.

CASUS VI

CONSENSUS PARENTUM

In vocationem

LAURENTIA, puella egregiis moribus conspicua, apud moniales in monasterio quodam a teneris annis educata, cum ad aetatem 18 annorum pervenisset, atque domum paternam repetere iussa fuisset, genitores enixe rogavit ut sibi copiam facerent ibidem remanendi, religionis amplectendae gratia. Sollicitanti aurem surdam parentes praebuere. Tristis igitur et afflicta LAURENTIA domum repetiit, et mundum, a quo abhorrebat, propius intueri coacta est. Sed, nedum a pio proposito desisteret, fovit in dies magis ac magis vitae religiosae desiderium. Per triennium non cessavit, fusis lacrimis et precibus, parentes deprecari, ut ipsa voti sui compos fieret. Ast incassum. Annuisset quidem pater, lacrimis filiae victus, nisi mater a consensu praestando eum

deterruisset. Verum egregia puella, morbo gravi correpta, mox ad extrema perducta est. Iam moriens lacrimanti et eiulanti genitrici ait: «Noluisti, mater, ut in terris sponsa Christi fierem, ecce iam me ad se caelestis sponsus advocat». His dictis, laetabunda candidam efflavit animam.

HINC:

QUAER. 1.° *An graviter peccent parentes vocationi religiosae filiorum obstantes, vel eos a religione minis, dolo, instantibus precibus, avertentes?*

2.° *An filii, invitis parentibus, religionem ingredi possint?*

3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

91. — *R. ad* 1m *Quaes.* Certo peccant graviter parentes qui, sine iusta causa, minis, vi, fraude, filios a religione avertunt. Nullus enim eos a peccato mortali excusat, ait *S. Alphonsus,* n. 77. — Etiam plerumque graviter peccant, quamvis eos tantum precibus et promissionibus avertant: quia hoc esse non potest sine gravi illorum damno. Ita *communiter* cum *S. Alph.,* qui dicit, hanc sententiam esse omnino tenendam contra *aliquos.* — Non peccant tamen parentes, qui se opponunt ad tempus piis desideriis filiorum iuniorum ad constantiam eorum probandam, vel ob aliam iustam causam. Attamen hac in re, ad vitandas hallucinationes, consiliis confessarii aut viri probi ac docti stare debent.

92. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm. per se.* Immo aliquando consultius aget filius, si se divinitus vocatum sentiens ad religiosum vel clericalem statum, atque animadvertens sibi a parentibus iniuste aditum interclusum iri, rem eis celet, divinamque voluntatem exsequatur. Hoc tamen non est suadendum filiis aetate *minoribus,* quoties res non adeo urget, aut non satis constat de vocatione divina. *S. Alph.,* l. 4, n. 68. In **Hispania** praesertim, et ubi vigeat eadem legum dispositio, ut generatim viget in **Amer. lat.**, cavendum est a tali consilio filiis minoribus praebendo, cum parentes auxilio brachii saecularis a quocumque loco eos abducere, et ad se revocare possint.

93. — *R. ad* 3m *Quaes.* Seu, quid ad casum? Pessime egerunt parentes LAURENTIAE, et praesertim mater, adeo crudeliter votis filiae obstando; nec dubium est, quin gravi peccato inquinati fuerint. Huiusmodi parentes malunt perire cum filiis quam salvari sine eis, ut ait *S. Alph.,* n. 68. Hinc exclamat *D. Bernardus,* Epist. 3: *O durum patrem! O saevam matrem! O parentes crudeles et impios! non parentes, sed peremptores; quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filii est!* Quot parentes iniuste vocationi filii vel filiae se opponentes, ut LAURENTIAE genitores, eius morte puniti sunt! Cur lacrimas profundis, impia mater, in corpus exanime filiae tuae! nonne tu ipsissima eam peremisti?

CASUS VII

CONSENSUS EPISCOPI PRO CLERICO

In vocationem religiosam

FIRMINUS, neosacerdos, ut quamplurimorum saluti impendi posset, religioni in qua sacrae missiones peraguntur, nomen dare statuit. Licentiam igitur ab Episcopo, enixis precibus, efflagitat, ut pium propositum assequi valeat. Hic autem absolute obsistit. FIRMINUS, iterato saepius et frustra quidem postulato, quadam intempesta nocte, inscio Praelato aufugit. Indignabundus vero Episcopus in subditum suspensionem fulminat, nisi statim ad dioecesim redeat.

HINC:

QUAER. 1.° *An clericus religionem ingredi possit invito Episcopo?*

2.° *An fuerit valida Episcopi censura? et quid ad casum?*

SOLUTIO:

94. — *R. ad* 1m *Quaes.* Iuxta can. 542, 2.°: «*Illicite,* sed valide admittuntur ad novitiatum clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit.» Clerici igitur in minoribus ingredi libere *per se* possunt religionem. Qui vero in sacris sunt, consilium sui Ordinarii petere debent, sed hic obstare non potest nisi *clerici discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit.* — «Clerici maiores, munus a proprio Ordinario sibi commissum, sine eiusdem Ordinarii licentia, deserere praesumentes, suspendantur a divinis ad tempus ab Ordinario secundum diversos casus praefiniendum» (can. 2399). **Comp.,** n. 920, q. 7.

Nota tamen quod ex can. 544, § 2: «Adspirantes viri debent praeterea testimoniales litteras exhibere Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio».

95. — *R. ad* 2m *Quaes.* Nequaquam. Censura enim ferri nequit nisi in delinquentem Porro ex dictis, FIRMINUS non fuit delinquens; quia ille non est delinquens, qui iure suo utitur. Ergo omnino excusandus est FIRMINUS; ergo irrita suspensio, quam fulminavit Episcopus. Supponimus FIRMINUM nullum deseruisse munus ab Ordinario sibi commissum.

CASUS VIII

VOTUM PAUPERTATIS 1.°

DAMARIS, monialis *sollemniter* professa, inaudiens patrem suum supremum diem obiisse, disponere vellet de parte hereditatis sibi obtingente cui nullatenus ante professionem renuntiaverat, tum in pias causas, tum in alicuius fratris commodum. Cum autem voto suo satisfaciendi facultatem a Superiorissa postulasset, haec obstupescens: «Bone Deus, ait, quid est quod petis, soror? Nescis igitur hoc nequaquam fieri posse, ne dispensante quidem Episcopo, immo vel ipso Papa, sed solo Deo omnipotente, cui sollemnis professio facta est?»

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis sit efficacia voti paupertatis, sive simplicis, sive sollemnis?*
2.° *A quo iure oriatur? an a divino vel ecclesiastico?*
3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

96. — *R. ad* 1m *Quaes.* Votum sollemne paupertatis reddit religiosum inhabilem ad rem quamlibet, pretio aestimabilem, possidendam tanquam propriam. Votum vero simplex non reddit quidem religiosum inhabilem ad possidendum, ratione dominii radicalis; sed efficit ut nulla re uti possit, neque de ulla disponere *licite* valeat absque Superioris licentia. Si tamen absque Superioris licentia disponeret de rebus, quarum dominium radicale habet, dispositio *valida* esset. Cfr. *Ferreres,* Las Religiosas, nn. 7, 464 seq., ed. 5.ª

R. ad 2m *Quaes.* Votum, sive simplex, sive etiam sollemne in religione, ex sola Ecclesiae institutione repetendum est. Ordines enim religiosi non constituuntur, nisi ex sola Ecclesiae dispositione et approbatione: ergo neque taliter vel aliter esse possunt, nisi Ecclesia sic statuente et ordinante. Constat etiam ex bulla *Ascendente Domino,* Gregorii XIII, ubi dicitur: *Nos considerantes voti sollemnitatem sola institutione Ecclesiae inventam esse,* etc. Ergo Papa in votis religiosis quibuscumque, etiam sollemnioribus, dispensare potest, sicut in votis extra religionem emissis. V. **Comp ,** n. 175. Cfr. etiam *Ferreres,* l. c., nn. 15, 16.

97. — *R. ad* 3m *Quaes.* DAMARIS de iure communi disponere non potuit de parte hereditatis sibi obtingente, neque in pias causas, neque in fratris commodum, neque ullo alio modo, quia per professionem religiosam omnino inhabilis effecta est ad disponendum, et hereditas in casu transit ad monasterium. Neque hanc inhabilitatem tollere potest Superiorissa, neque Episcopus, sed solus Papa, iuxta superius

dicta. Secus vero, si DAMARIS versetur in aliqua communitate religiosa in Belgio, in Gallia (excepta Sabaudia et Nicia), in **Mexico**, aut in Stat. Foeder. Amer. sept. (exceptis quattuor monasteriis a Visitatione), quia ibi propter difficultates temporum, S. Sedes votorum sollemnitatem non agnoscit. Quapropter ibi moniales stante praesenti rerum statu, emittunt tantum vota simplicia, ideoque non dicuntur religiosae, *stricto* sensu; sunt tamen *vere* et *proprie* religiosae, sed non *stricte* aut *strictissime* tales, ut ex variis S. Paenitentiariae responsionibus colligi videtur. Cfr. *Ferreres,* l. c., comm. III, n. 7; comm. IV, n. 11, 43 seq. V. **Comp.,** n. 243.

CASUS IX

VOTUM PAUPERTATIS 2.°

FLORINUS, religiosus in Gallia, vix professionem emiserat, cum aliqua omissio in bonorum suorum dispositione ipsi in mentem recurrit. Existimat autem se, permittente Superiore, hunc defectum posse supplere, saltem iuxta intentionem suam interpretativam disponendo, praesertim secundum opinionem ex qua adstruitur, non dari nunc in Galliis sollemnem votorum professionem. Superior autem, sententiae oppositae adhaerens, se consensum suum praestare posse negat prorsus.

HINC:

QUAER. 1.° *An agnoscenda sit professio sollemnis pro monialibus in Gallia, in statu actuali rerum?*
2.° *An agnoscenda sit pro viris religiosis?*
3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

98. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.,* ut dictum est n. praecedenti. Hoc pluries ab Ecclesia per S. Paenitentiariam declaratum est, praesertim in responso ad Episc. Iemovicensem, ann. 1820. V. **Comp.,** n. 243. Attamen moniales in *Sabaudia* vel in ducatu Nicensi degentes professionem sollemnem adhuc emittunt, licet haec provincia gallicae dominationi postea adnexa fuerit, quia res religiosae vices ordinationis civilis non subeunt. Praeterea hoc etiam declaratione Pii IX confirmatum est (1).

R. ad 2m *Quaes. Affirmative,* quidquid dixerint plures, qui nullo prorsus fundamento innixi, effutierunt idem de viris religiosis ac de monialibus dicendum esse. V. **Comp.**, n. 243.

99. — *R. ad* 3m *Quaes. Quid de* FLORINO?

(1) Sabaudia Galliae adnexa est anno 1861.

Florinus tardius oblivionem reparare caepit. Per professionem factus est omnino inhabilis ad quidpiam possidendum. Ergo se gerere debet ac si esset mortuus. Neque dispensante Superiore aut Episcopo, habilitatem in casu particulari recuperare valet; neque inniti potest in opinione aliquorum, qui dicunt vota regularium in Gallia non esse sollemnia, quia haec opinio minime probabilis est, utpote omni prorsus fundamento destituta.

* CASUS X

VOTUM PAUPERTATIS 3.°

Pamphilus, religiosus, nollet quidem unquam sacrum paupertatis votum graviter infringere, sed de culpis levibus vitandis sat incuriosum se habet. Ipsi summopere arrident benigniores theologorum opiniones. Itaque facile sibi persuadet tam amplam materiam ad peccatum grave requiri in religioso ac in filio familias, nec unquam dari culpam lethalem in usu rerum sine Superioris facultate, neque in donorum acceptatione, quia in his iustitia non violatur. Praeterea, facile licentiam praesumit ad accipienda, vel retribuenda munuscula. Nec existimat ullatenus laedi paupertatem, si ab extraneis pecuniam in pauperes, vel causas pias erogandam, inscio Praelato, accipiat.

Hinc:

Quaer. 1.° *Quaenam materia sit gravis contra votum paupertatis?*

2.° *An licentia praesumi possit ad acceptandum, vel donandum?*

3.° *An religiosus, seclusa facultate, accipere possit pecuniam in pias causas impendendam?*

Solutio:

100. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° In peccatis quae sunt simul contra iustitiam et contra religionem, materia gravis censetur ea quae in furto peccatum mortale constituit. Plures quidem theologi dicunt, religiosos esse filiis familias aequiparandos, et proinde materiam maiorem requiri pro peccato gravi contra votum, quam ea quae in furto ordinario requiritur. Sed haec sententia sat probabilis non apparet. Superior enim non est dominus rerum conventus, ut pater familias bonorum suorum, neque religiosi sunt in spe dominii, ut filii familias, etc. Attamen quia bona conventus in utilitatem cedunt religiosorum, dicendum videtur requiri maiorem quantitatem quam in furtis extraneorum, minorem vero quam in furtis filiorum. Quod tamen fac intelligas de casu in quo religiosus vel sibi vel alteri domestico, rem monasterii surripiat. Cfr. *Ball.-P.*, vol. 4, n. 87 seq.; *Lugo*, d. 3,

n. 173; *Vermeersch,* n. 268; *Angel. a SS. Corde,* Man. iur. reg., n. 274.

Ceterum, ut iudicetur de gravitate materiae in huiusmodi furtis, advertendum est, monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis sat opulentis aequiparari. Hinc eadem ac pro illis mensura generatim materiam gravem constituit. Si autem sint valde opulenta, maior quantitas requiritur. Maior etiam requirenda est, si religiosus res monasterii in usum proprium usurpet, vel aliis eiusdem communitatis donet, quam si in extraneos easdem erogaret, quia sic ea domi remanent. Maior etiam in furtis minutis, quae insuper interposito notabili intervallo in gravem materiam non coalescunt. Maior iterum in esculentis, ut de famulis diximus in **Comp.**, vol. 1, n. 744. Immo quibusdam videtur semper attendendum esse ad quantitatem *absolute gravem*. Ita *Génicot,* 2, n. 98; *Ball.-P.*, n. 88. V. **Comp.**, n. 214.

Alii dicunt eam materiam esse gravem, quae constituat *proprietatem notabilem:* notabilem vero habendam, quae gravis censeretur si auferretur furto ab homine illius conditionis, in qua ex sua professione versatur religiosus. Unde diversa erit pro diversis Ordinibus, v. gr. Capuccinorum, in quo religiosi versantur in conditione mendici, Iesuitarum, in conditione honesti sacerdotis, etc. Ita *Vermeersch,* De relig., vol. 2, suppl. 6, c. 1, a. 2; *Appeltern,* Comp. praelect. iur. reg., q. 170.

101. — 2.° In peccatis contra solum votum, seu religionem solam commissis, magis *controvertitur*. Alii dicunt eamdem materiam quae in furto gravis est, sufficere etiam ad peccatum grave, in culpa contra solum votum. Alii non improbabiliter maiorem quantitatem requirunt. Sic *Angel. a SS. Corde,* l. c., n. 275, qui requirere videtur materiam *absolute* gravem; et *Vermeersch,* l. c., n. 266, et vol. 2, pag. 100, qui in hoc casu requirit ad grave peccatum maiorem quantitatem quam ad furtum *absolute* grave. V. **Comp.**, n. 214.

R. ad 2^m *Quaes.* Licentia ad acceptandum, vel donandum, licite praesumi potest quando Superior adiri nequit, et urget occasio opportuna in qua censeretur Superior facultatem concessurus, si praesens adesset. Sed res acceptata, vel data ex praesumpta licentia, postea Superiori manifestari debet, nisi consumpta fuerit. *Lacroix,* n. 109.

102. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Videtur distinguendum cum *Lugone*, De iust. et iure, d. 2, n. 54: «Si ad hoc, ut ego possim dare et donare aliis, sicut si haberem bona propria, daret mihi aliquis pecunias, quas ego pro libito meo pauperibus dare possem; id quidem esset contra votum paupertatis, si absque Praelati consensu fieret, quantumcumque ille diceret, se retinere pecuniae dominium, et solum velle quod ego eius nomine eleemosynam darem: secus tamen dicendum esset, si bona fide et solum ad eleemosynas, et ex earum intentione aliquis mihi pecuniam daret, quam eius nomine pauperibus distribuerem. Si enim hoc fieret, non propter meam commoditatem, sed solum quaereret

meum ministerium propter meam fidelitatem, credo quod non esset contra paupertatem, etiamsi dominus pecuniae non determinaret pauperes, sed relinqueret mihi eorum designationem.» Vide etiam d. 3, n. 155; et *Sánchez,* Decal., lib. 7, c. 30.

Hoc tamen in Soc. Iesu prohibitum est ex reg. 22 sacerdotum: erit igitur contra oboedientiam, non vero contra votum paupertatis. V. **Comp.**, n. 212.

CASUS XI

VOTUM PAUPERTATIS 4.°

IUNIPERUS, religiosus sollemniter professus, ex singulari affectu erga sanctam paupertatem: 1.° recusare solet quaecumque donaria a parentibus, amicis vel personis piis oblata intuitu ipsius, v. gr. ex gratitudine, amicitia, aut benevolentiae captandae gratia. 2.° Recusat etiam ea quae ipsi offeruntur intuitu monasterii, v. gr. ratione eleemosynae, vel occasione sacri ministerii. 3.° Si quid iam acceperit, id donatori restituere properat. 4.° Avertit consanguineum a legato sibi relinquendo; immo, hereditati iam apertae renuntiavit.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel qualiter* IUNIPERUS *peccaverit contra iustitiam vel caritatem erga monasterium?*

2.° *An sit ratio sufficiens dona oblata recusandi, si inde religiosus consecuturus sit maiorem independentiam vel ministerii sui libertatem?*

SOLUTIO:

103. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° IUNIPERUS non peccavit contra iustitiam neque contra caritatem, recusando ea quae ipsi soli, vel saltem intuitu ipsius, ad captandam eius benevolentiam aut amicitiam, offerebantur. Causa enim valde laudabilis est, cum agat tum singulari affectu erga paupertatem, tum ad declinanda incommoda, saepe gravia, quae ex acceptatione donorum sequuntur.

2.° Peccavit autem IUNIPERUS recusando ea quae, intuitu monasterii, ratione eleemosynae ipsi offerebantur, non quidem *per se* contra iustitiam, quia monasterium nullum censetur habere ius *acquisitum* in has donationes, sed contra *caritatem,* scilicet, religionis suae bonum impediendo, nisi iustam causam recusandi habuerit. *S. Alph.,* n. 28. V. **Comp.**, n. 213.

3.° Peccavit vero contra *iustitiam,* in tertio casu, restituendo donatori id quod iam pro monasterio acceptaverat; quia acceptatione nomine monasterii facta, eo ipso monasterium ad illud donum ius *acquisitum* iam habeat.

4.° In quarto casu peccavit graviter contra *iustitiam,* renun-

tiando sine licentia hereditati iam apertae (immo talis renuntiatio irrita est), et contra *solam caritatem,* avertendo consanguineum a legato sibi relinquendo, ut ex dictis apertum est.

104. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirmative.* Tum enim Superiores non possunt esse rationabiliter inviti, siquidem independentia ab extraneis, et ministerii libertas, ad bonum operandum maxime necessaria sunt. Sedulo igitur ad circumstantias in praxi attendendum est.

CASUS XII

VOTUM PAUPERTATIS 5.°

FLORINA, monialis, paupertatis quidem, sed non minus caritatis et misericordiae amantissima, parcius vivendo, frequenter sibi subtrahit quid ex esculentis, aut aliis rebus sibi ad usum concessis, ut eadem in pauperes, vel puellas in monasterio educatas, elargiatur. Quondam, cum iter suscepisset, pedestris illud confecit, nec ad cauponam divertit, et pecuniam ex parcimonia habitam in pia opera impendit. Munus suum diligenter obire satagit, ut sibi supersit tempus ad laborandum pro neptibus in monasterio educatis. Gaudet vero FLORINA ex eo quod, illaesa paupertate, adeo facile operibus misericordiae incumbere valeat, quin semper ad Superiorissam recurrere debeat.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid de conscientia* FLORINAE *in genere?*
2.° *Quid ad singulos casus?*

SOLUTIO:

105. — *R. ad* 1m *Quaes.* Conscientia FLORINAE erronea est. Falsum est enim monialem posse, illaesa paupertate et oboedientia, tam facile operibus misericordiae vacare. An autem FLORINA versetur in ignorantia vincibili, aut invincibili, non potest sic in genere determinari. Hoc pendet a variis circumstantiis, utrum, nempe, rite de voto paupertatis fuerit edocta. Quare non interrogat confessarium, si idoneus sit, vel alium, rerum religiosarum haud ignarum? Non videtur tantum amans caritatis et operum misericordiae sed etiam propriae voluntatis, cum adeo guadeat ex eo quod possit, ut putat, liberius agere independenter a voluntate Superiorum.

106. — *R. ad* 2m *Quaes.* FLORINA laedit paupertatem in singulis praefatis casibus; etenim: 1.° laedit paupertatis votum, quando in pauperes vel in puellas educandas distribuit ea, quae parcius vivendo sibi subtrahit, quia haec ad ipsius usus quidem, sed non ad alium finem conceduntur; 2.° idem dicendum de iis quae ex parcimonia in itinere facta habuit, ob eamdem rationem; 3.° tandem, neque magis colligere potest ea quae obtinet, munus suum cum magna diligentia obeundo,

vel in superfluo tempore pro neptibus laborando; quia in his omnibus varios proprietatis actus procul dubio exercet. Haec quidem generatim dicenda sunt, sed dari possunt exceptiones pro quibusdam Ordinibus, in quibus paupertatis votum non esset adeo *strictae* interpretationis. V. **Comp.**, n. 212.

CASUS XIII

DOMINIUM RELIGIOSORUM 1.°

SIGISMUNDUS, votis simplicibus in Ordine religioso emissis, ex propriis reditibus, inscio Superiore, donaria notabilia in consanguineos, amicos, et in pauperes, cum conscientia dubia elargiri non dubitavit. Testamentum quoque suum in fratris sui favorem cum legatis in suam communitatem, absque Praelati facultate condidit. Verum: re quondam confessario aperta, tremebundus audivit, se toties mortaliter peccasse contra paupertatis votum, et toties casum reservatum incurrisse, immo invalidas prorsus donationes fecisse. Quapropter obligatur *sub gravi* ad rem totam Superiori manifestandam, necnon ad donatarios de obligatione restitutionis monendos.

HINC:

QUAER. 1.° *Quale possit esse dominium regularium vel communitatum religiosarum?*

2.° *An* SIGISMUNDUS *reapse in his graviter peccaverit, et casum reservatum incurrerit?*

3.° *An donationes et testamentum invalide fecerit, et an donatarii ad restitutionem teneantur?*

4.° *An Superior, post factum, ab ipso de omnibus monendus fuerit?*

SOLUTIO:

107. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Regulares sollemniter professi nihil omnino tanquam suum possidere valent, ut supra dictum est. Religiosi vero votis simplicibus tantum ligati, capaces sunt proprietatis, sive *dominii radicalis;* ac proinde bona sua servare possunt et nova acquirere, dummodo nullam faciant dispositionem absque Superioris facultate.

2.° Communitates autem religiosae *per se* non sunt incapaces dominii, quia personam moralem constituunt, sicut in qualibet alia societate; nec praeterea impediuntur paupertatis voto, quod solos religiosos ut privatos afficit.

Dixi *per se,* quia sunt quidam Ordines qui, ex proprio instituto, nulla bona possidere valent, ut Ordo Capuccinorum, etc. *Lugo*, d. 3, n. 74.

108. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia actum proprietatis in re gravi quoad singula admisit, licet nemini iniustitiam intulerit,

immo licet, in aliquibus, in communitatis suae favorem disposuerit. Votum enim paupertatis prohibet strictum usum, vel dispositionem etiam rerum suarum absque Superioris facultate; proinde dispositio quaelibet de aliqua re tanquam sua, in materia gravi, peccatum mortale et reservatum inducit. Nota quod, post emissa prima vota simplicia, in Congregationibus religiosis ad testamentum faciendum vel mutandum requiritur licentia Apostolicae Sedis, licet in casibus urgentioribus sufficiat licentia Superioris generalis aut provincialis, vel, si neque ad eos recurri possit, localis (can. 583, 2.°). Cfr. *Ferreres,* Inst. can., n. 879; Las religiosas, Com. IV, n. 436, 470.

109. — *R. ad* 3^m *Quaes. Probabilius* SIGISMUNDUS *valide* de rebus disposuit, licet *illicite;* quia, cum dominium bonorum suorum adhuc servet, non agit invalide, actus dominii exercendo; proinde tantum peccat contra fidelitatem Deo promissam, violando votum quo dispositio quaelibet de bonis, etiam propriis, prohibetur. Ergo donatarii ad nullam restitutionem tenentur. *Lugo,* d. 3, n. 79. Cfr. supra, n. 96.

110. — *R. ad* 4^m *Quaes. Neg.* Etenim, post factum, non fuit necessario monendus Superior, neque ratione validitatis, neque ratione licitatis. Non debuit quidem moneri ratione validitatis, siquidem donationes a SIGISMUNDO factae fuerunt validae, ut dictum est; neque ratione licitatis, quia peccatum iam commissum est, nec proinde amplius impediri potest. Aliud esset, si res ad usum suum servasset, quia usus illicitus perseveraret, nec continuari posset nisi a Superiore approbaretur.

CASUS XIV

DOMINIUM RELIGIOSORUM 2.°

ELIGIUS, professionem sollemnem in Ordine religioso facturus, mortua matre, vivente autem adhuc patre, POLYDORUM, fratrem suum, aliis fratribus praetermissis, heredem suum omnium bonorum, tam paternorum, quam maternorum, instituit. Sed, professione vix emissa, ecce infaustam notitiam mortis tum genitoris, tum etiam POLYDORI fratris, accipit. Paulo post MATHURINUS, eius patruus, etiam e vivis excedens, ipsi pinguem reliquit hereditatem. Quid tunc consilii capesset ELIGIUS? Patris hereditatem colligens, eam suo monasterio addixit. Bona autem quae fratri POLYDORO legaverat, PAULINO, alteri fratri, novo testamento donavit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* ELIGIUS *disponere potuerit de bonis paternis, vivente patre, ante professionem?*

2.° *An, emissa professione, hereditatem potuerit accipere, et suae communitati tribuere?*

QUAER. 3.° *An, mortuo fratre* POLYDORO, *bona ipsi legata recuperare potuerit, ut ea alteri fratri daret?*

SOLUTIO:

111. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* Ratio est, quia renuntiatio fit tantummodo de bonis quae actu possidentur, non autem de futuris, haec enim nec sua sunt cum vota sollemnia emittuntur, ut per se patet (quamvis agatur de haereditatibus, aut legitimis, quae obvenire debent ab eo qui adhuc vivit), nec erunt unquam, quia quando ei obveniant, ille incapax erit possidendi, quae incapacitas provenit a sollemne professione. Professio autem indicat quomodo sit disponendum de his bonis iuxta praescriptiones iuris. Ius vero mutari nequit a privatis. Cfr. can. 582.

112. — Renuntiatio non potest complecti successiones futuras *ab intestato,* nec legitimam, quae speratur v. gr. ad mortem parentum, quia non sunt bona praesentia aut quae *actu* possideantur, sed de futuro incerto, et iuxta omnes fere Codices, ut irriti habentur omnes contractus circa haereditarias successiones, antequam istae sint apertae. Vide Codices **hispanum, philippinum,** 1271; **lusitanum,** 1556; *gallicum,* 1130; *italum,* 1118; **argentinum,** 1209, 1210 (1175, 1176); **columbianum,** 1520; **chilenum,** 1463; **equatorianum,** 1453; **nicaraguensem,** 1469; **S. Salvatoris,** 1149; **uruguayum,** 1259; **venezolanum,** 1090. Cfr. **Comp.,** vol. 1, n. 891, 2.°

Et quia omnia, quae referuntur ad legitimam et successiones *ab intestato,* sunt exclusive iuris civilis et non canonici, et hoc approbat positive praescriptiones iuris civilis circa contractus, etiam in materia ecclesiastica (can. 1529), praescriptionibus iuris civilis standum est.

Idem dicatur respectu nullitatis abdicationum, translationum dominii, etc.; successionum haereditariarum, ad quas haeres vocatur ad liberam voluntatis testatoris (1).

113. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Etenim si post sollemnem professionem, hereditas aut bona alia quaecumque religioso obvenerint, salvis peculiaribus Apostolicae Sedis indultis, omnia cedunt Ordini, vel provinciae, vel domui, secundum constitutiones, si Ordo *capax sit possidendi* (can. 582, 1.°) — Si Ordo *incapax sit possidendi,* acquiruntur S. Sedi in proprietatem (ibid., 2.°), v. gr. in bonis religiosorum Minorum Observantiae. Hoc sequitur ex principio iuris canonici: *Quidquid monachus acquirit, non sibi, sed monasterio acquirit.* Ergo ELIGIUS non tantum potuit, sed etiam debuit hereditatem a patruo acceptam in monasterium transferre, nisi monasterium

---

(1) Cfr. etiam *Buccer.,* Casus, § 107, n. 4; Card. *Gennari,* Quistioni canoniche, n. 412; *Van Gestel,* De iust. et lege civ., pag. 182, 214, 216-218. V. supra, vol. 1, n. 761 h. Cfr. tamen S. C. Ep. et Reg. 16 sept. 1885; *Marres,* lib. 1, n. 175; *Mocchegiani,* Iurispr. eccles., vol. 1, pag. 125; *Vermeersch,* De religiosis, 1, n. 202; *Appeltern,* q. 83; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 3, n. 242, in fine.

iuri suo renuntiet, et aliam dispositionem permittat. Ratio autem convenientiae est, quia decet ut bona quae religioso obveniunt, potius cedant monasterio, a quo alimenta accipere debet, quam aliis, quibus nihil debet et a quibus nihil accipit.

114. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.* omnino. Ratio est, quia professus nullam dispositionem facere potest, siquidem per professionem factus est incapax cuiuslibet dominii. Invalidum igitur est Eligii testamentum in favorem fratris Paulini conditum. Etenim bona prius Polydoro ante professionem concessa erant, tum ex hereditate matris mortuae, tum patris adhuc viventis. Porro dispositio bonorum a matre defuncta provenientium, fuit valida; ergo illa bona ab Eligio amplius recuperari non potuerunt; sed Polydoro mortuo, ad eius heredes transire debuerunt, quia illa donatio, facta professione, irrevocabilis evasit. Dispositio autem bonorum patris fuit invalida, ex dictis supra, et nunc Eligius, voto sollemni paupertatis ligatus, non est capax amplius dispositionis faciendae; proinde bona ista ad ipsum Eligium, seu ad eius monasterium redire debent.

CASUS XV

DOMINIUM RELIGIOSORUM 3.°

Sophronius, professionem religiosam in **Hispania** emissurus: 1.°, dubitat utrum dispositio bonorum, quam facturus est antequam vota sollemnia emittat, irrevocabiliter firmanda sit, quia testamentum ab ipso condendum, ex natura sua atque ex lege civili, essentialiter revocabile est. 2.° Emissa professione, dubitat an hereditatem vel legatum sibi delatum acceptare queat, cum ex lege sit adhuc dominii capax. 3.° Nescit an actum publicum facere possit, iuxta dispositionem aliquam, ante votorum emissionem factam. 4.° Cum oblitus fuerit de re aliqua statuere ante professionem, postulat utrum, stante eadem lege, adhuc de illa disponere valeat?

Hinc:

Quaer. 1.° *An vel quomodo valeat dispositio bonorum quoad religiosum in* **Hispania?**

2.° *An, facta professione, aliquam dispositionem facere possit, vel syngrapham conscribere, vel nomen apponere, iuxta dispositionem iam antea determinatam?*

3.° *Quid faciendum, si oblitus fuerit facere aliquam dispositionem de aliqua bonorum parte?*

Solutio:

115. — *R. ad* 1m *Quaes.* Dispositio legis civilis est quid omnino indifferens ad obligationes religiosas *iure canonico ortas.* Parvi igitur

refert si lex civilis agnoscat statum religiosum, vel non. Lex canonica obligat independenter a lege civili; etenim, si huius dispositiones legi canonicae obstant, irritantur in foro conscientiae. Proinde tum religiosus, tum communitas religiosa iura sua servant. Ergo eaedem urgent obligationes, et eaedem habentur facultates sub lege civili quacumque, quae de iure communi vigent. Nihil est addendum, nihil detrahendum. Ergo religiosus in **Hispania,** sicut alibi, dispositionem irrevocabilem bonorum suorum, quae actu habet (can. 581, § 1), facere debet. Nec obstat quod haberi possit coram lege civili velut proprietarius, vel homo iure proprietatis gaudens. Hoc neque ei nocet, neque favet. Igitur ad actum proprietatis faciendum cogi nequit.

Hereditatem sibi delatam adire nequit, nisi de licentia Sedis Apostolicae, et ita tamen ut hereditas acquiratur monasterio. S. C. Ep. et Reg., 15 ian. 1897. Cfr. *Ferreres,* Inst. can., 1, n. 879; *Mach-Ferreres,* vol. 2, n. 595, ed. 15.ª

116. — *R. ad* 2m *Quaes.* Facta professione, bene potest religiosus facere actus civiles externos, conformes dispositionibus statutis coram Deo in foro conscientiae ante professionem, ut subscribere, actum privatum efficere, etc. Tunc enim formam mere externam apponit, non vero denuo disponit, adeoque nullum proprietatis actum facit. Cfr. *Ferreres,* Las religiosas, 469, ed. 5.ª; *Vermeersch,* De religiosis, 1, n. 202.

R. ad 3m *Quaes.* Nihil agendum, quia professus non amplius de bonis illis disponere potest. Obvenient igitur monasterio, si nihil aliud obstet; vel recurrendum erit ad dispensationem pontificiam, ut alia quaelibet dispositio fiat. Solus enim Papa in effectibus voti sollemnis dispensare potest.

CASUS XVI

VOTUM CASTITATIS

GASPAR, confessarius monialium, facile paenitentes de letali peccato contra castitatem arguit, v. gr. ratione curiositatis, levitatis aut modestiae defectus. Etenim, ait, ea peccata, quae respectu aliorum levia sunt, respectu eorum qui voto castitatis obstringuntur, facillime gravia evadunt. Hinc pluries novitiae, huiusmodi doctrina perterritae, monasterio valedicunt, cum animam suam aeternae damnationis periculo in claustro exponere nolint.

Ceterum, idem GASPAR docet votum castitatis solis peccatis externis violari posse, sicut alia vota religiosa, paupertatis, scilicet et oboedientiae, quia hoc voto religiosus corpus suum tantum, ut hostiam Deo placentem, donat et dicat. Quare, ait, peccatis internis, v. gr. delectatione morosa, sola virtus castitatis laeditur, non vero votum.

HINC:

QUAER. 1.° *An* GASPAR *recte docuerit, minorem requiri materiam ad peccatum mortale in religiosa, quam in aliis?*

2.° *An recte senserit votum castitatis minime violari posse peccatis internis, sed solam castitatis virtutem?*

3.° *An obiectum voti et virtutis aliquatenus differant quoad castitatem?*

SOLUTIO:

117. — *R. ad* 1m *Quaes.* Male docuit GASPAR et graviter erravit statuendo, requiri minorem materiam in religioso, quam in alio ad peccatum mortale contra castitatem. Quomodo huiusmodi doctrinam probat? Est mera assertio, omni prorsus fundamento destituta. Peccata religiosorum *per se* non sunt graviora, neque facilius ad materiam gravem perveniunt, nisi aliquando, *per accidens,* scandalum grave saecularibus praebeant. Sed religiosus peccatum duplex committit, contra virtutem, scilicet, et contra religionem. Si prius sit veniale aut mortale, ita etiam, eadem ratione, de secundo dicendum erit. Proinde nemo unquam (nisi coniugatus sit) damnari ad gehennam potest ob solam violationem voti castitatis, quia nemo graviter peccare potest contra votum, quin prius graviter contra virtutem peccet; peccans autem graviter contra virtutem, eo ipso reatum aeternae damnationis incurrit. Hinc patet quam irrationabiliter agant saeculares voto castitatis ligati, qui voti dispensationem requirunt, metu damnationis, quin matrimonium inire velint; siquidem obtenta dispensatione, non minori periculo obiiciuntur. V. **Comp.,** n. 220.

118. — *R. ad* 2m *Quaes.* Neque recte sensit GASPAR, docendo votum castitatis solis peccatis externis violari. Hoc enim pugnat contra communem sententiam theologorum absolute tenendam cum *S. Alph.,* n. 37. Etenim religiosus, vi voti *castitatis,* tenetur abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea, sive externa, sive etiam interna, quia votum emittit ob amorem, seu affectum specialem virtutis, quae omnem castitatis laesionem excludit. Secus vero dicendum de voto *paupertatis* et *oboedientiae,* quorum materia est solum obiectum externum, nisi actum internum afficiat, ut sunt desideria, vel moeror de voto emisso.

119. — *R. ad* 3m *Quaes.* Nullum datur discrimen ratione *obiecti,* quia votum tam late patet quam ipsa virtus. Attamen in aliquo casu peccari posset contra votum et non contra virtutem, v. gr. si quis, voto castitatis ligatus, matrimonium contraheret, peccaret quidem contra votum, non vero contra virtutem. Item si coniugatus emiserit votum castitatis, vel fieret religiosus, aut sacerdos, et postea cum propria

uxore copulam haberet, violaret quidem votum, non autem virtutem castitatis. V. *P. Gautrelet,* Traité de l'état religieux, tom. 1, 2.e partie, c. 2, sect. 2.

CASUS XVII

VOTUM OBOEDIENTIAE 1.°

DIONYSIUS, monialium confessarius, paenitentes suas tanquam violati oboedientiae voti reas arguit, quoties cuiusvis regulae transgressionem accusant, quia, ait, votum oboedientiae praestatur iuxta Ordinis constitutiones, et insuper Superiores observationem regularum semper praecipiunt. Praeterea docet, facile dari materiam gravem contra oboedientiam ratione contemptus. Hoc autem ex verbis D. Pauli probat, scilicet ex Rom., 13, 2, ubi dicitur: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, sibi damnationem acquirunt.*

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit materia voti oboedientiae?*
2.° *Quaenam gravis habenda sit?*
3.° *Quid de doctrina* DIONYSII *dicendum?*

SOLUTIO:

120. — *R. ad* 1m *Quaes.* Materia voti oboedientiae est quidquid praecipitur a Superiore, secundum regulas et constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite. *S. Alph.,* n. 38. Attamen, ut sit peccatum contra votum, requiritur ut Superior vere *praecipere* intendat, non vero tantum suadeat; quod ex eius verbis aut modo loquendi, aut ex variis circumstantiis pendet. Cfr. *Normae* secundum quas S. C. Ep. et Reg. procedere solet in approb. Inst. votor. simpl., a. 135. Religiosus autem non teneretur oboedire vi voti sui, Superiori praecipienti rem moraliter impossibilem, neque certo illicitam, neque graviter sibi damnosam; quia materia voti extendi nequit ad id quod est impossibile, aut iniquum, aut corpori vel animae nocivum: obligatio enim voti debet esse de re possibili et honesta.

121. — *R. ad* 2m *Quaes.* Generatim loquendo, votum oboedientiae sub levi tantum obligat, quia eius violatio in materia ordinaria gravem deordinationem non inducit. In triplici tamen casu materia gravis censetur, scilicet: 1.°, quando Superior praecipit *in virtute sanctae oboedientiae,* vel *in nomine Christi,* etc.; 2.°, quando inferior Superiori praecipienti dicit: *Nolo facere;* 3.°, quando ex inoboedientia sequitur *grave* scandalum aut *grave* damnum pro communitate, vel pro aliis. V. **Comp.,** n. 227.

122. — *R. ad* 3m *Quaes.* Errat graviter DIONYSIUS in interpretatione obligationis voti oboedientiae; obligatio enim stricta *voti* non est confundenda cum obligatione improprie dicta *regulae,* quae *per se*

sub peccato non praecipit. Unde recte *Suárez* (De relig., tr. 8, l. 1, c. 2): «Votum non obligat ad servandam regulam, sed ad oboediendum secundum regulam: et ideo propria obligatio regulae, ut sic, non ex voto oboedientiae, sed ex propria ratione legis, et ex principiis eius colligenda est».

Non datur violatio voti, nisi intervenerit praeceptum verum Superioris. Neque satis est ad rationem oboedientiae proprie dictae, ut Superior commendet enixe quidem regulae observationem; tunc enim non intendit novam obligationem imponere, sed urgere tantum id quod de regula servandum est. Errat quoque graviter DIONYSIUS docens, facile dari materiam gravem contra oboedientiam; id enim adversatur sententiae theologorum communissimae. Falsum enim est dari contemptum formalem auctoritatis, licet saepe adesse possit contemptus materialis, seu rei ut levis reputatae. Perperam quoque applicat verba D. Pauli: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit,* etc. Dicitur enim tantum quis *resistere,* quando Superiori imperanti respondet, *se nolle oboedire;* quod quidem grave est, ut supra dictum fuit; vel quando auctoritatem, ut talem, contemnit; sed rarissime id in praxi occurrit.

CASUS XVIII

VOTUM OBOEDIENTIAE 2.°

ANASTASIA, monialium Superiorissa, ad oboedientiam strictius urgendam declarat se praecipere sub peccato, ut omnes et singulae regulae adimpleantur. Immo non raro declarat se intendere obligationem sub gravi urgere, atque, ad verba confirmanda, saepe sequentibus utitur formulis, scilicet: *Praecipio in virtute sanctae oboedientiae..., in nomine Christi Iesu,* etc. Quapropter subditae, barathrum gehennae semper prae oculis habent. Huic autem in officio succedit mater CLEMENTINA, quae in via prorsus opposita incedens, mellifluis verbis semper sorores alloquitur, et suadere potius quam praecipere semper videtur.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid de ratione agendi utriusque Superiorissae?*
2.° *Quid faciendum sit in dubio de liceitate praecepti Superiorissae, an tunc licitus sit probabilismi usus?*

SOLUTIO:

123. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Neutra Superiorissa in ratione agendi laudanda est. Sed quam maxime prior damnanda et vituperanda; non agit enim iuxta spiritum mansuetudinis Christi Domini, cuius *iugum suave est, et onus leve.* Etenim ANASTASIA iugum Domini, ex se suave, efficit asperum, et onus aggravat, atque auctoritate sibi com-

missa, non quidem *in aedificationem* sed *in destructionem* utitur. Superior ius non habet *generatim* imponendi sub peccato id quod ex instituto sub peccato non iubetur. Id tantum facere potest, data *speciali ratione,* in casibus quibusdam *particularibus*. Neque potest Superior praecipere *sub gravi* in re quae de se levis est; neque valet frequenter uti in praxi his sollemnioribus formulis: *Ex parte sanctae oboedientiae... In nomine Christi,* etc. Secus enim laqueum animabus iniicit, et auctoritatem suam labefactat, nedum corroboret.

Quare haec statuunt *Normae:* «Raro, caute ac prudenter Superiorissae praecipiant *in virtute sanctae oboedientiae,* et non nisi ex gravi causa. Expedit praeterea, ut formale praeceptum imponant *in scriptis,* vel saltem coram duobus testibus», a. 136. — «Superiorissae *locales,* praesertim parvarum domorum, ab imponendis formalibus praeceptis se abstineant», a. 137. Quae etsi pro sororibus votorum simplicium praescribantur, vim suam directivam pro religiosis votorum sollemnium, proportione servata, habent.

124. — Subditus oboedire debet quoties dubium sit positivum, ideoque probabile sit rem esse licitam, cum certum sit rem tunc fieri posse sine peccato. *Suárez,* De relig., tr. 10, lib. 4, cap. 15, n. 21; *Lugo,* Resp. mor., l. 3, dub. 19, n. 3; *Vermeersch,* l. c., n. 295.

Generatim etiam tenetur oboedire si dubium sit negativum, in quo scilicet subditus non habet fundamentum probabile ad iudicandum licitum id quod praecipitur, quamvis nec constet evidenter, speculative loquendo, quod sit illicitum. *S. Alph.,* n. 47; *Sánchez*, Dec., lib. 6, c. 3, n. 3, cum comm. Ratio est, quia communiter auctoritas, doctrina, probitas vel prudentia praelati, nec non auxilium divinum quod ei adesse speratur, sufficiunt ad deponendum dubium. Possunt tamen dari exceptiones, quia non semper licet *probabiliter* inferre: Praelatus praecipit, ergo licitum est. *Lugo,* l. c., nn. 9 et 17; *Waffelaert,* De dub. solv., n. 276 seq. V. **Comp.,** n. 226.

Quod vero ad matrem Clementinam attinet, nimium discedere videtur a praxi Superioris praecedentis. Tanta enim differentia in regimine damnum spirituale in communitate affert, et difficultates innumeras pro sequentibus Superiorissis inducit. Auctoritas sane debet esse paterna vel materna, sed strenua, non vero ignava et mollis.

CASUS XIX

OBLIGATIO OFFICII DIVINI

Ratione religionis 1.°

Kilianus, theologus, tenet atque docet neque religiosos neque moniales ad recitationem breviarii in rigore obligari sub gravi, ratione

rofessionis religiosae, sed tantum ex praecepto instituti, sicut ad eteras regulas, quae in plerisque Ordinibus sub peccato non urgent. Etenim, ait, si obligatio vi religionis existeret, omnes religiosi *sub gravi* ad officium tenerentur, licet in sacris non forent constituti. Porro non desunt Ordines horis recitandis minime addicti. Quare ab omni culpa eximendi sunt non solum novitii, conversi, sed etiam professi, qui choro non interveniunt. Sic KILIANUS.

ARISTUS, alter theologus, contendit contra, omnes religiosos ex nstituto suo choro addictos sub gravi ad recitationem breviarii obligari, sive publice cum aliis, sive privatim, licet ad id ratione Ordinis non adstringantur.

HINC:

QUAER. 1.° *An sit gravis obligatio officii pro religioso sive in choro, sive extra chorum?*

2.° *An gravis sit obligatio choro assistendi?*

3.° *An obligationi officii divini satisfaciat religiosus qui submissa voce recitat partem officii, et audit alteram a choro prolatam?*

SOLUTIO:

125. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Nulla datur obligatio generatim officium divinum recitandi, vi ipsius professionis religiosae, cum varii sint religiosi Ordines quorum professi nullatenus ad horas obligantur. 2.° In religionibus autem sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio, sollemniter professi, qui a choro abfuerunt, debent, exceptis conversis, horas canonicas privatim recitare (can. 610, § 3). Cfr. *Wernz,* Ius Decretal., vol. 3, n. 659.

Haec tamen obligatio etiam in Ordinibus ad chorum deputatis (sive virorum sive mulierum) non afficit *novitios,* nec fratres laicos, nec *quoad recitationem privatam* eos qui vota simplicia tantum emisere, etiamsi hanc recitationem regula praescribat (can. 578, 2.° Cfr. etiam S. C. Ep. et Reg., 6 aug. 1858; 24 martii 1882; 3 maii 1902 et 18 iul. 1902; *Ferreres,* Las religiosas, 699, ed. 5.ª; *Il Monitore,* 3, 2, 3; et *Analecta eccles.,* ann. 10, pag. 204). Hi tamen postremi debent choro interesse ut sollemniter professi (can. 578, 2.°). Item nec afficit religiosos pro quibus non viget obligatio chori, ut sunt, v. gr., regulares Soc. Iesu; nec eos quibus praescribitur tantum recitatio parvi Officii B. M. V. V. **Comp.,** nn. 62 et 174.

126. — *R. ad* 2^m *Quaes. Neg.* Obligatio enim chori, licet gravis sit pro communitate, levis reputatur pro singulis privatis, modo tamen chorus de medio non tollatur. Ad chorum autem sufficiunt quattuor exediti, seu validi et liberi, ad cantum sustinendum. Ab hac levi obligatione choro interveniendi, causa mediocris excusare potest. *S. Alph.,* n. 141. — Ergo qui vota tantum simplicia emisere, tenentur *sub levi* ad officium recitandum in choro, modo culpa ipsorum chorus prorsus

non tollatur. Tenentur enim choro interesse ut sollemniter professi. S. C. Ep. et Reg., 24 martii 1882, et 3 maii 1902, a. VII. Quod si choro quacumque ex causa non interfuerint, nec *sub levi* tenentur ad privatam recitationem, quia a iure excusantur vi can. 570, 2.° Cfr. etiam S. C. Ep. et Reg., 18 iul. 1902), nisi ordine sacro fuerint insigniti. — Superiores vero *sub gravi* tenentur *curare* ut officium in choro recitetur. Ex canone enim 610, § 1: «In religionibus sive virorum sive mulierum, quibus est chori obligatio, in singulis domibus ubi quatuor saltem sint religiosi choro obligati et actu legitime non impediti, et etiam pauciores, si ita ferant constitutiones, debet ad normam constitutionum cotidie divinum officium communiter persolvi». Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 699; *Il Monitore,* vol. 4, part. 1, pag. 14, et vol. 8, part. 2, pag. 233; *Analecta eccles.,* ann. 10, pag. 204. V. **Comp.,** nn. 66, 67.

127. — *R. ad* 3m *Quaes. Controvertitur.* Prima sententia dicit, talem religiosum non satisfacere obligationi suae, quia non communicat cum aliis canentibus, vel alta voce recitantibus. Secunda vero sententia, *valde probabilis,* et *communior* iuxta *S. Alph.,* affirmat. Ratio est, quia, ad satisfaciendum officio in choro, non est necesse ut quisque audiat omnes voces alterius partis; unaquaeque enim pars cum alia unum corpus constituit, et mutuo communicat. Secus tamen dicendum est de canonicis, officium in choro submisse recitantibus. Ratio discriminis est, quia distributiones debentur solum iis qui choro inserviunt; ministerium autem in eo consistit, ut canonici conveniant ad officium psallendum. Ergo qui non psallunt non possunt dici choro inservire. *S. Alph.,* l. 3, n. 673, et l. 4, n. 163; *Angel. a SS. Corde,* Man. iur. regul., vol. 1, n. 381.

* CASUS XX

OBLIGATIO DIVINI OFFICII

Ratione religionis 2.°

Delphinus, monialium confessarius in **Mexico,** facillime a peccato gravi excusat religiosas non solum choro non assistentes, sed etiam alias officium privatim omittentes, licet ad Ordinem choro addictum pertineant. Etenim, ait, cum in **Mexico,** aspectis praesentibus circumstantiis, moniales vota sollemnia non emittant, non urgendae sunt obligatione officii, quae ex sollemni professione tantum oritur. *A fortiori,* ab obligatione gravi liberat moniales quae officium beatae Virginis tantum recitant.

Hinc:

Quaer. 1.° *An moniales in* **Mexico** *ad officium divinum sub gravi teneantur?*

QUAER. 2.° *An moniales, quae officium B. Virginis tantum recitant, ad illud sub gravi adstringantur?*

SOLUTIO:

128. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.*, probabilius *per se*, generatim oquendo seu ratione legis ecclesiasticae. Ratio est, quia, aspectis raesentium rerum adiunctis, non habentur ut moniales proprie dictae. Ecclesia autem non censetur velle tantam obligationem imponere iis ulieribus quas ut strictissime religiosas non agnoscit. Constat enim x resp. S. Paenit. ad Episcopum petrocorensem, die 26 nov. 1852. Sed in praxi expedit ut cum iis hac de re quaestio non moveatur, licet Superiores et confessarii, hac doctrina cognita, facilius cum privatis ispensare, vel scrupulos circa recitationem sedare possint. — Idem ene de monialibus in Statibus Foeder. Amer. sept. (exceptis quattuor onasteriis a Visitatione), in Belgio, et in Gallia (exceptis Sabaudia t ducatu Niciensi) (1). V. **Comp.,** n. 243.

129. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.*, ut dictum est supra, n. 125, licet ota sollemnia in istis Ordinibus emittantur, v. gr. in Ordine Moniaum a Visitatione. V. **Comp.,** l. c.; *Vermeersch,* De relig. instit., ol. 1, n. 316.

* CASUS XXI

DISPENSATIO IN VOTIS RELIGIOSIS 1.°

CLARA, abhorrens a statu caelibatus, haeret primum inter matrionium et religionem. Hanc eligit, et ingreditur Congregationem in ua simplicia vota, sed perpetua emittuntur. Elapsis autem pluribus nnis, urgente infirma valetudine, aliave gravi causa, Episcopo approante et super tria vota consueta religionis dispensante, e conventu imittitur. Redux ad saeculum, CLARA statim ad nuptias sibi oblatas onvolat.

HINC:

QUAER. 1.° *An Episcopus dispensare possit a votis simplicibus in religione emissis?*

2.° *An possit solvere vinculum religionis cum omnibus monialibus in Gallia, in praesenti rerum statu?*

3.° *An possit solvere a voto simplici castitatis, quoties a voto paupertatis et oboedientiae dispensare valet?*

4.° *Quid specialiter in casu?*

(1) Hodie omnes, aut fere, religiosae ex universa Gallia expulsae sunt.

SOLUTIO:

130. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Episcopus nequit dispensare in votis simplicibus publicis emissis in *religione* stricte dicta. S. C. Ep. et Reg., 3 maii 1902, a. XII.

2.° In sodalitatibus votorum simplicium «quarum Apostolica Sedes vel leges *recognovit,* vel institutum *commendavit* aut *approbavit*... condonare vota, sive ea temporaria sint, sive perpetua, unius est Romani Pontificis». Leo XIII, const. *Conditae a Christo,* 26 nov. 1900.

3.° In sodalitatibus vero «quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum sunt assecutae... Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, *uno dempto* (ex auctoritate saltem propria) *calendae perpetuo castitatis.* Cavendum tamen ne in istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus». Ibid., n. 8.

131. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° *Affirm.* quoad *moniales* antiquorum Ordinum ex speciali concessione Sedis Apostolicae (S. Paenit., 23 dec. 1835) *firmo manente voto castitatis.* Hac tamen facultate non fruuntur Episcopi Belgii, **Mexici** nec Stat. Foeder. Amer. sept.

2.° *Neg.* quoad sorores recentiorum Congregationum, quarum Apostolica Sedes vel leges *recognovit* vel institutum *commendavit* aut *approbavit.*

132. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.* iuxta dicta in responsionibus praecedentibus.

133. — *R. ad* 4m *Quaes.* Episcopus non poterat CLARAM a votis dispensare, nisi forte sodalitas Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum fuerit assecuta. Immo etiam in hoc casu firmum maneret votum castitatis.

* CASUS XXIII (1)

DISPENSATIO IN VOTIS RELIGIOSIS 3.°

ZOZIMO, sacerdoti regulari, cum exercitia spiritualia in quadam monialium communitate traderet, inter alias paenitentes occurrit AGATHA novitia, quae, inscio confessario, nec monita Superiorissa, votis privatis religionis se obstrinxerat, et postea, taedio vitae religiosae affecta, de facto lugebat. Ut miserae opem ferat ZOZIMUS, privilegio regularibus concesso vota scilicet simplicia, nec Papae reservata,

(1) Casus XXII, utpote qui nihil novi contineret, omittitur cum respondentibus, nn. 134-137.

commutandi utitur, ut vinculum religiosum, quo se ligaverat AGATHA, remanente tamen voto castitatis, dissolvat, et eam in pace dimittat.

HINC:

QUAER. 1.° *An* ZOZIMUS *regularis, vi privilegiorum, vota religionis privata a novitia emissa commutare potuerit?*

2.° *Quid si haec vota de consensu confessarii ordinarii, vel Superiorissae, facta fuerint?*

SOLUTIO:

138. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia haec vota sunt omnino *privata,* neque reservata sunt, neque vinculum religionis proprie constituunt. Nullum enim ius tertii sive Superioris sive communitatis violavit, cum haec vota a Superioribus acceptata non fuerint ut vota vere religiosa, quae publice fiunt, ideoque a Superiore nomine et auctoritate Ecclesiae acceptantur. V. **Comp.,** n. 166.

139. — *R. ad* 2m *Quaes.* Idem prorsus dicendum ac in casu praecedenti. Approbatio enim privata confessarii, vel Superiorissae, non impedit quin vota haec omnino privata sint. Non accipiuntur nomine Ecclesiae ut vota religiosa, sed simpliciter ut privata permittuntur, et ex parte voventis, devotionis gratia aut ad virtutis exercitium meritumve maius emittuntur. Ergo a sacerdote quolibet, ad vota privata dispensanda delegato, dispensari possunt.

* CASUS XXIV

DISPENSATIO IN VOTIS RELIGIOSIS 4.°

PATERNUS, sacerdos regularis, confessionem BARBARAE, saecularis puellae, excipiens, audit eam votum ingrediendi religionem emisse, nec habere nunc requiem donec ab eo solvatur, ut favorabiles nuptias sibi propositas acceptet, et gravissimis tentationibus contra castitatem viam praecludat. Re mature perpensa, existimavit confessarius se posse valide et licite mulieri succurrere, illiusque votum in aliud pium opus commutavit. Postea vero, anxius quaesivit utrum recte egerit?

HINC:

QUAER. 1.° *An* PATERNUS *commutare potuerit votum ingrediendi religionem a* BARBARA *emissum?*

2.° *Quid, si in Belgio fiat; seu, an votum ingrediendi monasterium monialium sit reservatum in Belgio?*

SOLUTIO:

140. — *R. ad* 1m *Quaes. Nego per se.* Ratio est, quia votum

illud est Summo Pontifici reservatum, et ne Episcopus quidem ab eo dispensare potest. Attamen attendendum est ad Ordinem seu communitatem a BARBARA intentam. Etenim, si communitas illa non sit religio proprie dicta, seu in qua *vota sollemnia* (can. 1309) emittuntur, absque difficultate a PATERNO votum illud solvi poterit, quia per religionem intelligitur religio proprie dicta, seu in qua religiosi *sollemniter* profitentur. Nec erit votum Papae reservatum, nisi fuerit emissum *absolute* et post completum decimum octavum aetatis annum (ibid.).

R. ad 2m *Quaes. Nego.* aspectis praesentibus circumstantiis. Ratio est, quia, uti iam diximus, moniales nunc in Belgio existentes non habentur ut religiosae in stricto sensu, cum vota sollemnia non emittant. Ergo votum ingrediendi in huiusmodi religionem non est reservatum; ergo a regulari aut ab alio delegato quocumque solvi potest. Cfr. supra, n. 98.

Idem tene de monialibus in **Mexico** et in Stat. Foeder. Amer. sept. (exceptis quattuor monasteriis a Visitatione) degentibus, quae vota sollemnia non emittunt (nec emittere possunt) propter impossibilitatem servandi clausuram papalem; quamvis pertineant ad antiquos Ordines votorum sollemnium.

* CASUS XXV

INDULTUM SAECULARIZATIONIS

TITIUS, regularis, rescriptum saecularizationis petierat et obtinuit. Verum cum Superior acceptum rescriptum ei tradere voluit, TITIUS illud noluit accipere, dixitque se iam nolle e monasterio egredi.

HINC:

QUAER. *An Superior* TITIUM *retinere in monasterio possit aut debeat, an vero, illum cogere ad acceptandum rescriptum et ad monasterium relinquendum?*

SOLUTIO:

140 *a.* — Si agitur de temporaneo saecularizationis indulto, seu proprie de indulto *exclaustrationis,* certum est TITIUM posse illud non acceptare. Immo, etiam si illud acceptaverit, posse ad monasterium redire, quamvis nondum finitum sit tempus indulti, quandocumque ei placuerit; et Superior tenetur TITIUM admittere (S. C. Ep. et Reg., 22 ian. 1839; 5 iun. 1840; 22 ian. et 17 aug. 1841). Potest tamen Superior exquirere congrua documenta anteactae vitae et morum dum vi indulti in saeculo versabatur TITIUS, et eum obligare ad spiritualia exercitia peragenda (S. C. Ep. et Reg., 30 ian. 1824). Ratio est, quia indultum pro TITIO habet rationem privilegii, quo

TITIUS uti non tenetur. Cfr. *Piat,* Praelectiones iur. regul., vol. 1, q. 189; *Vermeersch,* De religiosis, vol. 2, pag. 135, n. 119.

140 *b.* — Si indultum sit perpetuum, seu *saecularizationis* proprie dictum, nec vim expulsionis habeat, adhuc TITIUS posset illud non admittere; si admiserit, eo ipso ius amisit redeundi ad religionem, quia desinit esse membrum familiae. Unde tenetur impedimento ingrediendi quamlibet religionem, etiam quae fuit illius propria, nisi dispensationem obtineat a Sede Apostolica. Cfr. can. 640 et 542, 1.°

Quod si praedictum indultum vim habeat expulsionis, cogi potest ad illud admittendum. Tunc enim habet rationem poenae.

* CASUS XVI

NULLITAS PROFESSIONIS RELIGIOSAE

BERTHA, monialis votorum sollemnium, a daemone delusa, claustrum dereliquit, et in remota regione, mutato nomine, matrimonium contraxit. Remorsu conscientiae exagitata, rem totam exponit confessario, qui comperit BERTHAM ante sollemnem professionem non explevisse triennium votorum simplicium, sed defuisse aliquot horas, itemque ad annum novitiatus explendum.

HINC:

QUAER. 1.° *An vota simplicia ac sollemnia* BERTHAE *fuerint valida?*

2.° *An saltem vim habeant voti privati castitatis?*

3.° *An validum sit eius matrimonium?*

SOLUTIO:

140 *c.* — *R. ad* 1m *Quaes. Negative,* nam pluries declaravit S. C. Conc. nullitatem professionis emissae ante completum annum novitiatus, licet duae horae deessent (21 ian. 1617, 1 febr. 1631) vel una tantum (8 ian. 1886), vel quia in anno bisextili non fuit expectatus dies qui addendus est (5 iul. 1617, 21 aug. 1623). Eodem pacto debet esse completum triennium votorum simplicium vel temporalium (S. C. Ep. et Reg., 8 ian. 1886). Idipsum constat ex can. 32-35; 555, 572, 574. Cfr. *Ferreres,* Inst. can., vol. 1, nn. 174, 175, 860, 873, 874; Las religiosas, Com. IV, n. 471, ed. 5.ª Unde in nostro casu ex duplici capite nulla fuit professio sollemnis: 1.° quia triennium votorum simplicium non fuit expletum; 2.° quia cum professio simplex fuerit nulla, secum affert nullitatem professionis sollemnis.

140 *d.* — *R. ad* 2m *Quaes. Negative.* Nam quod professio emissa ante completum annum novitiatus ita sit absolute nulla ut neque vim voti privati castitatis habeat, declaravit expresse Conc. *Trid.,* sess. 25, c. 15, de Relig. Et idem videtur dicendum de professione

sollemni ante completum triennium votorum simplicium propter eamdem rationem.

140 *e.—R. ad* 3m *Quaes. Affirmative,* cum vota sollemnia fuerint nulla. Unde BERTHA nullo detinetur voto nec privato quidem castitatis. In foro tamen externo opus esset declaratione nullitatis ipsius professionis lata a S. Congr. de Religiosis; sed post factum, cum nomen et conditio BERTHAE omnibus sint ignota, poterit confessarius declarare valorem matrimonii et relinquere BERTHAM in hac sua nova bona fide.

CASUS

DE SACRAMENTIS IN GENERE

SEU

De valore et efficacia Sacramentorum, de eorum materia, forma, ministro et subiecto.

CASUS I

VALOR SACRAMENTORUM 1.°

PARMENIO, parochus, infantem baptizans, strepitu et tumultu nonnullorum puerorum, et baptizandi vagitibus distractus, aquam primum fundit tacens, et postea verba formae proferre festinat. Subinde anxius nescit an possit vel debeat baptismum iterare. Tandem se resolvit ad iterationem omittendam; sed non ideo omni anxietate caret.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid requiratur ad valorem Sacramentorum?*
2.° *Quaenam unio materiae et formae interesse debeat?*
3.° *An* PARMENIO *valide baptizaverit, vel sacramentum iterare debuerit?*

SOLUTIO:

141. — *R. ad* 1m *Quaes.* Ad omne sacramentum conficiendum requiritur materia debita, forma propria et applicatio formae ad materiam per legitimum ministrum.

R. ad 2.m *Quaes.* Materia et forma uniri debent, vel physice, vel saltem moraliter, pro natura singulorum Sacramentorum, ita ut verba formae applicata materiae verificentur et effectum producant. Hinc materia et forma ab eodem ministro necessario sunt applicanda; si unus enim materiam poneret et alter formam pronuntiaret, verba formae non verificarentur; v. gr. si PAULUS diceret: *Ego te baptizo,* dum PETRUS aquam effunderet, falsum proferret PAULUS.

142. — *R. ad* 3m *Quaes.* PARMENIO valide baptizavit, iuxta communem sententiam, apud *S. Alph.*, n. 9. Ratio est, quia videtur sufficere in baptismo unio moralis consistens in hoc quod forma statim subsequatur materiae applicationem, vel eam immediate praecedat. Attamen in praxi, cum plures theologi graves contendant requiri aliquam

simultaneitatem inter materiam et formam, seu ut non perficiatur effusio aquae quin forma incepta fuerit, aut non compleatur forma quin effusio inceperit, baptismus iterandus est, si res non ita peracta fuerit. Hinc PARMENIO baptismum iterare debuisset, et adhuc iterare debet, sub conditione. Cfr. *Berardi,* Praxis confessar., vol. 3, n. 795; *Marc,* Inst. mor., n. 1402; *Lehmk.,* Casus, vol. 2, n. 14. — Pater *Bucceroni,* Casus, § 108, n. 8, valde dubitat de necessitate vel obligatione iterandi in casu baptismum, quia hic videtur ipsi certe validus; at minime dubitandum videtur, in *praxi* standum esse pro iteratione.

CASUS II

VALOR SACRAMENTORUM 2.°

CALLISTUS, parochus, confessionem TITII graviter decumbentis excipiens, intelligit illum habere prolem ex matrimonio putatitio cum BERTHA. Ut tanto malo remedium efficax afferat, iudicat instaurandum esse matrimonium istud. Quare TITIUM interrogat, utrum BERTHAM in veram uxorem accipiat. Annuit TITIUS, et consensum coram duobus testibus advocatis ratum habet. Vocatur BERTHA; ei venienti obvius exit CALLISTUS cum testibus, et ait: *Te* TITIUS *in veram uxorem accipit; nonne tu quoque eum in virum accipis?* — Respondet BERTHA: *Accipio.* His peractis, ad TITIUM adeundum properant, sed, heu! illum iam sensibus destitutum inveniunt.

HINC:

QUAER. 1.° *An validum sit matrimonium inter* TITIUM *et* BERTHAM *celebratum?*

2.° *An recte egerit* CALLISTUS?

SOLUTIO:

143. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Validum est matrimonium TITII et BERTHAE, quia adfuit unio moralis sufficiens inter utriusque consensum. Etenim consensus TITII fuit legitime praestitus coram parocho et testibus idoneis; et paulo post accessit etiam consensus BERTHAE coram eodem parocho et iisdem testibus. Ergo nihil deest ad matrimonii valorem. Sufficit enim in matrimonio unio moralis etiam lata inter consensum sponsorum, quia matrimonium per modum contractus initur; in contractu autem minime requiritur, ut consensus utriusque contrahentis simul ponatur. Attamen, ad validitatem huius matrimonii, supponi debet TITIUM rationis usum servasse usque ad tempus quo BERTHA et ipsa consensum praestitit; secus enim unio requisita deesset, siquidem consensus viri moraliter non perseveraret. — Immo etiam illud facessit difficultas, quod, scilicet, consensus in casu non fuerit mutuo cognitus et acceptatus, prout videtur requiri in contra-

ctibus bilateralibus. Nihilominus, saltem probabiliter, videtur sufficere lla acceptatio, quae includitur in proprio consensu praestando. Cfr. *Buccer.*, l. c.; *Génicot*, Casus, tr. 18, c. 3, cas. 3.

144. — *R. ad* 2m *Quaes. Per se* modus ille contrahendi matrinonium illicitus est, utpote praxi et ordinationi Ecclesiae oppositus. Sponsi enim ambo et testes coram sacerdote praesentes esse debent, nisi Episcopus aliquando dispensaverit, ut fit, gravi de causa, quando matrimonium per procuratorem celebratur. Non videtur tamen damnandus sacerdos, si reapse timuit ne tempus exspectandi adventum Berthae deficeret, ut reapse defecit. Igitur, obtenta moribundi facultate, potuit cum testibus ire obviam sponsae. Etenim quod est validum et *per se* illicitum de iure positivo, facile, urgente aliqua necessitate, licitum fieri potest.

CASUS III

MUTATIO MATERIAE

1.° Sylvius, parochus, oleo infirmorum in finem vergente, huic quantitatem maiorem olei non benedicti addidit, et sic plurimos moribundos extrema unctione munivit. Alias, eodem oleo penitus deficiente, sacro chrismate aegrotos inunxit, et ad caelites immisit.

2.° Trophina, obstetrix, dum Missae sollemni Sabini neosacerdotis, prima vice celebrantis, interesset, eumque egregie praefationem cantantem audiret, laetabunda in media turba fidelium exclamavit: *Optime sane! Quantum profecit! Nil mirum; ego enim ipsa eum baptizavi, et lactis copiam cum aqua immiscui!*

Hinc:

Quaer. 1.° *Quaenam mutatio materiae et formae sacramentum efficiat invalidum?*

2.° *An* Sylvius *valide et licite extremam unctionem ministraverit in utroque casu?*

3.° *Quid de baptismo* Sabini? *et quid nunc in praxi faciendum sit?*

Solutio:

145. — *R. ad* 1m *Quaes.* Omnis mutatio substantialis materiae et formae sacramentum invalidat, non vero mutatio mere accidentalis, licet peccatum grave inducere possit, si notabilis sit. Dicitur autem mutatio substantialis *in materia,* si eadem dici nequeat, iuxta aestimationem hominum, ac ea quae a Christo fuit determinata, et *in forma,* si sensus verborum a Christo intentus in alium mutetur.

146. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Sylvius invalide moribundos inunxit *in primo casu,* quia materia sacramenti extremae unctionis est

oleum ab Episcopo benedictum: atqui oleum vere substantialiter corruptum adhibuit, siquidem ex maiori parte oleum non benedictum cum benedicto immiscuit. Ergo materiam substantialiter mutavit; ergo invalide sacramentum confecit.

Debuisset SYLVIUS admiscere quidem aliud oleum, sed in minori quantitate, ut dicit *Rituale Rom.* de extrema unctione. Ita etiam Codex, can. 734, § 2: «Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia». Cfr. etiam C. P. **Amer. lat.,** n. 570; C. **Manil.,** n. 674. Tunc enim *maior pars trahit ad se minorem.* Immo, quamvis oleum non benedictum successive addatur in minori quantitate per decursum anni, valida tamen adhuc remanet materia sacramenti, licet omnes partes olei non benedicti, simul spectatae, quantitatem olei benedicti forte superent. Constat ex Codice can. et ex decisione S. Congr. Apud *S. Alph.,* n. 708.

2.° *In secundo casu,* SYLVIUS materiam dubie validam adhibuit; controvertitur enim utrum oleum debeat esse benedictum in ordine ad sacramentum infirmorum. Debuisset parochus ille attendere ad olei penuriam, antequam penitus defecisset, et aliud inquirere, vel illud cum oleo non benedicto, ut supra dictum est, vel etiam cum chrismate admiscere. Urgente autem praesenti necessitate, potuit materiam hanc dubiam adhibere; sed satagere debuit, elapso illo casu particulari, ut materiam certam obtineret. V. **Comp.**, n. 833.

147. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Ut sciatur utrum validus fuerit baptismus a TROPHINA collatus, ab ipsa inquirendum est utrum multo minorem lactis copiam cum aqua immiscuerit, vel aequalem circiter, vel etiam maiorem. In primo casu, sacramentum ut validum habendum est, quia est tantum mutatio accidentalis; secus in ceteris casibus, ut patet. Si mutatio substantialis fuerit, baptismus SABINI iterandus omnino erit, et sacri ordines repetendi.

CASUS IV

LAPSUS LINGUAE

Seu mutatio involuntaria formae

1.° SIDONIUS, sacerdos, Sacrum faciendo, cum ad verba consecrationis panis devenisset, lapsu linguae, aut distractione, dixit: *Hoc est calix...* et statim ad errorem advertens, retractavit mentaliter verbum *calix,* et reliquam formae partem protulit, seu *corpus meum.* Postea dubitavit num debuisset formam iterare, et etiam num an aliam Missam pro stipendio accepto celebrare teneatur.

2.° Alias, ex linguae praecipitatione dixit: *Hoc corpus meum,*

scilicet, omittendo verbum *est;* vel: *Hoc est corpus meus,* vel *corpus meu,* nec formam iteravit. Quamobrem ipsi novae anxietates exortae sunt, tum circa Sacri valorem, tum circa obligationem aliud novum applicandi.

HINC:

QUAER. 1.° *An valida fuerit consecratio in primo casu?*
2.° *Quid de consecratione hostiae in secundo?*
3.° *Quid de forma sequenti:* Hoc est corpus meus, *vel* Hoc est corpus meu?

SOLUTIO:

148. — *R. ad* 1m *Quaes.* Res controversiae subiici potest. Primo intuitu, ista forma invalida videtur, quia haec verba nullum sensum referunt. Non satis erat ut sacerdos mentaliter errorem corrigeret, seu per intentionem demeret verbum *calix,* quod lapsu linguae irrepserat; verba enim formae materialiter accipienda sunt, et tantum valent quantum sonant: atqui in casu nihil sonant; ergo nihil valent; id est, nihil significant. Ergo forma erat repetenda.

149. — Attamen rationes quae in oppositam sententiam afferri possunt, minime contemnendae sunt. Etenim verba tantum valent quantum fert usus humanus. Porro in usu humano, si lapsu linguae effluat ex ore verbum indebitum, statim sola vocis mutatione corrigitur, neque orationis initium repetitur. Igitur forma, ubi prolata est vox indebita *calix,* potuit sufficienter a celebrante, mutato solum verbo indebito, corrigi. Ergo consecratio fuit valida saltem probabiliter, sicut valet baptismus sic collatus: *Ego te baptizo in* honore... *in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.* Propter dubium vero sacerdos debuisset formam repetere sub conditione. Sed, peracto Sacro, non debuit aliud pro stipendio accepto celebrare. Immo nec deberet aliam Missam celebrare, etiamsi illa prior consecratio esset certo invalida, quia probabiliter consecratio unius speciei sufficit ad essentiam Sacrificii. Sic *Lacroix,* l. 6, part. 2, n. 15; *S. Alph.,* l. 6, n. 306, etc. Attamen sententia communior et probabilior tenet utramque consecrationem requiri ad Sacrificii essentiam (1).

150. — *R. ad* 2m *Quaes.* Invalida est haec forma: *Hoc corpus meum,* quia, verbo deficiente, nullus sensus his verbis exprimitur. Etenim, licet in lingua latina soleat saepe in continua oratione omitti verbum, hic tamen praetermitti nequit. Ratio est: 1.° quia nihil reperitur in vocabulis praecedentibus quod indicet verbum supplendum esse; 2.° quia non tantum requiritur verbum ad sensum propositionis enuntiandum, sed etiam ad Corpus Christi efficiendum; verba enim formae

(1) *S. Alph.,* De Euch., l. c. Cfr. *Suárez,* De Euch., disp. 75, sect. 6; *Lugo,* De Euch., d. 19, n. 906; *Ball.-P.,* vol. 4, n. 989; *Gasparri,* n. 25.

non sunt solum enuntiativa, sed etiam practica, seu id efficiunt quod significant. V. **Comp.**, n. 384.

151. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Non censetur invalida haec forma: *Hoc est corpus meus,* vel *Hoc est corpus meu;* mutatio enim ista ab omnibus theologis ut accidentalis habetur, quia corruptio in fine verborum, eorum sensum non destruit, et insuper genus masculinum grammaticae tantum adversatur.

* CASUS V

MUTATIO FORMAE

BERTHUSA, obstetrix, infantem recens natum, et iam iam cum morte luctantem, sequenti formula baptizaverat: *Ego te baptizo in nomine Patris, Filii, Spiritus Sancti, atque Beatae V. Mariae.* Parens vero huius prolis, qui ad modum hunc baptizandi advertit, id parocho denuntiavit. Hic autem dubitat utrum proles sit baptizanda, tum propter omissionem duplicem vocis *et,* tum propter additionem nominis *B. M. Virginis.* — Alias, eadem BERTHUSA alium infantem iam iam morientem baptizans, ut citius formam proferret, dixit: *Ego te baptizo in nomine* Sanctissimae Trinitatis.

HINC:

QUAER. *An* BERTHUSA *valide baptizaverit:* 1.°, *bis omittendo vocem* et; 2.°, *addendo nomen* B. M. Virginis, *et* 3.°, *dicendo, in nomine* Sanctissimae Trinitatis.

SOLUTIO:

152. — *Resp. ad Quaes.* 1.° BERTHUSA valide baptizavit omittendo *et* ante nomen Filii (S. C. C., 12 sept. 1801), quia ex more loquendi ordinario, in enumeratione ponitur tantum *et* ante ultimam vocem enuntiandam. Dubia autem est forma, si *et* omittatur ante *Spiritus Sancti,* quia tunc non satis videtur exprimi processio Spiritus Sancti, siquidem intelligi potest modo adiectivo, sive Patri, sive Filio referendo. Cfr. *Génicot,* n. 137; *Lehmk.,* n. 64. — Attamen *Berardi,* l. c., n. 839, existimat formam in casu validam esse, nisi particula **et,** *mente haeretica* fuerit omissa, ad excludendam processionem Spiritus Sancti; quod etiam nobis videtur *probabilius.* V. **Comp.**, n. 310.

2.° Valida est forma cum additione *beatae Mariae Virginis,* quia est completa iam forma cum haec verba adiiciuntur. Excipiunt nisi minister mente haeretica ab initio prolationis formae intendat coniungere *beatam Virginem* cum tribus personis *SS. Trinitatis,* ita ut valor et efficacia baptismi aeque a Matre Dei pendeat.

3.° Nihil autem valet, saltem probabilius, baptismus collatus *in*

nomine SS. Trinitatis, quia in hac forma non sat destincte exprimuntur singulae personae divinae, siquidem vox *Trinitas* confuse et implicite tantum personas significat. *S. Alph.*, n. 111. — V. **Comp.**, n. 311.

CASUS VI

INTERRUPTIO FORMAE

Cornelius, sacerdos, paenitentem, peracta confessione, absolvebat. Verum, postquam protulisset priora verba *Ego te absolvo,* respiciens, animadvertit eum iam e sacro tribunali discessisse; quapropter eum revocavit dicendo: *Quid est hoc quare non exspectasti? Revertere, et genuflecte usquedum te absolverim.* Illo autem reverso, confessarius addidit verba reliqua, scilicet *a peccatis tuis.*

Alias, cum infantem baptizaret et iam dixisset: *Ego te baptizo,* mox ad pueros confabulantes conversus, formam interrupit clamans: *Silete, garruli; silete, pueri pessimi, absurdi pueri!* Et postea perrexit: *in nomine Patris et Filii et Spi* (hic subito sternutat et tussit) *ritus Sancti.*

Hinc:

Quaer. 1.° *Quaenam interruptio vitiet formam sacramenti?*
2.° *An* Cornelius *invalide absolverit, baptizaverit, in exposito casu?*
3.° *An illicite egerit et quatenus? quid facere debuisset? vel quid consultius egisset?*

Solutio:

153. — *R. ad* 1m *Quaes.* Non potest bene determinari; sed attendendum est ad aestimationem communem hominum in variis circumstantiis. Interiectio, sternutatio, brevis tussis, valori formae non nocet, etiamsi inter syllabas ipsas habeatur. Tussis autem multum producta inter verba ipsa, formam nullam reddit. In dubio autem utrum interruptio nimia fuerit, semper forma integra repetenda est.

154. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Cornelius valide absolvit; quia interruptio verborum et interpositio non fuit tanta, ut verba sequentia *a peccatis tuis,* in morali hominum aestimatione, non censerentur coniungi cum praecedentibus *ego te absolvo.* Attamen, si verba absolutionis repetiisset ad cautelam sub conditione, non fuisset damnandus. Sed quare sub conditione? Quia, iuxta multos doctores, sufficiunt probabiliter ad formam absolutionis verba *absolvo te.* Ergo *probabiliter* paenitens fuit absolutus ante interruptionem; ergo, si verba repetita fuissent, sub conditione id fieri debuisset. *Elbel,* n. 13.

2.° Cornelius valide quoque baptizavit; interruptio enim non

vitiavit formam, nisi accidentaliter, quia non tollitur sensus ubi parva tantum verborum interruptio interponitur, siquidem neque intentionem loquentis, neque intellectum verborum aufert, ut ait *S. Thomas,* part. 3, q. 66, a. 6. Atqui brevis quidem fuit interruptio, sive pueros corrigendo et increpando, sive etiam tussiendo et sternutando. Ergo validitati baptismi nihil prorsus obesse potest. *Voit,* n. 23.

155. — *R. ad* 3^m *Quaes.* 1.° Cornelius illicite egit tali modo paenitentem revocando, cum ipsius gravamine et aliorum scandalo. Minime necessarium erat illum revocare, siquidem certo moraliter praesens erat. Satis fuisset igitur formam absolutionis inceptam perficere, et non amplius de paenitente cogitare.

2.° Etiam in secundo casu illicite egit, et quidem *per se* graviter ratione scandali aut iniuriae gravis sacramento irrogatae. Non enim adeo urgebat ut pueros isto modo increparet. Numquid erat periculum in mora, ut formam sacramentalem prius absolvere non potuerit? *Voit,* ibid.

CASUS VII

REPETITIO FORMAE

Henricus, sacerdos, scrupulis usque ad dementiam agitatus, videtur sibi nunquam satis exprimere verba consecrationis; quare: 1.°, solet ea elate dicere, mirantibus Sacro assistentibus et obstupentibus, ac ter vel quater singula repetit sequenti modo: *Hoc, hoc, hoc; est, est, est; corpus, corpus, corpus; meum, meum, meum, meum.*

2.° Confessiones audiendo saepe dubitat an verba absolutionis protulerit, et ideo ea pronuntiat et repetit.

3.° Aliquando, si videatur sibi lapsu linguae non recte pronuntiasse ultimam syllabam verborum, eam solam repetit, v. gr.: *Te absolvo a peccati tui,* ad errorem corridendum addit *tis, tis,* etc.

4.° Quoties aliquam distractionem in forma sacramenti proferenda patitur, eius verba repetit.

Hinc:

Quaer. 1.° *Quandonam forma repeti possit, vel debeat?*
2.° *Quomodo peccet, eam inutiliter repetens?*
3.° *Quid de* Henrico *iudicandum in variis casibus expositis?*

Solutio:

156. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Forma sacramenti repeti potest sub conditione, quando est dubium prudens de eius valore; esset enim incommodum grave, si sacramentum deficeret, quia suscipiens sacramentum eius fructu privaretur; prudens autem timor huius incommodi, causa sufficiens est formam iterandi. Ratio est, quia *Sacramenta sunt*

propter homines; licet igitur sacramentum exponere periculo nullitatis, apposita tamen conditione, si bonum hominis id requirat. 2.° Forma sacramenti repeti debet, stante prudenti timore de eius valore, si bonum recipientis vel religionis necessario exigit ut repetatur: v. gr. si dubium sit de valore baptismi, vel absolutionis pro mortalibus impertiendae, vel consecrationis, aut ordinationis. V. **Comp.,** n. 266.

157. — *R. ad* 2m *Quaes.* Minister sacramenti repetens formam inutiliter, *per se* graviter peccat, quia gravem iniuriam rei sacrae infert, adhibendo verba formae, cum sciat ea nullum effectum producere posse. Attamen *in praxi* excusandus est a peccato *gravi,* ille qui ex aliqua praecipitatione formam repetit. Etiam scrupulosus, in scrupulis obfirmatus, videtur aliquatenus a peccato, saltem gravi, liberandus, ob defectum libertatis. Sed non difficile est ut, saltem contrahendo repetendi consuetudinem, *per se* mortaliter peccet. Quare igitur, o sacerdos! formam sacramentalem pluries repetis cum tanta sacramenti iniuria? Quare laboras scrupulo inani circa debitam pronuntiationem, et peccatum grave, quod adstruunt theologi communiter ratione repetitionis formae, nullatenus reformidas? Si peccatum times, scito timendum esse ubi est reapse, non vero ubi ne umbra quidem illius apparet.

158. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Peccavit *per se* graviter Henricus formam Eucharistiae adeo iniuriose tractando; *per accidens* tamen, ratione dementiae, a peccato gravi facile excusabitur. 2.° Idem etiam dicendum de repetitione formae absolutionis; attamen ratio scandali facilius in hoc casu abesse posset. 3.° Quoad repetitionem ultimae syllabae verborum, hoc insaniam prorsus redolet. 4.° Peccavit etiam graviter, *per se,* repetendo integram formulam sacramenti ob aliquam distractionem, quia, non obstante distractione, haberi potest certitudo moralis de pronuntiatione debita: atqui repetere formulas cum certitudine morali de valore sacramenti, est profanatio eiusdem gravis: ergo... etc.

CASUS VIII

INTENTIO MINISTRI 1.°

Lucillus, Sacrum celebraturus, admonetur ab aedituo tres hostias minores in altari appositas esse consecrandas, et tribus laicis petentibus porrigendas. Annuit ille; sed ex oblivione, neque in oblatione, neque in consecratione, de iis recordatus est. Cum autem ad communionem devenisset, obstupuit cernens tres hostias in corporali, et quartam extra corporale. Dubitans autem utrum essent consecratae necne, eas omnes particulas post hostiam maiorem sumpsit, et laicos ad aliam diem dimisit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam intentio requiratur in ministro ad sacramenti validitatem?*

2.° *An* LUCILLUS *valide consecraverit omnes hostias in altari positas, necne?*

3.° *An recte egerit?*

SOLUTIO:

159. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Requiritur in ministro sacramenti intentio vera et seria saltem faciendi id quod facit Ecclesia. *Trid.*, sess. 7.ª, can. 11. — 2.° Non requiritur vero intentio *actualis*, sed *virtualis* sufficit; quia ad hoc perdurat, vel in eadem serie actionum, vel saltem in sua intensitate, ita ut vere in actionem ministri influat, et actio illa vere humana dici possit. — 3.° Intentio autem habitualis non sufficit, neque a fortiori intentio interpretativa. V. **Comp.**, n. 269.

160. — *R. ad* 2^m *Quaes.* 1.° LUCILLUS valide consecravit tres hostias in corporali appositas et repertas, easque laicis praebere debuisset. Ratio est, quia eius intentio illas consecrandi fuit vere *virtualis*, cum ad istas hostias, ab aedituo monitus, ab initio Missae adverterit. Prior enim intentio consecrandi, non obstante oblivione tempore consecrationis habita, virtualiter perseveravit. *Elbel*, n. 14.

2.° Hostia quarta habenda est ut *dubie* consecrata. Etenim si constet eam ab initio fuisse cum aliis in corporali repositam, constabit etiam de intentione sacerdotis eam consecrandi, et consequenter saltem *probabiliter* vel *probabilius* talis hostia est consecrata. Immo esset *certo* consecrata, si constaret eam etiam tempore consecrationis fuisse inter alias in corporali, et postea aliquo casu, v. g. per manipulum sacerdotis, extra corporale fuisse deiectam. Sed quia hoc postremum non constat, et auctores non consentiunt circa primam quaestionem, scilicet, an censenda sit consecrata hostia vel ciborium quod per oblivionem, vel casu, extra corporale relinquatur, habenda est illa hostia tanquam *dubie* consecrata. V. **Comp.**, n. 380.

161. — *R. ad* 3^m *Quaes.* LUCILLUS male fecit, hanc hostiam statim post maiorem hostiam sumendo; quia hoc est contra rubricas, ubi statuitur, ut, si quid consumendum sit, id post SS. Sanguinis sumptionem fiat. Insuper cum haec hostia *probabiliter* non sit consecrata, sacerdos, eam sumendo ante absumptionem SS. Sanguinis, ieiunium naturale frangit.

CASUS IX

INTENTIO MINISTRI 2.°

MEDERICUS, sacerdos, confessiones excepturus, intentionem habet hac vice non absolvendi MARCUM consuetudinarium, licet videatur satis dispositus, ad eius constantiam magis probandam. Accedens vero

MARCUS in media turba, a confessario non agnoscitur, idcirco ab eo absolvitur. Confessarius ad errorem statim advertens, haeret dubius et anceps; nescit enim an absolutionem iterare debeat, vel paenitentem a communione impedire; tandem ad absolutionem denuo impertiendam se resolvit.

Alias idem MEDERICUS statuerat PAULUM non hac vice absolvere, ut dignius ad sacramentum se disponeret, et id paenitenti iam significaverat, cum subito ex animi distractione verba absolutionis protulit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* MEDERICUS *valide* MARCUM *absolverit; et an recte egerit absolutionem iterando?*

2.° *An valida fuerit absolutio* PAULO *impertita?*

SOLUTIO:

162. — *R. ad* 1^m *Quaes.* MEDERICUS praesumendus est valide absolvisse. Etenim valide absolvit, si prior eius intentio non absolvendi non fuit absoluta, ita ut potuerit implicite retractari per intentionem absolvendi paenitentem praesentem. Atqui ita est; nam sibi proponendo MARCUM non absolvere, id statuebat, non praecise ob MARCI indignitatem, sed ut ille postea magis ad beneficium absolutionis disponeretur. Verum, si futurum errorem praevidisset tunc, numquid, illo occurrente casu, adhuc absolutionem MARCO denegasset? Nequaquam. Non potuisset enim ita statuere, quia noluisset afferre maximum incommodum paenitenti, qui non absolutus discessisset, nec damnum illud reparare potuisset, cum illud ignoraret. Ergo intentio absolvendi in confessario videtur omnino praeponderans in casu nostro. Ergo MARCUS fuit valide absolutus. Ergo MEDERICUS, confessarius, omnem sollicitudinem de errore debuisset deponere; et proinde absolutionem repetendo male fecit. In vero dubio saltem conditio ab ipso apponenda fuisset. *S. Alph.,* De Sacr. in gen., n. 28.

163. — *R. ad* 2^m *Quaes. Neg.* Confessarius in hoc secundo casu evidenter caruit intentione absolvendi, siquidem suam mentem ipsi paenitenti iam modo aperuerat. Ergo verba absolutionis, ab illo tunc contra suam intentionem prolata, nullam habuerunt efficaciam. Ergo invalida prorsus fuit absolutio.

CASUS X

DIGNITAS MINISTRI

ALBERTUS, sacerdos, humanam fragilitatem expertus, letali noxa sese inquinaverat. Cacodaemone victus, integro mense in hoc lugendo statu perseveravit, omnia munia sacerdotalia obeundo, scilicet, contionando, Sacrum peragendo, confessiones, sive impertita sive negata

absolutione, excipiendo, communionem fidelibus distribuendo, baptismum et extremam unctionem, data occasione, ministrando, et pluries sponsis benedicendo. Die quodam festo, pro populo celebraturus, tanto horrore sacrilegii committendi captus fuit, ut, deficiente confessarii copia, verba utriusque consecrationis praetermiserit, ad profanationem SS. Eucharistiae devitandam. Tandem confessionem dolentissime instituit, sed nescit quomodo de his omnibus sese accusare debeat.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo in singulis peccaverit* ALBERTUS? *et quomodo confiteri vel a confessario interrogari debeat?*

2.° *Quid speciatim iudicandum de omissione consecrationis, prout in casu refertur?*

3.° *An teneatur semper confiteri sacerdos, reus peccati mortalis, ante sacramenti cuiuslibet administrationem; et quid, si necessitas urgeat?*

SOLUTIO:

164.—*R. ad* 1m *Quaes.* 1.° ALBERTUS mortaliter peccavit quoties sacramentum in hoc lugendo statu sollemniter *confecit;* quia confectio sacrilega singulorum Sacramentorum constituit actum peccaminosum, in se distinctum et determinatum. Hinc toties graviter peccavit, quoties indigne sollemniter baptizavit, et infirmos sacro oleo inunxit; item quoties absolutionem impertivit, quia tot iudicia diversa et completa peregit. *Probabile* tamen est *unicum* admisisse peccatum quoties plures paenitentes successive absolvit. Item excusandus est a peccato mortali *probabilius* quando confessiones audivit quin absolveret, quia sacramentum non confecit. Excipe, nisi fuerit animo paratus ad absolvendos omnes sibi occurrentes.

2.° Iuxta plures, peccavit mortaliter Eucharistiam in mortali extra Missam ministrando, proter iniuriam gravem sanctissimo Sacramento irrogatam. *S. Alph.*, n. 35; *Billuart, Antoine,* etc. — Plures tamen et graves theologi censent, saltem probabiliter, non peccare graviter ministrantem Eucharistiam in mortali, quia non conficit sacramentum, sed tantum applicat sacramentum actu exsistens, et proinde remote tantum ad productionem gratiae cooperatur. Ita *Lugo,* De Sacram., d. 8, n. 155; *Elbel,* n. 50; *Sporer, Sylvius, Lacroix.*

In utraque sententia unicum, saltem *probabiliter,* commisit peccatum quoties Eucharistiam fidelibus distribuit, etsi plures simul ad sacramentum accesserint, quia distributio fit per modum convivii, ideoque unica censetur fieri administratio. *S. Alph.*, ibid.; *Billuart,* etc.

3.° Quoties Missam sacrilege celebravit, saltem *duplex* peccatum mortale commisit; scilicet, indigne consecrando et indigne communicando. Utrum tertium, vel quartum, admiserit sibi indigno sacramentum ministrando, vel etiam aliis in Missa Eucharistiam distribuendo,

non satis constat. — Ceterum in praxi parvi refert scire quot peccata faciat sacerdos sacrilege celebrans, cum satis sit si in confessione dicat se in mortali celebrasse.

4.° *Probabilius* graviter non peccavit contionando, vel alias functiones sacras ministerii obeundo, in quibus non intervenit neque confectio, neque administratio sacramenti. Hinc patet quomodo ALBERTUS confiteri, vel etiam interrogari debeat.

N. B. Ut similes casus resolvere queas, hanc regulam prae oculis habeas oportet, scilicet, probabilius requiri tres conditiones ut minister, conferens sacramentum in statu peccati mortalis, peccet *graviter: a)* ut *conficiat* sacramentum, *b)* ut sit *minister* ad ea conficienda *ordinatus,* et *c)* ut conficiat *sollemniter*. Et, iis tribus positis, excipitur adhuc casus in quo, urgente necessitate, non suppetat tempus se disponendi ad iustificationem saltem per contritionem. Cfr. *Génicot,* n. 114. — V. **Comp.,** n. 274 seq.

165. — *R. ad* 2^m *Quaes.* In maximum errorem impegit ille miserrimus sacerdos, dum putavit se a sacrilegio immunem evadere, consecrationem omittendo. Sacrilegium enim multo magis commisit, reliquam seriem orationum et caeremoniarum sacrarum exhibendo, et sanctissimum Missae sacrificium simulando, quin reapse illud conficeret.

166. — *R. ad* 3^m *Quaes.* 1.° Certo tenetur confiteri sacerdos, reus peccati mortalis, ante Missae celebrationem, si copiam confessarii habeat. Constat ex Conc. *Trid.,* sess. 13, c. 7, ubi praescribitur confessio omnibus fidelibus communicaturis, si in statu gratiae non versentur. V. **Comp.,** n. 428 seq.

2.° *Per se* autem non tenetur confiteri ante administrationem aliorum Sacramentorum, si facile, per actum contritionis perfectae, gratiam divinam recuperare valeat, quia confessio tunc nulla lege praescribitur.

3.° Urgente necessitate celebrandi, et deficiente copia confessarii, satis erit si sacerdos, peccati mortalis reus, actum contritionis perfectae serio eliciat, et confiteri *quamprimum* proponat. *S. Alph.,* n. 255 seq. — V. **Comp.,** nn. 274 seq., 428 seq.

CASUS XI

SACRAMENTA MINISTRANDA 1.°

RAMBERTUS, parochus, mussitare solet fere quoties ad confessiones audiendas advocatur. Erga aegrotos praesertim invisendos, eosque sacramentis muniendos, se morosum et difficilem exhibet. Quapropter non semel evenit ut, illo requisito et cunctante, plures absque sacramentis decesserint. Grassante quondam morbo pestifero, RAMBERTUS, pelli suae timens, sub praetextu alicuius urgentissimi negotii

pertractandi, se in alium locum tutum, longe dissitum, recepit, substituto tamen prius idoneo vicario, qui suo nomine animarum curam ageret, et infirmis assisteret. At primum ex illo loco dissito, per epistolam, Episcopum suum de suo discessu monuit, aliquam fictam causam exhibendo. Elapsis pluribus hebdomadis, ubi inaudit exstinctam esse luem, ad propria reversus est.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit obligatio ministri quoad Sacramenta conferenda, seu quandonam gravis sit?*

2.° *An vel quandonam Sacramenta etiam cum vitae periculo ministrare debeat?*

3.° *Quomodo peccaverit* RAMBERTUS *in omnibus?*

SOLUTIO:

167. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Pastor animarum tenetur sub gravi, ex iustitia, Sacramenta ministrare subditis suis rationabiliter petentibus, quia ad id ex *quasi-contractu*, seu ex officio suscepto, adstringitur. 2.° Alius, non pastor, nunquam tenetur Sacramenta administrare ex iustitia, bene vero ex caritate in gravi proximi necessitate. Hinc Codex: «Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur ex caritate confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes» (can. 892, § 2). V. **Comp.**, n. 280.

168. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Minister sacramenti, qui non est pastor, tenetur etiam cum vitae periculo administrare Sacramenta ad salutem necessaria, scilicet baptismum, paenitentiamque, iis qui sunt in discrimine vitae et praesumuntur versari in statu peccati mortalis, nec facile per actum contritionis sibi subvenire posse; et etiam extremam unctionem in casu quo quis nullo modo confiteri posset, v. gr. si sensibus esset destitutus. Ratio ex generali principio caritatis deducitur.

2.° Quid vero de pastore? Valde *controvertitur*. Prima sententia *valde gravis*, ait *S. Alph., affirmat* eum teneri etiam alia Sacramenta cum periculo mortis ministrare, ratione officii. Ita *Suárez, Sylvius, Vázquez*, etc. — Secunda vero sententia, etiam *valde probabilis*, ait S. Auctor, *negat*, quia alia Sacramenta non sunt tantae necessitatis, ut parochus pro eis conferendis teneatur vitam prodere. *S. Alph.*, l. 6, n. 233, refert declarationem Greg. XIII, decretum S. C. Concilii his verbis approbantis: *Parochum duo sacramenta ad salutem necessaria, nempe baptismum et paenitentiam, tunc teneri ministrare; posse autem ministrare vel per se, vel per alium idoneum, ut parochus possit audire confessiones sanorum, quia alias eum reformidarent, si viderent eum accedere ad pestilentes.*

169. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° RAMBERTUS procul dubio graviter peccavit, cum se morosum ac difficilem exhibuit, non semel, vel iterum, aut raro, sed persaepe, quoad fidelium confessiones excipiendas,

et praesertim aegrotos invisendos et Sacramentis reficiendos. Nec excusandus foret a peccato mortali, licet raro moram protraxerit, relative ad infirmos adeundos, si, ob illam moram culpabilem, aegroti absque Sacramentis decedere potuerint.

2.° Graviter etiam peccavit RAMBERTUS, deserendo suas oviculas et fugiendo, instar mercenarii, et quidem sine licentia ab Episcopo petita vel obtenta. Ratio est, quia in re gravi egit contra suam obligationem, et forte non sine scandalo et gravissima paroecianorum offensione. Parochus enim tempore pestis tenetur in paroecia morari et subditis Sacramenta, saltem saluti necessaria, ministrare; constat ex declaratione S. Congr. Conc. Trid., an. 1576. Boni enim pastoris est *animam suam pro ovibus suis ponere,* iuxta effatum Christi Domini, Ioann., 10, 11. Non satis fuit igitur ut RAMBERTUS sibi idoneum vicarium substitueret, neque ut Episcopum post discessum admoneret, quia debuit, non prius discedere quam licentiam obtinuerit; neque, in praefatis circumstantiis, facultatem abeundi postulare potuit, cum id prohibeat S. Congregatio. Insuper, neque obtenta facultate excusaretur, cum falsam causam allegaverit, ad rem ab Episcopo extorquendam.

CASUS XII

SACRAMENTA MINISTRANDA 2.°

CUNIBERTUS, parochus, advocatur ad domunculam mulieris igne flagrantem, ut ipsi, ab omnibus derelictae, saltem per absolutionem succurreret, et infantem, quem a paucis horis pepererat, baptizaret. Advolat quidem pastor; sed animadvertit arduum et periculosissimum esse opus, et ob metum mortis recusat mulierem adire, quamvis tempus adesset praedictae infelici matri, et miserae proli necessaria Sacramenta conferendi.

HINC:

QUAER. 1.° *An graviter peccaverit* CUNIBERTUS *matri et proli in tanta necessitate spirituali positis non succurrendo, non obstante propriae vitae periculo?*

2.° *An excusationem mereretur, si ipse in statu peccati versaretur?*

SOLUTIO:

170. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Casus matris valde differt a casu prolis; mater enim absolvi poterat a longe absque vitae absolventis periculo, saltem communiter loquendo. Insuper parochus non tenebatur vitam prodere ad matrem absolvendam, si scivisset mulierem pie vivere, nec ordinarie versari in statu peccati mortalis, vel tunc facile actum contritionis elicere posse. *S. Alph.,* l. 2, n. 27.

2.° CUNIBERTUS sub gravi tenebatur vitam suam exponere ad infantem baptizandum, quia parochus tenetur subvenire extremae necessitati spirituali paroecianorum, cum suo quocumque incommodo, aut damno temporali. Immo, defficiente parocho, ad id obligatur quilibet alius, quia vita spiritualis, etiam aliena, utpote bonum maius et altioris ordinis, praeferri debet saluti corporali cuiuslibet viventis. Ergo, a fortiori, ad illud tenetur parochus, de quo ait Christus: *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Ioann., 10, 11. Ergo peccavit graviter CUNIBERTUS, quippe qui tantae obligationi non satisfecit. Attamen a peccato excusandus videtur, si certus non fuisset se ad infantem pervenire posse, durissimum enim esset aliquem obligare ad vitam pro bono alterius incerto prodendam; vel etiam si prudens spes affulgeat matrem infantem baptizaturam.

171. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.* Quia facile unico momento, per actum contritionis perfectae, se in statu gratiae reponere potest. Praeterea, nonne actum caritatis perfectae peragit ille qui, pro amore Dei et proximi, vitam propriam profundit?

CASUS XIII

SACERDOS MORTIS PERICULO OCCURRENS

METRODORUS, apud infideles missionarius, dum, fervente persecutione, incognitus christianos hinc et inde sparsos inviseret, ad eos in fide confirmandos, incidit casu in turmam lictorum qui foras educebant quempiam, gravis sceleris reum, ut capite truncaretur. Tum, zelo incensus, penetravit per satellites ad malefactorem in paganicis superstitionibus enutritum, eumque tanto spiritus ardore ad religionem catholicam amplectendam hortatus est, ut ille annuerit, et publice veram fidem professus, et aqua baptismatis regeneratus, pie fortiterque occubuerit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* METRODORUS, *missionarius, sub gravi obligatus fuerit ad succurrendum animae infidelis capite obtruncandi, etiam cum gravissimo mortis periculo?*

2.° *An simplex christianus ad id esset obligatus?*

SOLUTIO:

172. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm. per se.* Ratio patet ex dictis, seu ex principiis generalibus caritatis. Dixi *per se;* nam missionarius ille ad id non fuisset obligatus, si *probabilis* tantum fuisset infidelis docilitas in admittendis eius adhortationibus; quia si esset tantum probabilis spes eum iuvandi, probabiliter etiam speranda non esset eius

salus: atqui talis obligatio foret nimis difficilis in probabili salutis desperatione; ergo urgenda non esset. *Gobat,* De Sacramentis in genere, n. 183.

Neque obligatus esset, si non reperiretur in loco alius sacerdos qui christianis opitulari posset, praesertim persecutionis tempore. Aequum enim non est ut sacerdos uni animae succurrat, multos alios in periculo salutis relinquens. *Gobat,* ibid.

173. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm. per se;* quia fidelis quilibet infideli per baptismum succurrere potest, proinde debet, ut ex dictis satis liquet. Raro tamen in huiusmodi casu urget stricta obligatio, quia non constat de fine *certo* assequendo; non sufficit enim aliqua *spes,* vel etiam mera *probabilitas* successus obtinendi, ut quis vitam ipsam prodere debeat.

CASUS XIV

SACRAMENTA DENEGANDA

Iulianus, *peccator publicus,* matrimonium contracturus, iam publicatis bannis, adit parochum confessiones excipientem, et declarat se nolle confiteri, sed confessionem simulare, ut sponsae complaceat. Negat parochus se matrimonio interventurum esse, nisi seriam confessionem peregerit, cum sacramentum illud statum gratiae requirat. Subinde, cum perrexisset parochus ad Sacrum faciendum, dum communionem fidelibus distribuit, ecce inter alios communicantes cernit adstantem Iulianum ipsum. Quid faciet? Haeret anceps... Sed mox recordans praecepti Domini: *Nolite dare sanctum canibus,* hominem praetermittit. Absoluto Sacro, Iulianus ira percitus adit parochum, imprecationibus eum lacessit, eique mortem minatur, nisi sibi Eucharistiam ministret suoque matrimonio assistat. Perterrefactus parochus existimat praeceptum tunc non urgere, et Iuliano morem gerit.

Hinc:

Quaer. 1.° *Quandonam Sacramenta deneganda sint?*

2.° *An recte egerit parochus abnuendo assistere matrimonio* Iuliani, *et postea metu mortis assistendo?*

3.° *An recte egerit Eucharistiam eidem primum denegando, et deinde metu mortis eam ipsi concedendo?*

Solutio:

174. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Sacramenta deneganda sunt peccatori publico, sive *occulte* sive *publice* ea petenti, quia sancta non sunt indignis tradenda, et scandalum fidelium praecavendum est.

2.° Sacramenta sunt etiam deneganda peccatori *occulto, occulte* petenti, quia simpliciter indignus est, et insuper nulla urget ratio ad ministrum excusandum. Secus vero, si *publice* petat, quia tunc Sacramenta denegari nequeunt absque scandalo fidelium et Ecclesiae perturbatione. *S. Alph.*, n. 50.

Hinc Codex: «Publici peccatores a sacra communione repelli debent. Occultos vero, si occulte petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat; non autem, si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat» (can. 855, § 2). Cfr. etiam *Rit. Rom.*, de Euch.; **Comp.**, nn. 285, 416, III.

175. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° *Per se* recte egit primum assistentiam suam matrimonio denegando. Ita Codex: «Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium» (can. 1066). Ratio est, quia, licet confessio non requiratur lege generali Ecclesiae ad matrimonium, cum Concilium Trid. adhortetur tantum ad confessionem matrimonio praemittendam; attamen generatim parochus assistere nequit matrimonio eorum qui sunt publici peccatores: 1.°, quia de iure naturali nemo cooperari potest peccato alterius, etiam materialiter, nisi de causa gravi et proportionata; 2.°, quia publici peccatores indigni sunt ut ad Sacramenta admittantur. *S. Alph.*, n. 54. V. **Comp.**, nn. 285, 929, 931, 987. — Nec obstat quod parochus non sit minister matrimonii; nam eius praesentia necessaria est ad sacramenti validitatem. Adiicias quod parochus ex officio incumbere debet saluti spirituali suarum ovium, eas a peccatis avertendo. Nec dicas quod sponsi ius habent ad matrimonium contrahendum, et proinde ad parochi assistentiam; nam nemo ius habet ad actionem in qua peccatum committitur.

2.° Parochus potuisset assistere matrimonio IULIANI, in favorem sponsae, si haec non fuisset indigna, quia tunc rationem sufficientem habuisset peccatum eius permittendi. *S. Alph.*, ibid.

3.° Potuit assistere matrimonio metu mortis impulsus, quia parochus non est minister sacramenti, et praeterea gravissima ratione a peccato cooperationis excusatur. Potest etiam parochus excusari in simili casu, propter alia quaecumque incommoda valde gravia, sive propria, sive contrahentium, v. gr. ne in peccato, aut in concubinatu perseverent, etc. *S. Alph.*, n. 54.

176. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Prima vice recte egit parochus communionem IULIANO denegando, quia, ut ipse ait, sancta non sunt canibus, seu indignis tradenda. IULIANUS autem, peccator publicus, nulla praemissa paenitentia, neque scandali reparatione, est omnino indignus; ergo a communione erat repellendus, seu praetermittendus.

2.° Male egit postea parochus, metu mortis adactus, Euchari

stiam IULIANO ministrando. Ratio es, quia damnum quantumlibet compensare nequit summam iniuriam quae in eo casu SS. Eucharistiae advenit. Ita *S. Alph.*, n. 49, cum aliis.

177. — Contradicunt tamen plures cum *Lacroix*, l. 6, part. 1, n. 138; *Gobat, Sporer*, etc., dummodo sacramentum non petatur in odium religionis. Ratio eorum est, quia, ut aiunt, si infamia peccatoris occulti publicae sacramentum petentis, talem administrationem excusat et irreverentiam sacramenti reparat; cur mors a ministro subeunda non excusaret? Sed neganda est paritas: etenim sacerdos nequit publice communionem negare peccatori occulto, non quidem ad famam eius salvandam, sed propter alia gravissima incommoda quae inde sequerentur, nempe scandala aliorum, qui, licet forte digni, a sacra communione deterrerentur, timentes ne, ob odium vel imprudentiam, a sacerdote arcerentur. Haec autem incommoda non habentur in ministro, qui metu cogitur ad communionem peccatori publico ministrandam. Immo aedificationi esset populo minister qui, ad reverentiam sacramento servandam, periculo mortis se exponeret.

* CASUS XV

SIMULATIO SACRAMENTI

SYNESIUS, alumnorum in collegio degentium confessarius, LEONARDI confessionem excipiens, audit illum paulo ante contra castitatem cum ALBERTO graviter deliquisse. De facti veritate ex ipsius narrationis adiunctis procul dubio constabat. Vice sua, confitendi gratia, accedit ALBERTUS, qui rem altissimo premit silentio. Confessarius probe novit eum non potuisse apud alterum suas culpas manifestare, siquidem nullus alius est in collegio pro audiendis confessionibus; nec supponi potest paenitentem ex oblivione aut ignorantia tantum peccatum reticere. Quid faciet SYNESIUS? Id consilii capessit, ne sigilli legem violet, nec sacrilegio paenitentis cooperetur: ALBERTO, prudenter sed frustra interrogato, fingit absolutionem impertire dicendo submissa voce: *Ego te non absolvo*. Cum autem praevideret ALBERTUM ad communionem cum aliis accessurum esse, particulam seorsim ab aliis collocatam in Sacro faciendo minime consecrare intendit, eamque ipsi porrigit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid sit simulare sacramentum?*
2.° *An aliquando licitum sit?*
3.° *Quid dicendum de ratione agendi* SYNESII, *tum ratione fictae absolutionis, tum ratione hostiae non consecratae* ALBERTO *porrectae?*

QUAER. 4.° *An* SYNESIUS *potuisset proferre verba solita:* Corpus Domini *etc...*, *coram* ALBERTO, *quin hostiam ei porrigeret?*

SOLUTIO:

178. — *R. ad* 1m *Quaes. Probabilius* simulatio sacramenti *proprie dicta* consistit in ficta appositione formae ad materiam, aut in ficta formae prolatione, ita ut, cum rigore loquendo, tantum simuletur sacramentum, quando *ficte* ponitur illud quod *essentialiter* pertinet ad rem quae simulatur.

Simulatio *improprie dicta* habetur cum materiae vel formae aliud substituitur, quod earum speciem referat, v. gr. si super paenitentem indispositum orationem recites loco absolutionis. Utraque dicitur *materialis,* si aliorum deceptio permittatur tantum; *formalis* vero si deceptio fuerit intenta. *Ball.-P.,* vol. 4, n. 694.

R. ad 2m *Quaes.* Nunquam licet simulare sacramentum simulatione *proprie* dicta, ne *materialiter* quidem, seu etiam non intendendo *directe* proximi deceptionem; quia omnis simulatio *proprie* dicta est iniuria gravissima in Christum, cui minister illudit, abutendo rebus sacris ab ipso institutis, et sic eum falso operantem inducendo. Constat etiam ex propositione 29 ab Innoc. XI damnata, quae sic iacet: *Urgens metus gravis est causa sacramenti administrationem simulandi.* Plures quidem theologi putant, solam *formalem* simulationem in hac propositione damnari; sed merito alii communiter contradicunt. Etenim non licet simulare simulatione proprie dicta, sacramentum ex metu gravi, ut constat ex damnatione praefatae propositionis: atqui simulatio ex metu mortis est simulatio *materialis,* non vero *formalis;* ergo... Iuxta alios non damnatur quaelibet simulatio *materialis,* v. gr., si fiat ex metu mortis, cum in praedicta propositione dicatur tantum *ex metu* gravi. Sed respondet *S. Alph.*, n. 59: *Quamvis praefata propositio non loquatur de quocumque metu, attamen commune etiam est apud doctores, non licere administrationem sacramenti simulare etiam ob metum mortis.* V. **Comp.**, n. 287.

179. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° *Quoad absolutionem* controvertitur imprimis, utrum confessarius possit vel debeat in simili casu absolutionem denegare, aut vice versa.

I.ª SENTENTIA dicit absolutionem esse omittendam; quia paenitens, utpote male dispositus, ea prorsus indignus est, et proinde confessarius, eum absolvendo, eius sacrilegio cooperatur. Hanc sententiam suadet *S. Alph.*, n. 631, ubi dicit melius esse si confessarius omittat absolutionem, paenitente non monito, et, loco absolutionis, aliquas orationes recitet.

II.ª SENTENTIA, communior et probabilior, docet paenitentem absolvendum esse quando peccati eius notitia ex sola complicis confessione habetur. Ratio est, quia tota illa notitia resolvitur in testimonium

alterius paenitentis; porro in hoc tribunali magis accusanti se in sua causa, quam aliis credendum est; ut enim ait *S. Thom.*, Opusc. 6 (al. 12), q. 6, «In confessione est credendum peccatori confitenti et pro se et contra se; *sed contra alium, nullo modo est ei credendum;* alioquin daretur multis occasio fictae confessionis, et fraudulentae infamationis» (1).

Utrum in casu, absolutio dari debeat *absolute,* an vero *sub conditione,* non satis constat: primum tenent *Lugo* et *Billuart,* alterum docetur ab *Elbel.* Cfr. *Casus Romae ad S. Apollinarem,* pag. 185 seq.

2.° *Quoad communionem,* graviter et gravissime peccavit SYNESIUS, hostiam non consecratam ALBERTO porrigendo, quia hostiam hanc ipsi communicanti et ceteris assistentibus adorandam obtulit, et eo ipso ad actum idololatriae eos induxit. Sic neque sacerdos, versans in statu peccati mortalis, consecrationem simulare potest, ad vitandam indignam Missae celebrationem. Remedium igitur malo peius est, ut dicit Innoc. III, c. 7, De homine, De celebratione Missae. *S. Alph.,* n. 61; *Pontas,* v. Communio, cas. 15.

R. ad 4^m *Quaes. Nego,* quia usus fuisset notitia confessionis ad sacramentum ei negandum, quod gravamen maximum sigilli induxisset. Dicit autem *S. Alph.,* n. 61, *quod possit,* quis indispositus ad communionem aliquando, ob infamiam vel scandalum vitandum, *cum parocho convenire* ut hic dicat super ipsum verba: *Corpus Domini,* etc., quin sacram hostiam ei praebeat; quia tunc revera non ministrat sacramentum, nec irreverenter Eucharistia tractatur.

CASUS XVI

SUBIECTUM SACRAMENTORUM 1.°

PHILEMON, parochus, solet dare sacrum Viaticum, extremam unctionem et absolutionem infirmis delirantibus, fatuis et amentibus, immo et ebriis agonizantibus. Sed eius agendi ratio carpitur a MARCELLINO, alio parocho, qui contendit Sacramenta in his casibus conferenda non esse propter periculum irreverentiae erga res sacras aut etiam invaliditatis sacramenti. Cuinam, quaeso, causa tribuenda sit?

HINC:

QUAER. 1.° *Quid requiratur ad validitatem receptionis Sacramentorum?*
2.° *Quid ad receptionem licitam?*
3.° *An* PHILEMON *recte processerit in omnibus?*

SOLUTIO:

180. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° In adultis requiritur *ad validitatem*

(1) Ita *Lugo,* De paenit., d. 22, n. 21; *Suárez,* De paenit., d. 32, sect. 3, n. 9; *Billuart,* De paenit., d. 6, a. 10, § 2; *Diana, Gobat, Ball.-P., Buccer.,* etc. V. **Comp.**, nn. 289 et 725.

intentio aliqua sacramentum suscipiendi, quia non decet ut adultus tantum recipiat beneficium, nisi velit. Sed pro plerisque sacramentis sufficit intentio habitualis, seu implicita, spectata cuiusque sacramenti natura. Excepto autem paenitentiae sacramento, non requiritur ad validitatem, etiam in adulto, neque probitas, neque proprie fides. Patet ex praxi Ecclesiae, quae nunquam permisit ut iteraretur baptismus, neque ordo haereticorum, vel improborum hominum, quoties de sacramento rite collato constabat. Ratio autem, qua excipiatur paenitentia, est, quia animi dolor ad materiam ipsam sacramenti pertinet.

2.° Nulla requiritur dispositio aut intentio in infantibus aut perpetuo amentibus, ut *valide* recipiant Sacramenta quorum sunt capaces; quia nullam conditionem adimplere valent, et nihilominus haec Sacramenta pro ipsis sicut pro aliis instituta sunt. Vide tamen infra, n. 277 a, seq.

181. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Ad Sacramenta vivorum *licite* recipienda, requiritur status gratiae, quia a Christo ordinata sunt ad augmentum gratiae producendum.

2.° Ad Sacramenta mortuorum ab adultis *licite* recipienda, requiruntur actus fidei et spei, iuxta haec Apost. ad Hebr., 11, 6: *Credere oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Requiritur etiam dolor de peccatis, ne effectibus Sacramentorum obstent. In sacramento autem paenitentiae, dolor ille etiam ad validitatem necessarius est.

182. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Philemon potuit praedictis extremam unctionem ministrare, si excipiantur perpetuo amentes, utpote incapaces; 2.°, potuit etiam Eucharistiam ministrare delirantibus et semifatuis, secluso tamen irreverentiae periculo, non tamen ebriis agonizantibus propter scandalum quod inde sequeretur; 3.°, potuit dare absolutionem, sub conditione, iis omnibus quibus extremam unctionem ministrare licet. Etenim, quamvis ad absolutionem requiratur actualis cognitio, aliqualis confessio et doloris actus, non certo constat ea omnino in his deficere, ut infra dicemus in sacramento paenitentiae, de absolutione moribundorum. V. **Comp.**, nn. 540 et 607 seq.

CASUS XVII

SUBIECTUM SACRAMENTORUM 2.°

Florianus, parochus, ad Titium moribundum advocatus, audita eius confessione, ipsi praebet sacram Eucharistiam, quam libenter suscipit. Sed cum de extrema unctione ageretur, recusavit Titius illam suscipere, asserendo nullum esse pro se mortis periculum. At vero, ubi parochus animadvertit iam sensibus eum destitui, coepit

eumdem sacro oleo ungere, et perrexit, quamvis moribundus, oculis subito apertis, cernens quid circa ageretur, agitatione capitis displicentiam suam ostenderet.

HINC:

QUAER. *An* FLORIANUS *valide et licite egerit,* TITIO *extremam unctionem conferendo?*

SOLUTIO:

183. — *R. ad Quaes. Affirm.* 1° FLORIANUS *valide* egit, quia in TITIO consensus non defuit. Etenim ille non contempsit sacramentum, neque respuit; immo voluntatem illud recipiendi satis ostendit, libenter Eucharistiam suscipiendo, et sic simpliciter significando se christiano more velle mori. Neque dubitandum est quin si periculum mortis agnovisset, extremam unctionem aeque ac Eucharistiam postulasset. Ergo prudenter iudicandum est TITIUM habuisse intentionem saltem implicitam et habitualem oleum infirmorum recipiendi, et eum, per voluntatem generalem christiane moriendi, correxisse errorem particularem, seu voluntatem contrariam ex errore provenientem, et consequenter voluntatem recipiendi sacramentum in ipso praedominantem fuisse. Ita *Elbel,* nn. 69, 71.

2.° *Licite* etiam egit FLORIANUS TITIUM inungendo. Etenim, quoties Sacramenta valide conferri possunt, licite etiam conferuntur, urgente necessitate, praesertim extrema; ergo ex omni parte absolvendus et laudandus est FLORIANUS.

CASUS

DE BAPTISMO

SEU

De materia, forma, ministro et subiecto baptismi

CASUS I

MATERIA BAPTISMI

Lucianus, parochus, cum in pagum, ab ecclesia spatio mediae horae dissitum, perrexisset, alicuius aegroti invisendi gratia, et, peracto munere, esset reversus, oblatus est ei infans baptizandus. Iussit, illum ad ecclesiam deferri. Praeibant mulieres, baptizandum deportantes; subsequebatur parochus, recitandis horis canonicis intentus. Sed ecce! dimidio itineris emenso, inopinate advertunt mulieres infantem iam iam agonizare. Clamores inaudiens advolat pastor, anxietate percitus. Sed quid consilii infelix suscipiet? nullius enim generis aqua in promptu habetur. Sed ecce repente pluvia ab alto decidens eius angustias sedat et comprimit. Acceptum ocius infantem cadenti pluviae subiicit, dicens: *Ego te baptizo,* etc. Vix autem formam baptismi compleverat sacerdos, cum infantulus candidam efflat animam.

Mulieres, magis ac magis eiulantes, a parocho petunt utrum rite baptizatus fuerit, et ad caelites avolaverit? *Ita sane,* respondit bonus parochus.

Hinc:

Quaer. 1.° *Quaenam sit materia baptismi?*
2.° *An in casu validus fuerit baptismus?*
3.° *An validus fuisset, si una e mulieribus flevisset super caput infantis, verba formae simul proferendo?*

Solutio:

184. — *R. ad* 1m *Quaes.* Materia valida est aqua naturalis (can. 737, § 1) quaelibet; licita vero, extra casum necessitatis, est sola aqua benedicta, seu consecrata et chrismate immixta, *saltem pro baptismo*

sollemni (can. 757, § 1). In periculo mortis, deficiente materia certo valida, materia dubia sub conditione adhibenda est. V. **Comp.,** n. 303.

185. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Validus est enim baptismus cum aqua pluviali collatus, quia aqua pluvialis est aqua naturalis, *iuxta omnes. S. Alph.,* n. 103. — Nec obstat quod parochus infantem pluviae cadenti subiecerit. Nam eo modo infantem vere abluit. Ita *S. Alph.,* n. 106, et alii *communiter.* Attamen, ad honestatem et reverentiam sacramento debitam, aquam in vola manus colligere et frontem infantis cum illa abluere debuisset.

Lacrimas igitur cohibete, o piae mulieres! consolamini! Immo gaudete potius et exsultate, quia aqua pluviali valide baptizatus est puerulus, et reapse ad caelites avolavit, et choris angelorum adscriptus, angelus et ipse, cum Beatis hymnos caelestis gloriae iam decantat, et in aeternum decantabit!

186. — *R. ad* 3m *Quaes. Nego* prorsus, quia lacrimae non sunt aqua naturalis, nec proinde materia valida baptismi. Ergo etiam deficiente quacumque aqua, frustra mulier super infantem lacrimaretur. Ita *communissime* theologi. *S. Alph.,* n. 104; *Elbel,* n. 13, et alii *communiter.*

CASUS II

MATERIA BAPTISMI PROXIMA

Ranulfus, recens parochus constitutus, ex certa relatione accipit, a pluribus annis, ab antecessore suo infantes invalide fuisse baptizatos. Hic enim senex, ex contracta consuetudine et praecipitatione, formam baptismi proferendo, verbum aliquod essentiale omittere solitus fuerat. Tanto malo remedium efficax afferre statuit Ranulfus. Ut autem tam saluti paroecianorum quam famae antecessoris consuleret prudentissimus vir, quaerit in libro baptizatorum quinam fuerint ab eo baptizati, et postea eorum parentes invisendo, quos reperit adhuc iuniores, digito aqua lustrali bene madefacto, signo crucis in fronte signat; adultiores vero aqua lustrali aspergit, alios comiter ad se invitat, eosque in discessu, eodem modo aspergit, licet plures simul convenerint, formam baptismi tacite pronuntians.

Hinc:

Quaer. 1.° *An* Ranulfus *valide baptizaverit, signando parvulos digito aqua lustrali madefacto?*

2.° *An valide baptizaverit, alios aspergendo?*

3.° *An valide plures simul baptizaverit?*

4.° *An una sola gutta, vel altera, ad validum baptismum sufficiat, etiamsi in manus vel pectus baptizandi, aut in eius vestes vel crines cadat?*

Solutio:

187. — *R. ad* 1m *Quaes.* Valor baptismi in casu est dubius, quamvis a pluribus et gravibus auctoribus habeatur ut certus. Unde de pueris sic baptizatis «per modum unctionis in fronte cum pollice in aqua baptismali madefacto» decrevit S. Off. (14 dec. 1898) «curandum ut iterum baptizentur... sub conditione». *S. Alph.,* ibid.; *Il Monitore*, vol. 10, part. 2, pag. 243. — V. **Comp.,** n. 309.

188. — *R. ad* 2m *Quaes. Distinguendum.* Ranulfus valide baptizavit adultos per aspersionem, si tantum aquae in eorum vultus iniecerit, ut non tantum haberetur contactus aquae ad frontem, sed aqua de parte ad partem defluxerit; quia, per eiusmodi contactum successivum, vera ablutio habetur. Secus vero, si paucae guttulae corpus contingant, et immotae adhaereant, eo quod tunc non potest dici facta ablutio. *Voit,* ibid.

Sed imprudenter modum istum adhibuit parochus, cum tam facile fieri possit ut ablutio proprie dicta deficiat, nisi procuraverit ut aspersio copiosa in singulos haberetur. Sed quaestio de intentione sufficienti adultorum ad baptismum valide recipiendum, moveri potest. Etenim adultus sacramentum recipere nequit, nisi velit; porro recipere non vult ignorans illud sibi conferri: ignoti enim nulla cupido, seu nulla voluntas. Sed respondetur quod ad baptismum sufficit intentio *habitualis,* seu *implicita,* iuxta omnes: atqui homines modo christiano viventes, ut sunt praedicti adulti, eo ipso quod se baptizatos existiment, illa intentione *habituali* et *implicita* gaudent; etenim, si scirent se baptizatos non esse, baptismum certo cuperent, et hic et nunc sunt ita dispositi, ut peragere velint ea omnia quae ad salutem consequendam necessaria sunt. Ergo valide baptizati censendi sunt.

189. — *R. ad* 3m *Quaes.* Ranulfus valide plures simul baptizavit, si singulos ita asperserit ut vere abluti censeantur, iuxta superius dicta, et formam in numero plurali simul protulerit, seu aspergendo dixerit: *Ego vos baptizo,* etc... Sed nemo non videt quantum sit periculum invaliditatis in huiusmodi baptizandi modo, qui propterea secluso casu urgentissimae necessitatis, nunquam adhibendus est. Porro in casu nostro nulla prorsus urgebat necessitas; poterat enim facile parochus singulos aspergere, vel tutius eos in fronte aqua sufficienti signare, fingendo eos benedicere, ut erga parvulos ipse parochus iam peregerat.

190. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Certo non sufficit una vel altera gutta, si non fluat. Si vero fluat et decurrat, *controvertitur.* Multi *negant,* hoc ad validitatem satis esse; *probabilius* vero materia dubia esset.

2.° Baptismus collatus in parte minus praecipua corporis, seu in manu vel in pede, *dubie* validus esset. Hinc si quis, urgente necessitate, sic baptizatus esset, iterum conditionabiliter baptizandus foret. *S. Alph.,* n. 107, q. 3.° Baptismus autem collatus in aliqua parte prae-

cipua corporis, sed non in capite, v. gr. in pectore, probabilissime validus esset. Attamen, cum de hoc non omnes conveniant, ad maiorem cautelam baptismus sic collatus, sub conditione iterandus esset. *S. Alph.*, n. 107, q. 4.°, post *S. Thomam*.

3.° Baptismus collatus in vestes baptizandi, prorsus invalidus est. Ratio est, quia vestes minime ad corpus pertinent. Igitur, si abluantur vestes, non ideo abluitur corpus. *Probabiliter* vero valet baptismus in crinibus collatus, quia, licet capilli non sint animati, non sunt tamen pura excrementa, sed sunt partes corporis, sicut cutis exterior. Hinc baptismus in crinibus collatus, *sub conditione* est repetendus. *S. Alph.*, n. 107, q. 3.°

CASUS III

FORMA BAPTISMI 1.°

ANNA, obstetrix, saepius versatur in necessitate baptizandi infantes recens natos et de vita periclitantes, quod magna devotione peragit; ut autem divinas personas in formae prolatione melius exprimat, nonnihil in forma consueta immutare solet. Hinc 1.° aliquando dicit: *Ego te baptizo in nomine Patris, et in nomine Filii, et etiam in nomine Spiritus Sancti;* 2.° alias: *Te baptizo in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus Sancti;* 3.° alias: *Te baptizo in Patre omnipotente, et in Filio unigenito, et in Spiritu Sancto paracleto;* 4.° alias tandem: *Te baptizo in nomine Dei Patris, Dei Filii, et Dei Spiritus Sancti.* ALBERICUS, parochus, cum morem ANNAE casu rescivisset, declaravit, omnes infantes sic baptizatos, invalide prorsus tinctos fuisse, et modo absoluto rebaptizandos esse, quod nulla interposita mora exsequitur.

HINC:

QUAER. 1.° *An baptismus cum praedictis formis collatus reapse fuerit invalidus?*

2.° *Quid de ratione agendi parochi?*

3.° *An rebaptizari possint, saltem sub conditione, omnes infantes ab obstetricibus baptizati?*

SOLUTIO:

191. — *R. ad* 1^m *Quaes. Ad primum casum.* Prima forma certe valida dicenda est, cum S. Off., 11 ian. 1882, responderit validum esse baptismum collatum hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, ego te baptizo in nomine Filii, ego te baptizo in nomine Spiritus Sancti. Coll. P. F.*, n. 530.

Ad secundum casum. Forma invalida est; videtur enim *plurali-*

tas naturarum exprimi per TO *nominibus. S. Alph.*, n. 108; *Voit,* n. 158; *Reuter,* n. 91.

Ad tertium casum. Forma pariter invalida est, quia, licet exprimatur trinitas personarum, earumdem tamen unitas desideratur, vel non satis exprimitur. *Voit,* ibid.

Ad quartum casum. Forma videtur certo valida, cum sufficienter exprimatur unitas divinae essentiae per verba *in nomine.* Cfr. *Buccer.,* Casus, n. 296, 1.°; *Génicot,* Casus, tr. 12, cap. 1, cas. 2.

192. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Recte quidem egit ALBERICUS parochus, omnes infantes ab ANNA baptizatos rebaptizando, cum illa formam vitiare solita fuerit. Sed erravit utendo forma absoluta, si quidem non pauci infantes *probabiliter,* et alii *certo* valide ab obstetrice abluti sunt.

193. — *R. ad* 3^m *Quaes. Neg.* Sunt enim casus in quibus moraliter constare potest de baptismi validitate, v. gr. si fiat ab obstetrice valde perita. Etenim baptismus iterari nequit nisi adsit suspicio vere fundata erroris in eius collatione. *S. Alph.,* n. 136, ubi dicit veram esse sententiam. V. **Comp.,** n. 320. — Recte tamen sentit *Gousset,* n. 82, conditionaliter rebaptizandum esse infantem qui, ob instans mortis periculum, baptizatus est dum ederetur, etiamsi in capite ablutus fuerit; quia baptizans quilibet, ex trepidatione animi, aut praeoccupatione mentis ex circumstantiis exorta, facile aliquid essentiale omittere potest, quin advertat. Concinit *Gobat* his verbis (n. 180): «Imperitiae obstetricis accedit terror et trepidatio. Cum enim non debeant a laicis baptizari parvuli nisi imminente periculo mortis, illud periculum versans ob oculos, lamenta quoque matris quibus verberantur aures, labor et vigilia quibus crebro defatigantur obstetrices, vinum quo volunt sibi facere animos, et alia huiusmodi, efficiunt ut facile turbentur, et illam unciam iudicii, seu prudentiae qua plebeiae mulieres pollent, prope amittant.»

Attamen exceptiones admittit *Gobat.* Sic enim subdit, n. 183: «Quando obstetrix est integrae famae, animosior ac circumspectior quam vulgus mulierum, versata iam in pluribus periculis huiusmodi, et probata super omnia probe egisse, tum ne sub conditione quidem rebaptizanda est proles, quam haec asserit esse a se legitime baptizatam». Ratio est, quia in iis circumstantiis non potest esse dubium prudens de vero baptismo. Cfr. infra, n. 207.

CASUS IV

FORMA BAPTISMI 2.°

1.° DAMIANUS, sacerdos, cum eximiam contionem ad populum habuisset, ei occurrens vetula quaedam, congratulata est, et prae gaudio lacrimando dixit: *Benedicta sit dies in qua ego te baptizavi*

in nomine SS. Trinitatis, beatae Virginis Mariae, et omnium angelorum. — Quid est quod dicis? exclamat DAMIANUS obstupefactus. Rem totam ei narravit vetula.

2.° LAURA, obstetrix sexagenaria, quadam die obviam fit GELASIO, parocho, et sic eum effata est: *Te, reverende domine, maioris quam reliquos meos cognatos facio, tibi enim quam strictissime coniungor cognatione spirituali, ab ipso baptismo exorta; siquidem ego te graviter periclitantem domi baptizavi.* — Attonitus parochus, animoque perturbatus: *Sed, mater, ait, quid igitur dixisti, dum me baptizares?* Respondit illa: Dixi: *Ego te baptizo in nomine Omnipotentis, et Christi, totiusque eius Ecclesiae.*

HINC:

QUAER. 1.° *Quid de valore utriusque baptismi?*
2.° *An vel quomodo iterandus baptismus et ordo?*
3.° *An sacerdos sub conditione denuo baptizatus ob baptismum dubium, aut certo invalidum, debeat non solum ordinari iterum sacerdotio, sed etiam aliis ordinibus inferioribus?*
4.° *Ad quid teneatur talis sacerdos rebaptizatus quoad absolutiones a se impertitas, et matrimonia ab ipso benedicta?*

SOLUTIO:

194. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Prior baptismus est *probabilius* invalidus. Etenim ex una parte saltem dubius est, eo quod non expressae fuerint distincte singulae personae SS. Trinitatis; ex alia parte valde dubius etiam est ob additionem verborum, *Beatae Virginis et omnium angelorum.* Videtur enim mulier haec adiecisse ex mente erronea, seu ex persuasione virtutem baptismi etiam ex meritis *B. Virginis et angelorum* hauriendam esse.

2.° Posterior vero baptismus prorsus invalidus est, tum quia persona Spiritus Sancti non exprimitur, tum quia Ecclesia ei subrogatur. *S. Alph.*, n. 111. — V. **Comp.**, n. 311.

195. — *R. ad* 2m *Quaes. In primo casu* baptismus et ordo sub conditione iterandi sunt, sed secretissime, ad praecavenda incommoda quae secus inde sequerentur.

In secundo casu utrumque sacramentum modo absoluto iterandum est, cum utrumque invalidum fuerit. Attamen GELASIUS, parochus, iterum baptizatus, non tenetur, cum rigore loquendo, ordinem suscipere; posset enim statum clericalem deserere, et matrimonium inire, siquidem nullo laborat impedimento. Verum, si hanc partem amplecteretur, ad scandalum vitandum, et fidelium offensionem gravissimam praecavendam, petere longinquam regionem deberet, in qua prorsus incognitus foret.

196. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Ratione validitatis, non essent neces-

sario iterandi alii ordines inferiores, quia sacerdotium illos naturaliter continet; nec isti sunt gradus *per se* necessarii ad supremum gradum assequendum. *S. Thom.*, Suppl., 3 part., q. 35, a. 5.

2.° Ex praescriptione tamen Ecclesiae supplendi sunt alii ordines, si quis per saltum ordinatus est. Si quis autem invalide ordinatus est, v. gr. ob defectum baptismi, omnes ordines recipere debet. Sic ex declaratione Innoc. XI. — V. *Gobat,* n. 438.

197. — *R. ad* 4^m *Quaes.* Quid vero de Sacramentis invalide a fidelibus susceptis, ob defectum ordinationis parochi? Practice ad duo tantum, seu ad paenitentiam et matrimonium reducuntur, siquidem nihil reparandum pro Eucharistia et extrema unctione invalide ministrata. Quod ad paenitentiam attinet tanta est difficultas, ut ea iam evanescat, quia reparatio fit moraliter impossibilis. Quare paenitentes absoluti in bona fide relinquendi sunt, et per subsequentem confessionem ab omnibus peccatis praeteritis indirecte absolventur. *Gobat,* ibid. Matrimonia autem a GELASIO benedicta non censentur invalida *(Wernz,* Ius Decretal., vol. 3, n. 731, nota 67) nec defectu ministri, cum sacerdos non sit minister sacramenti matrimonii; neque defectu praesentiae parochi, ut testis necessarii et *auctorizabilis,* quia ad hoc sufficit parochus putativus, si adsit titulus coloratus cum errore communi *(Rosset,* De matr., n. 2195 seq.; *Gasparri,* De matr., n. 921; *Feije,* De impedim., n. 291; *Wernz,* l. c., vol. 4, n. 176); quae omnia concurrunt in casu. Et haec doctrina vim suam retinet, etiam si haec peracta fuerint post decretum *Ne temere,* aut etiam post Codicem canonicum. Cfr. *Ferreres,* Los esponsales y el matrimonio según la novísima disciplina, nn. 230, 231. Nec dicas non baptizatum esse incapacem iurisdictionis ecclesiasticae; quamvis enim hoc concederetur, adhuc illa matrimonia valida essent, cum parochus assistendo matrimoniis nullum actum iurisdictionis exerceat (1).

CASUS V

MINISTER BAPTISMI 1.°

1.° SYMPHOROSA, mater familias, advertens prolem suam recens natam in magno vitae periculo inopinate versari, in clamores et eiulatus erumpit. Accurrit SIGISMUNDUS, maritus, adveniunt simul filii et famuli. «Cito afferte aquam, clamat SIGISMUNDUS, ut infantem baptizem. — Hoc munus meum est, ait MARCUS eius filius, clericus, ordinibus minoribus insignitus, et theologiae candidatus. — Advocate parochum, ait mater; cum enim prope sit, statim aderit.» Interea ME-

(1) *Gasparri,* l. c., nn. 882, 922; *Wernz,* vol. 4, n. 180 (pag. 284); *Vermeersch,* De sponsalibus, n. 42. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 231 bis; Derecho sacram., n. 690 sig.

LANIA, ancilla, aquam infundens in caput infantis, verba formae baptismatis profert, et paulo post novus ille Dei angelus ad caelites avolat.

2.° DANIEL, diaconus, absente parocho per plures dies, ex eius praesumpto consensu, puerum in ecclesia paroeciali sollemniter baptizat. Redux autem parochus, eum de gravi peccato arguit, quia, secluso necessitatis casu, diaconus delegatione explicita indiget ad baptizandum sollemniter; debuisset igitur vel parochum exspectare, vel alium sacerdotem accersere.

HINC:

QUAER. 1.° *Quis sit minister baptismi sive ordinarius, sive extraordinarius?*

2.° *Quis potuerit vel debuerit baptizare in primo casu? an peccaverit graviter ancilla, in praefatis rerum adiunctis baptizans?*

3.° *An* DANIEL, *diaconus, recte egerit, aut graviter peccaverit, et an irregularitatem incurrerit?*

SOLUTIO:

198. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Solus sacerdos est minister *ordinarius* baptismi (can. 738, § 1). Diaconus est minister *extraordinarius* baptismi *sollemnis* (can. 741), et quilibet homo, sive vir sive mulier, sive catholicus sive infidelis, est minister extraordinarius *baptismi privati* pro casu necessitatis (can. 742, § 1). V. **Comp.,** n. 312. Solus parochus, vel delegatus, extra casum necessitatis *licite* baptizare potest. Sic ex can. 738, § 1.

2.° In baptismo privato, urgente necessitate, conferendo, si adsit sacerdos, praeferri debet diacono, diaconus subdiacono, clericus laico, et vir mulieri; nisi pudoris gratia deceat mulierem, potius quam virum, baptizare infantem non omnino editum, vel nisi mulier sit peritior, sicut facile evenire potest. *Rit. Rom.;* can. 742, § 7.

199. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Debuit advocari parochus, si revera statim adesse, vel aliquantisper exspectari potuerit. Parocho absente, MARCUS, clericus, baptizare debuit. An vero eo casu MELANIA, ancilla, *graviter* peccaverit?—Distinguendum est. *Affirm. per se,* si facile parochus exspectari potuerit; secus vero, eo deficiente, quia non videtur tanta deordinatio, quod mulier coram MARCO, clerico, minoribus ordinibus tantum insignito, vel coram SIGISMUNDO, viro, infantem baptizaverit.

200. — *R. ad* 3^m *Quaes.* 1.° Peccavit graviter DANIEL, diaconus, baptizando sollemniter absque delegatione, vel absque necessitate, quia actum iurisdictionis paroecialis usurpavit. Immo diaconus delegari nequit a parocho ad baptizandum sollemniter, nisi ex aliqua iusta causa, quia in praesenti disciplina Ecclesiae non est nisi minister *extraordinarius*. Licentia autem seu delegatio, legitime praesumitur, ubi necessitas urgeat (can. 741).

2.° DANIEL, baptizando sollemniter absque delegatione, non incurrit irregularitatem, quia non usurpat *ordinem,* quem non habeat. Cfr. can. 985, 7.°; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 2, n. 137; *Gasparri,* De ordin., nn. 339, 341 seq. — V. **Comp.,** nn. 895, 900.

CASUS VI

MINISTER BAPTISMI 2.°

1.° NISANDER, pater familias, cum dissidium aliquod cum proprio parocho haberet, noluit prolem suam ei baptizandam afferre, sed ad parochum alienum deferri iussit.

2.° AMELINA, mulier catholica, virum protestantem habens, valde exoptat prolem suam, recens natam, ad parochum loci deferri baptizandam. Maritus autem iubet eam ad ministrum suae sectae deferri. Ingemiscit et illacrimatur pia mater, ex eo quod voti sui compos fieri nequeat. Sed ecce! industria in mentem ipsi venit, tanto malo certa ratione medendi. Qualis? Ipsa prolem domi baptizat, priusquam ad ministrum asportetur.

3.° SABINA, mulier gravida, cum, iter agendo, partus dolores experiretur, sese in proximum hospitium recepit, et ibi, seu in aliena paroecia, prolem suam peperit, quam illico loci parocho baptizandam obtulit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* NISANDER *prolem parocho alieno afferendo baptizandam, et parochus ille eam baptizando, graviter peccaverint?*

2.° *An recte egerit* AMELINA *in secundo casu? quid si proles non fuisset ad ministrum deferenda, nisi post multum tempus?*

3.° *Quid de illis qui filios ministro haeretico baptizandos deferunt? quid si lege principis haeretici ad id urgeantur?*

4.° *An recte egerit* SABINA *in tertio casu?*

SOLUTIO:

201. — *R. ad* 1m *Quaes.* Uterque peccavit graviter. Ratio est, quia, licet baptizare non sit actus iurisdictionis erga baptizandum, cum nemo nondum baptizatus Ecclesiae subiiciatur, est tamen actus habentis iurisdictionem in fideles quibus baptizandus aggregandus est. Ergo parochus alienus, iurisdictionem illam usurpando, peccavit graviter. Sed pater familias etiam similiter peccavit peccato cooperationis, et peccato vindictae et iniuriae in proprium parochum. **Comp.,** n. 313.

202. — *R. ad* 2m *Quaes.* Non recte egit AMELINA, quia causa fuit

quod puer bis baptizaretur. Minus enim malum est, quod infans baptizetur ab haeretico, quam eum rebaptizari. *Voit,* n. 190; *Lugo,* etc. Attamen culpanda non esset mater, si diu exspectandus esset baptismus ministri cum periculo ne prius moreretur infans. Quid vero, si dubitaret an valide baptizandus esset a ministro haeretico? — *Resp.* Si infans mox ad illum esset deferendus, exspectare deberet, et postea cum conditione illum rebaptizare. Si vero diu esset exspectandum, statim modo absoluto eum baptizare posset, ut mox dictum est.

203. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Peccant graviter prolem deferentes ad ministrum haereticum, ut baptizetur, quia hoc est tacite profiteri illum esse legitimum ministrum talis caeremoniae; immo foret communicare cum eo in sacris (can. 1258, § 1). Praeterea minister haereticus, sicut quilibet alius laicus, extra casum necessitatis baptizans, graviter peccat. Ergo is qui infantem baptizandum offert ei, peccat eius peccato cooperando. Immo, nec licitum est parentibus filios deferre ad ministrum haereticum, ut ab eo baptizentur, etiamsi lege principis haeretici urgerentur, quia hoc esset *vere communicare in divinis*. Eruitur ex epistola encyclica Pii VI, *Laudabilem,* missa ad omnes Episcopos Galliae, die 26 sept. 1791, in qua Pontifex prohibet ne fideles filios suos baptizandos sacerdotibus intrusis offerant, etiamsi filii secus non essent agnoscendi ut legitimi: *quamvis, ob legitimae probationis defectum, suorum natalium iure carere, aut gravius quodlibet malum pati cogerentur.* **Comp.**, vol. 1, n. 292.

204. — *R. ad* 4^m *Quaes. Affirm.,* quia non debet differri baptismus donec proles ad parochum matris afferri possit; et tunc parochus loci fit proprius parochus erga infantem baptizandum. Excipe, nisi forte pagus ille a pago proprio parum distet (can. 738, § 2). *S. Alph.,* n. 114; **Comp.,** n. 313.

CASUS VII

SUBIECTUM BAPTISMI

1.° IOACHIMUS, religione iudaeus, iter agens per catholicam regionem, in gravem morbum incidit, et mox omni sensu destitutus, iam morti proximus est. De re admonitus DAMASUS, loci parochus, festinanter ad moribundum advolans in eo quaerit signum aliquod rationis, et doloris de peccatis, sed incassum. Haeret anceps, nesciens quid sit agendum; denique iudaeum, sub conditione, baptizare statuit.

2.° SYLVINUS, apud infideles missionarius, incidit in moribundum adultum, sed amentem; nec rescire potest utrum, decurrente vita, intervalla lucida rationis habuerit. Quid ei consilii capessendum? Recordatur de axiomate: *Sacramenta propter homines,* et eum aqua baptismali regenerat.

3.° TIBURTIUS, infidelis, de vera fide edoctus, baptismum a mis-

sionario postulat. Sed pravo habitu inquinatus, in ipsa sacramenti susceptione, affectum secretum ad peccatum servat.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit dispositio in subiecto adulto, ad baptismum licite et valide suscipiendum?*

2.° *An* DAMASUS, *parochus, recte egerit baptizando iudaeum sensibus destitutum et moribundum, in primo casu?*

3.° *An pariter recte egerit* SYLVINUS, *missionarius, infidelem amentem et moribundum baptizando, in secundo casu?*

4.° *An* TIBURTIUS *effectus baptismi susceperit in tertio casu, et an peccatum originale in eo deletum fuerit?*

SOLUTIO:

205. — *R. ad* 1m *Quaes.* In subiecto adulto requiritur, ad baptismi validitatem, voluntas, saltem *habitualis* et *implicita,* illud recipiendi sacramentum. Ad licitam autem susceptionem, requiritur dolor de peccatis, seu attritio cum actibus saltem implicitis fidei. V. **Comp.,** n. 295 seq.

R. ad 2m *Quaes.* Recte egit parochus, si audiverit iudaeum ante morbum, vel in ipso morbo ostendisse voluntatem religionem christianam amplectendi. Secus *controvertitur. Negat Moulet,* tom. 2, pag. 389, talem iudaeum posse baptizari, quia in eo casu nulla supponi potest intentio baptismum suscipiendi; sed sententia opposita absque temeritate teneri potest; immo est omnino suadenda. Cur enim nulla supponi potest voluntas baptismum suscipiendi? Numquid ex eo quod nullam intentionem manifestaverit, concludi potest eum nullam habuisse? Nequaquam. Nam inter centum vel mille infideles, in simili casu versantes, potest esse unus qui christiane mori velit. Porro satis est, ut singulis baptismus sub conditione conferatur. Excipe, si, paulo ante mortem, in religionem catholicam invectus fuerit; quia tunc minime censendus est in ea velle cooptari, cum ab ea paulo ante adeo abhorreret. **Comp.,** n. 296.

206. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.,* modo baptizaverit sub conditione, quia dubitat SYLVINUS utrum infidelis ille intervalla lucida rationis habuerit necne; etenim, si non habuit, potuit baptizari absolute, sicut infans; si vero habuit, et non desideravit baptismum, baptizari nequit, sed potuit baptismum desiderare, et proinde valide baptizari. De facto non constat utrum habuerit necne; ergo sub conditione baptizandus est, quia succurrendum est proximo versanti in extrema necessitate spirituali, quo meliori modo fieri potest, etiam cum tenui probabilitate efficaciae sacramenti.

R. ad 4m *Quaes.* TIBURTIUS valide baptizatus est, non obstante

affectu ad peccatum mortale, ut patet; porro si valide baptizatus fuerit, characterem sacramentalem recepit, quia baptismus validus characterem, seu signaculum spirituale et indelebile in animo baptizati imprimit; sed is non recipit hic et nunc effectus sacramenti, qui a gratia divina pendent. Proinde, neque peccatum originale, neque peccata eius actualia deleta sunt; siquidem peccatum deleri nequit, nisi per infusionem gratiae sanctificantis. Sed TIBURTIUS vi baptismi ius habet in eius effectus, qui tantum remanent suspensi, donec obex, seu peccatum, saltem per attritionem removeatur. V. **Comp.,** n. 259.

* CASUS VIII

BAPTISMI ITERATIO

1.° ANGELICA, matrona prudens et pia, cum, caritatis gratia, puerperae opem praeberet, eiusque prolem de vita periclitantem cerneret, properavit eam christiano more baptizare; postea ministerii sui rationem parocho reddidit. Is vero, licet nullum errorem deprehenderit, attamen sub conditione rebaptizare eam prolem voluit.

2.° SABELLINUS, haereticus, veniens ad parochum, petit instrui et admitti ad Ecclesiam catholicam. Parochus vero eum instructum interrogat de suscepto baptismo, nec potest certum defectum invenire; hic haeret anceps utrum illum sub conditione rebaptizare debeat, quod tamen non absque magna anxietate praestat.

3.° CLARA, obstetrix, infantem domi baptizavit, forma ex errore substantialiter mutata; errorem quidem paulo post deprehendit, sed illum aperire erubuit. Annis 15 inde elapsis, id tandem sub confessionis sigillo parocho aperit, ut ipse saluti adolescentis prospiceret, caute tamen, ne ipsa famae iacturam faceret. Sed inde sacerdoti ambages maximae, ex quibus se exstricare nequit.

HINC:

QUAER. 1.° *An recte egerit parochus in primo casu, prolem ab* ANGELICA *baptizatam conditionate rebaptizando?*

2.° *An* SABELLINUS, *haereticus, rebaptizari potuerit vel debuerit in secundo casu, et quid in genere de haereticis ad fidem conversis?*

3.° *Quid parocho agendum in tertio casu?*

4.° *An baptizandi sint infantes expositi?*

SOLUTIO:

207. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirm. per se.* Ratio est, quia, etsi ANGELICA sit mulier prudens et pia, illis circumstantiis facile errare potuit ex animi trepidatione, praesertim cum consuetudinem baptizandi

non habuerit. Ita *Gobat,* n. 714. Dixi *per se,* quia quandoque, muliere sedulo interrogata, constare potest de baptismi valore. Recole dicta, cas. 3, ad 3m, n. 193.

R. ad 2m *Quaes.* SABELLINUS rebaptizari potuit et debuit, si praemissa diligenti inquisitione certo non constabat de validitate baptismi. Etenim «in conversione haereticorum, a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si compertum fuerit, aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. Si autem pro temporum et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem et professionem fidei». S. Off., 20 nov. 1878 *(Collect. S. C. de P. F.,* n. 1504, edit. 2.ª).

R. ad 3m *Quaes.* Quid faciet parochus? Non videtur dari in casu tanta difficultas. Etenim facile accersere potest puerum ad se sub aliquo praetextu, et fingere ipsum esse in fronte lavandum, quod ipse parochus faciat, parum aquae in vola manus ad frontem iuvenis applicans, ac submissa voce verba formae pronuntians.

208. – *R. ad* 4m *Quaes. Affirm.* Conditionaliter, etsi expositi fuerint cum schedula eos baptizatos esse attestante, iuxta veriorem sententiam, ait *S. Alph.,* n. 135; quia forte non sunt baptizati, vel invalide abluti, siquidem saepius baptizantur a matre, quae nunquam vidit baptizare, nec didicit. *Reuter,* n. 115. Ita etiam praescribitur a Conc. plen. **Amer. lat.,** n. 502.

CASUS IX

INFANS QUATER BAPTIZATUS

HONORINA, obstetrix, ad puerperam vocata, eam reperit in partu dolorosissimo luctantem. Timens rationabiliter ne fetus cum matre simul pereat, eum, per instrumentum, in ipso sinu genitricis baptizat; postea vero cum infans brachium protenderet, et simul periculum cresceret, in isto membro baptismum iteravit. Sed nondum finis; cum enim de valore utriusque praecedentis baptismi ipsa dubitasset, eumdem puerum paulo post in lucem editum et agonizantem tertia vice abluit. Adveniens autem parochus, re cognita et perpensa, anxius remansit de baptismi valore, et pro quarta vice sacramentum, conditionaliter tamen, huic proli contulit.

HINC:

QUAER. 1.° *An validus sit baptismus infantis in sinu matris?*

QUAER. 2.° *An valeat baptismus in brachio, vel pede collatus?*

3.° *An recte egerit* HONORINA, *baptismum ter conferendo?*

4.° *An recte egerit parochus, pro quarta vice infantem baptizando, et an irregularitatem incurrerit?*

SOLUTIO:

209. — *R. ad* 1m *Quaes.* Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit. Ita ex can. 746, § 1. — Ergo si iam evanuerit probabilis spes ut rite editus baptizari possit, tentandus est baptismus fetus in utero clausi. Ratio est, quia infans, cum existat iam homo viator, valide potest baptizari. Sed cum puer in materno utero *secundina* involvatur, et saltem membrana secundinae externa, quae *decidua* vocatur, nullo modo uti pars infantis haberi possit, inde necesse est ut secundina discindatur, et ita aqua, ope siphunculi, ad ipsum corpus fetus attingendum pervenire possit. Hoc tamen facere ad peritos spectat, praesertim cum praematura secundinae destructio, et, quae inde sequitur, necessaria liquoris effusio, plena periculis sit etiam pro salute matris et eius felici partu.

Et adhuc remanet aliqua dubitatio de valore huius baptismi, quia, ut plures aiunt, non potest *renasci* qui nondum est natus (1).

Unde Codex: «Fetus in utero baptizatus, post ortum denuo sub conditione baptizari debet» (can. 746, § 5).

R. ad 2m *Quaes.* Instante periculo mortis: *a)* si infans caput emiserit, baptizari debet in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum sub conditione baptizandus; *b)* si aliud membrum emiserit, in illo, si periculum immineat, baptizari debet sub conditione; et postea, si natus vixerit (aut de hoc dubitetur), iterum debet baptizari sub conditione (ibid., §§ 2, 3).

210. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° HONORINA recte egit baptizando prima vice infantem, nondum natum, in utero matris; sed conditionem adiicere debuisset; nempe: *Si possis baptizari, te baptizo,* etc. 2.° HONORINA pariter recte egit rebaptizando prolem in brachio, licet non sit certus baptismus sic collatus, et baptismus praecedens sit probabiliter validus. Ratio est, quia tunc certius aqua attingit partem infantis, quam dum hic adhuc in materno utero totus latet. Igitur, cum media tutiora adhibenda sint, baptismus erat in brachio renovandus, si renovari non poterat in parte certiori ad validitatem. Sed sub conditione, non vero absolute, baptismus ille fuit iterandus. 3.° Potuit et

(1) Cfr. *Eschbach,* Disput. physiol. theol., vol. 3, part. 2, c. 3, n. 4; *Capellmann,* Medicina pastoralis, p. 103; *Berardi,* Praxis, vol. 3, n. 823. V. **Comp.,** n. 321.

debuit HONORINA prolem natam sub conditione iterum rebaptizare, cum uterque baptismus praecedens dubius fuerit.

211. — *R. ad* 4^m *Quaes.* Distinguendum est, ex dictis supra ad tertium casum: recte egit parochus generatim infantem iam ter baptizatum rebaptizando, quia timor fundatus de baptismi invaliditate, in talibus circumstantiis, facile superest; nec proinde incurrit irregularitatem. Excipe tamen casum in quo moraliter illi constaret de prudentia et peritia obstetricis, et resciret eam rite processisse, quod non videtur evenisse in hypothesi nostra, cum adeo anxius fuerit parochus de baptismi valore. *Elbel,* n. 39.

CASUS X

BAPTISMUS FILIORUM ACATHOLICORUM 1.°

FAUSTUS, parochus, infantem a parentibus protestantibus ortum, et ab iisdem baptizandum oblatum, sollemniter aqua lustrali abluit, ea tamen conditione ut patrinus catholicus sit, quamvis exploratum habeat parentes filium in haeresi esse instituturos.

Alias, cum venissent ad paroeciam duo coniuges iudaei, aliquandiu negotiorum causa ibidem commoraturi, et geminam prolem custodiae ancillae hospitii in quo sese receperant commisissent, scilicet, filium septennem et filiam triennem; quadam die audit parochus ab eadem ancilla, puellam iudaeam gravi morbo correptam vita periclitari, et eius fratrem, quem de religione catholica instruxerat, pluries baptismum enixe postulasse. Quid tunc consilii capessendum? Pastor bonus in praefatum hospitium, absentibus iudaeis coniugibus, se confert, et secreto utramque iudaicam prolem aquis sacris abluit. Puellula autem post aliquod spatium temporis e morbo convaluit, et parentes, peractis negotiis suis, in aliam regionem transierunt. Inde parochus de exitu baptizatorum anxietate magna torquetur.

HINC:

QUAER. 1.° *An possint baptizari filii infidelium, insciis aut invitis parentibus? et quid si mater consentiat, dissentiente patre? aut consentiente avo, et invitis genitoribus?*

2.° *An haereticorum filii a catholico baptizari possint, sive volentibus, sive insciis parentibus?*

3.° *Quid si usus rationis in puero certus sit, et quid si dubius?*

4.° *Quid de agendi ratione* FAUSTI, *parochi?*

SOLUTIO:

212. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Infans infidelium, etiam invitis pa-

rentibus, licite baptizatur, cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat. — 2.° Extra mortis periculum, dummodo catholicae eius educationi cautum sit, licite baptizatur: 1.° Si parentes vel tutores, aut saltem unus eorum, consentiant; 2.° si parentes, idest pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut ius in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant (can. 750, §§ 1, 2). *S. Alph.,* n. 132. V. **Comp.,** n. 319.

213. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Quamvis Ecclesia ius habeat baptismum conferendi omnibus baptizatorum filiis, in baptismo tamen infantium *duorum haereticorum,* aut *schismaticorum,* ac *duorum catholicorum* qui in *apostasiam, haeresim, schisma* prolapsi sint, *generatim* servari debent in praxi normae constitutae pro baptismo filiorum infidelium (can. 751).

214. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Si usus rationis in puero infideli certus sit, et ipse sufficienter instructus videatur, baptismumque petat, nec adsit grave perversionis periculum, baptizari potest, etiam invitis parentibus. Si vero rationis usus sit dubius, et puer sit iam septennis, dicunt communiter, praesumendum esse pro usu rationis, quia iudicandum est ex communiter contingentibus; si vero nondum septennium attigerit, *controvertitur...* Sed iuxta *S. Alph.,* n. 138, post *Lugo* et *Bened. XIV,* melius exspectandum est donec de perfecto usu rationis constet.

215. — *R. ad* 4^m *Quaes.* 1.° FAUSTUS non videtur recte se gessisse baptizando infantem a parentibus haereticis oblatum, cum probabilem spem non habuerit de futura infantis instructione in catholica religione.

2.° Potuit etiam et debuit FAUSTUS puellulam iudaeam de vita periclitantem baptizare. Si postea illa convaluerit, non ideo de imprudentia culpandus est bonus pastor, qui in vero periculo misellae animae opitulatus est. Neque est ratio cur arguatur de casu pueri septennis, perfecta ratione gaudentis, debite de sancta religione instructi et sacramentum regenerationis exposcentis. Si enim, a parentibus abductus, periculo perversionis exponatur, spes tamen fundata habetur quod, auxiliante gratia baptismi, tanti beneficii sit recordaturus, et salutem aeternam consecuturus. **Comp.,** n. 319.

* CASUS XI

BAPTISMUS FILIORUM ACATHOLICORUM 2.°

FAUSTINUS, sacerdos, apud indos missionarius, magno zelo ad pueris infidelium salutem procurandam incensus, praeterquam quod satagit ut aqua sacra abluat parvulos morti proximos, etiam id praestat erga quamplurimos bene valentes, ab ipsis parentibus sponte oblatos

ut ab ipso baptizentur. Existimat enim se non male agere, quia hos infantes non baptizat invitis parentibus, immo ipsis baptismum pro filiis requirentibus, licet ipsi baptizari nolint. Subinde tamen aliqua anxietate corripitur, quia praedicti pueri a paganis parentibus educandi, vitam baptismo oppositam ducturi sunt.

HINC:

QUAER. *An* FAUSTINUS *bene egerit parvulos infidelium bene valentes baptizando, non invitis parentibus, prout in casu?*

SOLUTIO:

216. — *R. ad Quaes. Neg.* Constat enim ex cit. declaratione Congr. S. Officii 17 apr. ann. 1777, quae sic iacet: «Non licere, extra periculum moraliter certum imminentis mortis, infantes a parentibus infidelibus ultro oblatos baptizare, si post baptismum, in parentum infidelium potestate relinquendi sunt» *(Coll. de P. F.,* n. 522, ed. 2.ª).

Haec eadem declaratio renovata ac confirmata est die 12 iulii ann. 1840; 11 febr. 1850; 4 maii 1853, ab eadem S. Congregatione *(Collect. Analecta iuris pontificii,* quat. IV, pag. 1806). **Comp.,** n. 319.

* CASUS XII

OPERATIO CAESAREA

HORTENSIA, difficili partui propinqua, gravissime periclitabatur. Iam eo devenerat, ut medici de salute tum matris, tum prolis desperarent. Interea occurrit quidam chirurgus peritissimus, qui promittit se latus puerperae secturum esse, prolemque sine periculo extracturum. HORTENSIA, suadente et impellente confessario, in sectionem lateris, licet aegre, consentit. Sed, peracta operatione caesarea, extracta et baptizata prole, obiit mater, et infans etiam paulo post vitae valedixit.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quandonam fieri possit aut debeat operatio caesarea matre iam mortua?*

2.° *An vel quando fieri possit aut debeat vivente matre?*

3.° *An* HORTENSIA *fuerit sub gravi obligata ad sectionem admittendam? et an confessarius huiusmodi obligationem declarare debuerit?*

4.° *An, contra, male egerit confessarius mulierem ad sectionem admittendam adhortando? et an irregularitatem incurrerit?*

SOLUTIO:

217. — *R. ad* 1m *Quaes.* Quod fieri *possit* et *debeat* constat ex

novo Codice: «Si mater praegnans mortua fuerit, fetus ab iis, ad quos spectat, extractus, si certo vivat, baptizetur absolute; si dubie, *sub conditione*» (can. 746, § 4). — Ratio est, quia in hoc casu nullum periculum *matri* creatur, cum ex hypothesi mortua sit et de eius morte certo constet, et aliunde salvari potest vita spiritualis et forte etiam temporalis *infantis*. Ergo ex lege caritatis omni cura et labore salus aeterna infantis *sub gravi* procuranda est, etiam invitis aut reluctantibus patre, aut propinquis, qui hac in re facile graviter peccare possent (1).

Hoc *praesertim* valet, si immineat tempus partus, quia cum fetus sit robustior, maior spes illum baptizandi affulget. Non ideo praetermittenda est operatio, si cognoscatur, matrem a brevi tempore esse gravidam; quia ex communi recentiorum sententia animatio fetus habetur in ipso conceptionis seu fecundationis instanti (2). Omitti poterit sectio *sex primis* graviditatis hebdomadis, ait *Aertnys*, l. 6, n. 42, et n. 297, q. 9, cum *Cangiamila*, l. c., l. 2, c. 11. Ratio, quia tunc fetus est difficilis inventu et vix poterit vivus reperiri. **Comp.**, n. 342.

N. B 1.° Hodie operatio caesarea facile et fere semper, vivente etiam matre, adhiberi *potest*, cum vix inter proxime periculosas operationes recenseri debeat, sed solum inter eas quae periculum aliquod satis *remotum* secum trahunt: etenim ex *centum* sectis mulieribus, *quinque* aut *sex* tantum pereunt. Aliunde medicorum peritia et artis chirurgicae progressus eousque pervenere ut, iam fere sine sanguinis effusione, et (adhibito chloroformio) absque gravioribus doloribus, operatio caesarea perficiatur. Cfr. *Eschbach*, l. c., c. 4, pag. 341 seq. (edit. 2.ª). Vide etiam *Waffelaert*, De iustitia, vol. 2, n. 96.

2.° Ad vitanda incommoda, quae subsequi possent dum fit operatio in matre mortua, monendus est loci magistratus civilis, et testes ab ipso approbati adhibendi sunt ad mortem matris recognoscendam. Sedula cura adhibenda est, ut regio uteri defunctae servetur calida, usquedum facta fuerit operatio; secus enim infans facilius e vita cederet, antequam baptizari potuerit.

Praeterea duo observentur oportet: 1.°, ut praecedat diligentissima inquisitio de reali morte matris; 2.°, ut operatio fiat eodem modo eisdemque cautelis, ac fieret, si mater viveret: ratio est ne mater, quae forte apparenter tantum mortua est, occidatur. Cfr. *Ferreres*, La muerte real, etc., n. 39 d.; *Capellmann*, l. c., pag. 28.

Si ita fiat operatio, non modo periculum matri non creabit sed poterit ei saluti esse, si revera mortua non sit. Cfr. *Eschbach*, l. c.,

(1) Cfr. etiam *S. Thom.*, p. 3, q. 68, art. 11, ad 3; Statuta S. Edmundi Cantuar., c. 13 (anni 1236), apud *Héfélé*, Histoire des Conciles, vol. 8, pag. 297.

(2) Vide *Embriol. sacra*, lib. 1, c. 7; *Eschbach*, l. c., pag. 363, 377; *Antonelli*, l. c., n. 312; *Debreyne*, l. c., c. 2, § 3, pag. 250; *Haine*, vol. 2, pag. 481 seq.; *Alberti*, Theol. past., p. 1, n. 70. Cfr. n. 757.

pag. 349; *Geniesse* in editione Gallica operis citati P. Ferreres, pag. 284 seq.; in editione italica, pag. 354 seq.

218. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° VIVENTE MATRE nunquam licite fieri *potest* operatio caesarea, quoties aut fetus adhuc extra uterum vivere non possit, aut adest pro matre *periculum* ita *proximum* mortis ex *ipsa* operatione secuturae, ut nulla probabilis spes adsit vitam matris servandi; quamvis ea non facta mater et proles certo peritura sint. Ratio est, quia esset id perinde ac *directe* prolem aut matrem occidere, quod nunquam licet. Ita *S. Thom.: Non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum.* — Hinc fieri non potest operatio, quando deest chirurgus valde peritus, nec quando mater adeo est morbo debilitata, ut operatio, alias non periculosa, sit periculum mortis proximum ex circumstantiis inductura, etc.

Vivente matre licite *fieri potest* operatio caesarea, positis his circumstantiis, scilicet: si 1.°, infans iam extra uterum vivere possit, saltem probabiliter; 2.°, si mater naturaliter parere non possit, aut moritura sit antequam pariat, cum maximo periculo mortis infantis priusquam baptizari queat; et 3.°, ex iudicio chirurgi periti absit proximum mortis matris periculum. — Ratio patet, nullum enim est periculum, vel saltem valde leve et remotum, atque adeo, si forte mors sequatur, *per accidens* tantum sequi videbitur.

Item, si mater et proles sint *certo* periturae, et, operatione caesarea adhibita, adsit aliqua, quamvis tenuis, *probabilis* spes utramque salvandi, licite adhiberi poterit haec operatio. Ratio est, quia sic consulitur utriusque saluti meliori modo quo potest.

2.° *Vivente matre* fieri *debet* operatio, si nec pro matre nec pro fetu afferat proximum mortis periculum, et *infans aliter nequeunt baptizari.* **Comp.,** n. 346. Sed vix unquam mater tenebitur hanc operationem, si ab ea multum abhorreat, subire; quia vix unquam certo constabit caesaream operationem esse medium *necessarium* et *unicum* baptizandi infantem: cum hic generatim possit in utero, ope siphunculi, vel aliter, cum solida probabilitate baptizari. Aliunde constat saepe supervivere fetum per horas, immo aliquando per dies integros, matri defunctae; unde probabilis affulget spes illum, etiam ea mortua, baptizandi. *Dr. Massana,* in eph. *El Criterio católico en las ciencias médicas,* vol. 1, pag. 325 seq.; *Antonelli,* Medicina pastoralis, vol. 1, nn. 310, 311.

Parochus tamen vel missionarii prohibentur ne «*in casibus particularibus se ingerant in demandanda sectione, multoque minus peragenda*». S. Off., 13 dec. 1899; Conc. Plen. **Amer. lat.,** n. 492; C. **Manil.,** n. 576. — V. **Comp.,** l. c., n. 346.

219. — *R. ad* 3m *Quaes.* HORTENSIA, *speculative loquendo,* et si infans aliter baptizari non poterat, obligata fuit *probabilius* ad sectionem lateris permittendam, testante chirurgo perito eam nullum incurrere periculum mortis, quia tenetur quodlibet incommodum

temporale pati ad vitam spiritualem infantis procurandam. Sed in praxi cavendum est ne ipsi gravis obligatio declaretur, non modo quia de tali obligatione *certo* non constat, cum spirituali infantis saluti aliter provideri probabiliter possit; sed etiam quia facile mater potest apprehendere magnum periculum, etiam ubi nullum esset, et nihilominus peccare mortaliter, conscientia graviter eam remordente, propter *denegatum consensum*. *Elbel*, n. 259; *Waffelaert*, l. c., n. 98.

220. — *R. ad* 4m *Quaes.* Confessarius non male egit mulierem adhortando tantum ad id ad quod in se probabilius tenebatur, et proinde nullam incurrit irregularitatem; quod si eventus non successerit, id per accidens tantum evenisse censendum est. Praehabita periti chirurgi declaratione, de nulla imprudentia confessarius arguendus est. V. **Comp.**, nn. 341-346.

CASUS XIII

BAPTISMUS PRIVATUS 1.°

RICHARDUS neoparochus, ab HONORIO, nobili ac praepotenti viro, accersitur, ut eius proli recens natae domi privato modo baptismum conferat, sollemnitatem ad aliud tempus, congregatis cognatis et amicis remittendo. RICHARDUS inquirit de infantis valetudine, et audit eum nulla infirmitate laborare. Inde haeret anceps, nesciens utrum, posito tali casu, in aedibus privatis baptizare possit. Tandem puerulum aqua baptismatis abluit, omissis caeremoniis, quas postea in ecclesia suppleturus est.

HINC:

QUAER. 1.° *In quonam loco baptismus sollemnis conferri debeat?*

2.° *An liceat aliquando baptismum extra ecclesiam conferre, et caeremonias ad aliud tempus remittere?*

3.° *Quid faciendum, praesertim in locis missionum, cum deest sacerdos vel est eum adeundi difficultas?*

4.° *Quid de parocho dicendum?*

SOLUTIO:

221. — *R. ad* 1m *Quaes.* Proprius baptismi sollemnis administrandi locus est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico (can. 773). — In domibus autem privatis baptismus sollemnis administrari non debet, nisi hisce in adiunctis: 1.° si baptizandi sint filii aut nepotes eorum qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, quoties isti id rite poposcerint;

2.° si loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit (can. 776, § 1, 1.°, 2.°). — In memoratis casibus baptismus conferendus est in sacello domus aut saltem in alio decenti loco, et aqua baptismali de more benedicta (ibid., § 2).

222. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Baptismus nunquam conferri potest extra ecclesiam, et quidem paroecialem, excepto casu necessitatis, privilegii, aut facultatis specialis ab Ordinario obtentae. Sequitur ex modo dictis.

2.° Quod ad caeremonias attinet, in baptismo domi conferendo in casu necessitatis, omnia sunt omittenda, quae baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit. S. R. C., 23 sept. 1820 *(Decr. auth.,* n. 2607). Possunt tamen adhiberi illae caeremoniae quae baptismum subsequuntur. S. Off., 10 april. 1861 (*Coll. P. F.,* n. 1213, ed. 2.ª); C. P. **Amer. lat.,** n. 498.

In locis tamen, ubi catholici haud raro incolunt procul ab ecclesiis vel oratoriis publicis, et translatio infantium in tenera aetate per tantam locorum distantiam magnis periculis et incommodis est obnoxia, parochis missionariis, de consensu Ordinarii, licet baptismum hisce infantibus, vel extra mortis periculum, ministrare in privatis domibus, servato ritu Ecclesiae consueto. S. R. C., 4 febr. 1871, ad 3 *(Decr. auth.,* n. 3224); C. P. **Amer. lat.,** l. c.

Etiam omnes caeremoniae adhiberi possunt dum baptismus domi administretur de licentia Episcopi. S. R. C., 17 ian. 1914 *(Acta,* IV, pag. 32). Cfr. *Ferreres,* l. c., apud *Razón y Fe,* vol. 38, pag. 380.

222 *bis.* — *R. ad* 3m *Quaes.* Tunc (nisi forte sacerdos intra octo dies adfuturus speretur) baptismus a catechistis aliisve probatis laicis illico est administrandus infantibus, bona licet valetudine utentibus, supplente *dein* presbytero, cum adventaverit, baptismi caeremonias; hominum quippe vita, infantium praesertim, continuis est obnoxia periculis. — Synodus *Sutchuensis* mandavit ut baptismus in casu non differatur ultra octo dies ab infantis nativitate. S. C. de P. F., 21 ian. 1788; 16 ian. et 11 febr. 1804; 11 sept. 1841 *(Coll. de P. F.,* nn. 593, 674, 675, 939, ed. 2.ª; Append. ad C. P. **Amer. lat.,** n. 128).

223. — *R. ad* 4m *Quaes.* Parochus de peccato gravi damnandus est, quia contra legem Ecclesiae gravem egit. Filii enim nobilium in iure canonico minime ut privilegiati habentur. Parochus igitur non debuisset Honorio, licet viro nobili ac praecipuo, morem gerere, nisi ab Episcopo facultatem obtinuisset.

CASUS XIV

BAPTISMUS PRIVATUS 2.°

SALUSTUS, vir nobilis, nova prole beatus, in patrinum requirit RICHARDUM, virum conspicuum, sed absentem, nec ante mensem reversurum. Statuit primum ille baptismum prolis ad RICHARDI adventum remittere; sed subinde timens ne interea periclitetur, petit a parocho suo ut velit nunc infantem domi baptizare, caeremonias postea suppleturus in ecclesia, cum invitatus patrinus advenerit. Illi morem gerit parochus.

HINC:

QUAER. 1.° *An graviter peccent parentes qui baptismum ad mensem differunt, in gratiam patrini adventuri, vel familiae congregandae, sollemnitatisve praeparandae?*

2.° *An graviter peccaverit parochus?*

SOLUTIO:

224. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirm.* cum *S. Alph.*, n. 118, *Salmantic. et aliis*. Immo etiam dilatio per hebdomadam videtur gravis, cum Leo XIII in Epist. ad Episc. *anglonen. et tursien.*, 13 aug. 1899, de consuetudine «S. baptismatis in *hebdomadas*, in menses, immo in annos pueris differendi», dicat: «nil sane hac mala consuetudine iniquius, nil ecclesiasticis sanctionibus magis contrarium: utpote quae non solum tot animarum aeternam salutem, inexcusabili temeritate, in manifestum periculum infert; sed eas insuper, intra id temporis, certo fraudat ineffabilibus gratiae sanctificantis charismatibus, quae per regenerationis lavacrum infunduntur; resque aliquoties eosque deducere potest, ut, quod proprio tempore omissum fuit, nunquam amplius in posterum sit faciendum». «Non possumus quin tam detestabilem usum, in Deum simul impium ac in homines, ubicumque infeliciter invaluerit, ex animo improbemus et execremur.» Cfr. App. ad. C. P. **Amer. lat.**, l. c.

Hac de re sic loquitur C. P. **Amer. lat.**, n. 491, et C. **Manil.**, n. 574: «Curandum est ut infantes quam citius baptizentur; unde improbamus incuriam parentum, qui, *absque* **gravi** *causa*, ultra *triduum*, et praesertim ultra *octiduum*, filiorum, quamvis minime infirmorum, baptismum differunt: et volumus, ut de hac re parochi et concionatores frequenter commoneant fideles». Cfr. etiam C. Prov. *Valent.*, part. 2, tit. 1, cap. 2, n. 2; Syn. *Aurien.*, Const. 49; *Matriten.*, lib. 2, tit. 1, c. 1.

225. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Graviter peccavit parochus, saltem *per se loquendo*. Ratio deducitur ex dictis in casu praecedenti. Etenim

soli filii regum vel principum, domi, praeter casum necessitatis, baptizari possunt. Non licet caeremonias ab ipso baptismo separare, praeter casum necessitatis, vel licentiae specialis, ut supra dictum est. *S. Alph.*, n. 142 seq.; *Voit*, n. 203.

* CASUS XV

BAPTISMUS SOLLEMNIS 1.°

1.° TROPHIMUS, parochus, advocatus ad infantem de vita periclitantem baptizandum, ibi infantem cum ritu Ecclesiae sollemni baptizavit omniaque peregit praecedentia unctionem scapularum; sed tunc, re perpensa, iudicavit puerulum sine magno periculo in templum deferri posse. Mandat igitur, ut statim deferatur; subsequitur ipse, et in ecclesia reliqua perfecit.

2.° MEDARDUS, parochus, dum casu celebrat in sacello privato, ecce ipsi affertur infans baptizandus, idque rigente hieme, ita ut non possit deferri ad ecclesiam, ab aedibus infantis longe dissitam, et quo per nives adeundum esset. Parochus eum ibi baptizavit, et cum chrisma sub manum non haberet, alio tempore illam unctionem supplevit.

HINC:

QUAER. 1.° *An bene egerit* TROPHIMUS, *in primo casu?*
2.° *An recte* MEDARDUS, *in secundo casu?*
3.° *An repetendae sint caeremoniae quando baptismus, invalide collatus, est iterandus?*

SOLUTIO:

226. — *R. ad* 1m *Quaes.* Erravit TROPHIMUS baptizando infantem domi cum sollemnibus Ecclesiae caeremoniis quae baptismum praecedunt, ut constat ex can. 759, § 1: «In mortis periculo baptismum privatim conferre licet; et, si conferatur a ministro qui nec sacerdos sit nec diaconus, ea tantum ponantur, quae sunt ad baptismi validitatem necessaria; si a sacerdote vel diacono, serventur quoque, si tempus adsit, caeremoniae quae baptismum sequuntur». Debuisset enim infantem, de vita periclitantem, domi baptizare, omissis omnibus caeremoniis, quae ante baptismum adhiberi solent, et eas remittere ad aliud tempus, donec infans ad ecclesiam deferri posset, et solas reliquas caeremonias perficere. Recte tamen egit caeremonias interrumpendo, cum postea advertit nullum amplius esse periculum ut eas in ecclesia convenientius perficeret.

227. — *R. ad* 2m *Quaes.* Si adhuc hiems saevitura esset, ut ex casu coniicitur, nec parochus illuc redire debebat intra breve tempus, v. gr. intra duas hebdomadas, videtur esse causa sufficiens ad infantem illo modo baptizandum. Incommodum grave, cui infans exponen-

dus est, si ad ecclesiam esset deferendus, est ratio sufficiens illum baptizandi in oratorio, vel etiam in propria domo. Item incommodum subeundum a parocho, si redeat, eum excusat a reliquis baptismi sollemnitatibus tunc adhibendis. Cfr. S. C. de P. F. 21 ian. 1789 *(Coll.*, n. 598, ed. 2.ª). Unde MEDARDUS non videtur carpendus. Si redire intra breve tempus debebat, melius fecisset baptismum differendo, ita ut, aqua baptismali et chrismate adhibito, integrum servaret Ecclesiae ritum. Vide dicta supra, nn. 222 et 224. Cfr. *Génicot,* Casus, 2, tr. 12, cap. 4, cas. 2.

228. — *R. ad* 3m *Quaes.* «Cum baptismus sub conditione iteratur, caeremoniae, si quidem in priore baptismo omissae fuerunt, suppleantur, salvo praescripto can. 759, § 3; sin autem in priore baptismo adhibitae sunt, repeti in altero aut omitti possunt» (can. 760). Est igitur liberum eas repetere vel non. — «Caeremoniae autem quae in baptismi collatione praetermissae quavis ratione fuerint, quamprimum in ecclesia suppleantur» (can. 759, § 3). V. **Comp.**, n. 335.

CASUS XVI

BAPTISMUS SOLLEMNIS 2.°

TUSSANUS, aliquando gravibus negotiis pressus, baptizando, plures orationes et ritus in rituali praescriptos omisit, quia eorum series longa nimis videbatur, et eorum repetitio parum utilis. Hinc, v. gr., semel solum cruce signat et unicam tantum orationem recitat, subiecta illa adiuratione: *Ergo, maledicte diabole,* etc.; cetera autem omisit.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis omissio sit gravis in caeremoniis?*
2.° *An graviter peccaverit* TUSSANUS?

SOLUTIO:

229. — *R. ad* 1m *Quaes.* Reputatur gravis omissio quaelibet notabilis, v. gr. omissio unctionis chrismatis, vel olei catechumenorum, omissio exorcismorum et alia similia. V. **Comp.**, n. 334.

R. ad 2m *Quaes.* TUSSANUS graviter peccavit toties quoties praefatas caeremonias omisit sine necessitate, quia ritus ab Ecclesia praescriptos in materia gravi, et sine necessitate praetermisit. Immo, graviter etiam peccasset, si unicam *in se* gravem caeremoniam omisisset. Secus vero, si omisisset quid leve, v. gr. quaedam crucis signa, breves orationes, etc. *Elbel,* n. 79. V. **Comp.**, n. 334.

CASUS XVII

PATRINI 1.°

1.° MAURITIUS, vir nobilis, proli suae baptizandae tres patrinos designavit, scilicet virum unum et duas mulieres. Adstant omnes simul coram parocho, infantem deferentes. Parochus quidem id fert aegerrime; sed timens ne MAURITIUM offensum habeat, neminem repellit.

2.° PAULINO, parocho, infans baptizandus offertur; eum concomitantur, praeter obstetricem, vir unus et mulieres duae. Una mulier dicebat se a patre, altera a matre rogatam fuisse, ut prolem in baptismo susciperet. Conatur parochus unam mulierem dimittere, sed incassum. Noluit autem rogare virum, ut discederet. Ideo omnia composuit, omnes admittendo.

HINC:

QUAER. 1.° *Quot patrini requirantur, et quales?*

2.° *An requirantur in baptismo privato? vel, an patrini in baptismo privato adhibiti cognationem contrahant?*

3.° *An graviter peccaverit parochus in primo et secundo casu tres patrinos admittendo, et utrum omnes cognationem spiritualem contraxerint?*

4.° *An in secundo casu parochus potuisset, viro dimisso, duas mulieres admittere?*

SOLUTIO:

230. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Ex praecepto Ecclesiae adhibendus est saltem unus patrinus in baptismo sollemni, sive vir, sive mulier; nec plures quam unus et una adhiberi possunt (can. 764). Conc. *Trid.*, sess. 24, c. 2, De reform. matr.

2.° «Ut quis valide sit patrinus, oportet: 1.°, sit baptizatus, rationis usum assecutus, et intentionem habeat id munus gerendi; 2.°, ad nullam pertineat haereticam aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus; 3.°, nec sit pater vel mater vel coniux baptizandi; 4.°, ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro sit designatus; 5.°, baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis». — «Ut autem quis licite patrinus admittatur, oportet: 1.°, decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur; 2.°, non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus le-

gitimis vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti; 3.°, fidei rudimenta noverit; 4.°, in nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis; 5.°, in sacris ordinibus non sit constitutus, sine expressa Ordinarii proprii licentia» (can. 765, 766) V. **Comp.,** n. 1045.

R. ad 2^n *Quaes.* 1.° «Etiam in baptismo privato patrinus, si facile haberi queat, adhibeatur; si non interfuerit, adhibeatur in supplendis baptismi caeremoniis, sed hoc in casu nullam contrahit spiritualem cognationem» (can. 762, § 2).

2.° Can. 762, § 2, videtur supponere in priore casu, seu si adhibeatur in ipso baptismate privato, contrahere cognationem. Aliunde can. 768, nulla facta distinctione inter baptismum privatum et sollemnem, absolute dicit: «Ex baptismo spiritualem contrahunt cognationem tantum cum baptizato, baptizans et patrinus». Res tamen non videtur omnino posita extra omne dubium. V. **Comp.,** n. 1045 et nota.

231.—*R. ad* 3^m *Quaes.* 1.° Uterque parochus graviter peccavit, plures quam unum et unam ad levandum baptizatum admittendo; quia uterque in re gravi prohibitionem Ecclesiae violavit. Quando igitur plures patrini, quam duo, a parentibus sunt designati, parochus tenetur non admittere nisi unum et unam ex designatis: ipse enim tunc tenetur designare patrinos admittendos; ad eum spectat providere, ut omnia recte fiant. Si parochus non possit aliquos sine offensa dimittere, v. gr. personas illustres, difficiles, dissimulet primum, permittatque ut tanquam testes baptismo assistant, postea vero dicat satis esse si unus vel una infantem tangat; nec permittat ut alii eum tangant, aut saltem ut eo tangant modo qui requiritur ad cognationem spiritualem contrahendam. Etenim, licet primum spectet ad parentes patrinos designare, ad pastorem tamen pertinet eos eligere, ubi parentes id non fecerunt, vel male praestiterunt. V. **Comp.,** n. 1046.

2.° Nullum autem dubium est quin omnes qui munus patrini exercent, et vere infantem tangunt (dummodo designati fuerint), affinitatem spiritualem contrahant, etiamsi contra voluntatem parochi egerint; quia ex dictis, munus designandi patrinos in primis ad parentes pertinet. *Reuter,* n. 124; *Elbel,* n. 35.

232. — *R. ad* 4^m *Quaes. Neg.* prorsus. Ratio est, quia expresse statuitur in Codice can. et in Conc. *Trid.* ut vir unus et mulier una tantum adhibeantur. Ergo in casu nostro PAULINUS virum dimittere non debuit. Si vero neutra mulier, utpote durae cervicis, discedere velit, praecipiat parochus ut una sola infantem tangat, iuxta ea quae superius dicta sunt.

* CASUS XVIII

PATRINI 2.°

TITIANUS, parochus, infantem baptizaturus, patrino a parentibus designato moram protrahente, animi impotens, vocavit PANCRATIUM, qui forte in ecclesia aderat, ut patrini officium perageret. Dum autem parochus secundam aquae infusionem ac verba formae *et Filii* proferret, advenit exspectatus patrinus, qui illico aliis se adiunxit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* TITIANUS *graviter peccaverit rogando* PANCRATIUM, *ut patrinum ageret?*

2.° *An tum* PANCRATIUS, *tum alius in medio baptismo adveniens, cognationem spiritualem contraxerit?*

SOLUTIO:

233. — *R. ad* 1m *Quaes.* TITIANUS, parochus, a reatu culpae gravis minime excusari potest, ex eo quod, proprio marte, patrinum a parentibus non designatum, sine gravi ratione adhibuerit; etenim ius parentum in re vere gravi, contra praescriptum Codicis canonici et Conc. *Trid.*, violavit. — Si tamen, diu exspectatus, designatus patrinus non advenisset, videtur excusandus parochus, saltem a gravi peccato: nec *rationabiliter* inviti essent parentes propter substitutionem, cum illi hominem negligentem elegerint.

234. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° PANCRATIUS cognationem spiritualem contrahere videtur, licet a parentibus infantis designatus non fuerit. Ratio est, quia fuit designatus a ministro, aliquo modo deficiente designato a parentibus.

2.° Patrinus designatus a parentibus non debet censeri contraxisse cognationem spiritualem, quia proprie baptismo non adfuit, cum ad finem tantum prolationis formae advenerit. Non tamen certa res est eum non contraxisse, si infantem v. gr. suscepit de manibus baptizantis, quia in eo omnes circumstantiae necessariae ad validitatem concurrere videntur.

* CASUS XIX

COGNATIO SPIRITUALIS 1.°

1.° HADRIANUS, ut patrinus designatus, die statuto accedere non potuit; ideo MARCUS, pro eo supplendo, a parentibus prolis rogatus fuit. Ignoravit autem HADRIANUS alium sui loco, seu nomine suo, assignatum fuisse, ut patrini officium ageret.

2.° AUGUSTUS, rogatus a TITIO ut puellulae suae patrinus foret, libenter munus illud acceptat, et cum aliis ad ecclesiam tendit. Sed ecce! ibi cernit praesentem SABINUM, virum conspicuum, et, urbanitatis causa, illi munus patrini cedit. Acceptat ille et puellulam e sacro fonte levat. Elapsis vero sexdecim annis, AUGUSTUS puellam ducere intendit; sed ante quaerit, num cognationem spiritualem fortasse contraxerit?

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo, ratione baptismi, contrahatur spiritualis cognatio?*

2.° *An* HADRIANUS *cognationem contraxerit in primo casu? an vero ille qui patrino designato est substitutus?*

3.° *An* AUGUSTUS *in secundo casu? an vero* SABINUS?

SOLUTIO:

235. — *R. ad* 1m *Quaes.* Contrahitur cognatio, seu affinitas spiritualis ratione baptismi, inter baptizantem et baptizatum ex una parte, et inter patrinum et baptizatum ex altera (can. 768). Haec affinitas impedimentum matrimonii dirimens constituit (can. 1079). V. **Comp.,** De matr., n. 1045.

R. ad 2m *Quaes. Neg.* Etenim HADRIANUS non fuit monitus a parentibus de subrogatione nomine illius facta; ergo non potuit habere intentionem munus patrini per alium gerendi. Nemo enim est mandans, quin mandatum dederit, vel approbaverit. Ergo HADRIANUS non fuit patrinus, neque *per se,* cum non advenerit, neque *per alium,* cum ignoraverit aliquem suo nomine fuisse substitutum. An vero affinitatem contraxerit saltem ille qui est substitutus? — *Resp. Neg.,* quia non fuit adhibitus ut vere patrinum *per se* ageret, atque ipse intentionem habuit patrinum agendi nomine alterius.

236. — *R. ad* 3m *Quaes.* AUGUSTUS minime contraxit affinitatem. Ratio est, quia non sufficit, ad contrahendam cognationem, ut quis a parentibus sit designatus, et ipse munus patrini acceptet; sed requiritur omnino, ut baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis (can. 765, 5.°). Atqui nihil horum fecit, siquidem locum suum ex urbanitate alteri cessit. Ergo... An vero SABINUS contraxerit affinitatem? Affirmandum est. Voluit enim patrinum agere, et reapse egit. Nec obstat quod a parentibus non fuerit designatus, iuxta dicta in casu praecedenti.

* CASUS XX

COGNATIO SPIRITUALIS 2.°

LINA, in partu periculosissimo, vitae valedixit. LUCIA, vicina, prolem eius periclitantem baptizare festinat. BERTRANDUS vero, maritus LINAE defunctae, cum LUCIA matrimonium contrahere intendit; sed ante quaerit, utrum aliquo impedimento laboret.

HINC:

QUAER. *An* LUCIA BERTRANDO, *patri prolis a se baptizatae, nubere possit?*

SOLUTIO:

237. — *Resp.* 1.° *Affirm.* si id fecit post Codicem canonicum, ex quo iam baptizans et patrini nullam cognationem contrahunt cum parentibus baptizati, sed tantum cum ipso baptizato. Cfr. can. 768.

2.° *Neg.*, si fecit ante Codicem. Ratio patens est. Etenim LUCIA, baptizando infantem, affinitatem contraxit, ex disciplina tunc vigente, non solum cum infante ipso, sed etiam cum eius patre, seu cum BERTRANDO. Ergo ipsi absque dispensatione nubere non potest. Nec obstat, quod infantem hunc in casu necessitatis baptizaverit. Vide dicenda in tractatu de matrimonio, ubi de cognatione spirituali, et in **Comp.**, n. 1046.

CASUS

DE CONFIRMATIONE

SEU

De materia, ministro, et subiecto confirmationis

* CASUS I

MATERIA CONFIRMATIONIS 1.°

Olympius, missionarius in regionibus infidelium, et donatus a Papa facultate sacramentum confirmationis conferendi, oleo ab Episcopo benedicto, cum, decurrente tempore paschali, novum chrisma, seu in ultima Cena Domini consecratum, prae manibus non haberet, ad confirmationem conferendam, chrismate veteri, seu anni praeteriti, utitur. Subinde satagit quidem, ut novum chrisma quantocius obtineat; sed vix obtinuit, cum audivit mercatorem, qui illud subministraverat, oleum quidem olivarum vendidisse, sed oleo nucum in notabili quantitate immixtum. Quare anceps et dubius nescit quid sibi agendum sit. Aliquando vero, deficiente oleo ab Episcopo benedicto, oleo non benedicto utitur.

Hinc:

Quaer. 1.° *An confirmatio, collata in veteri chrismate, valida fuerit et licita, prout in casu?*

2.° *An valida fuerit confirmatio, ratione olei nucum cum oleo olivarum commixti?*

3.° *An oleum, seu chrisma debeat esse ab Episcopo benedictum, ad sacramenti validitatem?*

Solutio:

238. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Confirmatio collata in veteri chrismate fuit certo *valida,* quia novum non requiritur de necessitate sacramenti; siquidem materia non mutatur essentialiter, sive chrisma sit vetus, sive novum, ut patet. 2.° Collatio sacramenti cum veteri chrismate *illicita* fuit, et quidem *graviter,* quia Olympius grave praeceptum Ecclesiae violavit. Est tamen a peccato excusandus missio-

narius noster, si aliud chrisma habere non potuerit, atque adfuerit causa urgens confirmationem conferendi, v. gr. si debuit e loco ad tempus diuturnum discedere, ut facile missionario accedere potest. Ita ex can. 734, § 1: «Sacra olea quae quibusdam Sacramentis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V in Cena Domini proxime superiore; neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat». Cfr. etiam S. *Alph.*, n. 162.

R. ad 2m *Quaes. Neg.*, nisi oleum olivarum quantitate multo sit praestantius. Ratio est, quia oleum olivarum tantum, oleum proprie dicitur. Igitur Olympius, posito dubio gravi de olei huius validitate, non potuit cum illo sacramentum confirmationis conferre, sed illud ad aliud tempus differre debuit, vel, urgente gravi causa, uti veteri chrismate, si quod adhuc supersit. *Voit*, n. 231.

239. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Chrisma debet certo esse benedictum ab Episcopo, ratione praecepti. Ita ex canone 734, § 1, nuper citato, necnon ex can. 781, § 1: «Chrisma, in sacramento confirmationis adhibendum, debet esse ab Episcopo consecratum, etiamsi sacramentum a presbytero, ex iure vel ex apostolico indulto, ministretur». Cfr. etiam *S. Thom.*, p. 3, q. 72, art. 3; *S. Alph.*, n. 163.

2.° Chrisma debet etiam certo esse benedictum, saltem a sacerdote ex delegatione Papae, ratione sacramenti; constat ex decreto Clement. VIII apud *Bened. XIV*, De Synodo, l. 8, c. 1. *S. Alph.*, ibid.

Id deducitur a fortiori ex decreto S. Officii iuxta quod «oleum a presbytero benedictum est materia prorsus inepta sacramento extremae unctionis conficiendo», ita ut «nec in extrema necessitate» «valide possit adhiberi». Et tamen presbyteri graeci oleum infirmorum ex delegatione Papae benedicere solent. V. **Comp.**, n. 833.

3.° *Controvertitur* autem utrum chrisma debeat esse benedictum ab Episcopo, ratione sacramenti, seu ad sacramenti validitatem, ita ut nec Papa simplici sacerdoti delegare valeat potestatem chrisma conficiendi. *Affirmant* communius, quia id praescribitur decreto Eugenii IV, ubi dicitur, materiam confirmationis esse *chrisma ab Episcopo benedictum*. Idque ut probabilius habent *Suárez*, De conf., disp. 33, sect. 2, nn. 13, 14; *Ball.-P.*, vol. 4, n. 789. *Negant* tamen theologi non pauci, iuxta quos Papa concedere potest simplici sacerdoti facultatem benedicendi oleum, sicut ei conferre valet potestatem confirmandi. Hanc sententiam ut probabiliorem amplectitur *Wernz*, Ius Decretal., 3, n. 735, nota 94. In praxi tenenda est prima sententia utpote tutior, ait *S. Alph.*, n. 163. Cfr. *Bened. XIV*, l. c.; *Pesch.*, vol. 6, n. 506.

CASUS II

MATERIA CORFIRMATIONIS 2.°

IRENAEUS, adhuc puer, a matre in ecclesiam, sacramentum confirmationis recipiendi gratia, deductus est, quando iam sacram caeremoniam Episcopus inceperat, nimirum, cum, recitatis orationibus consuetis, expansisque manibus super confirmandos, iam ad singulos pueros chrismate inungendos devenerat. Inter ceteros mox collocatus, nulla interposita mora, ab Episcopo sacra unctione fuit delibutus. Postea vero, cum clericalem vocationem suscepisset, atque ad subdiaconatus ordinem iam iam esset promovendus, de testimonio acceptae confirmationis inquirens, audit ab ipsa matre quomodo res peracta fuisset. Quapropter scrupulis angi coepit circa sacramenti validitatem; verens tamen ne ab ordinatione arceretur, rem alto silentio compressit. At sacro ordine suscepto, maioribus conscientiae stimulis agitatus, Episcopum adiit, eique omnia pandit, postulans ut denuo confirmaretur. Sed eius votis Episcopus obtemperare noluit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* IRENAEUS *valide confirmatus fuerit?*
2.° *An* graviter *peccaverit, ordinem suscipiendo in hypothesi quod confirmatus non fuerit?*

SOLUTIO:

240. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirm.* IRENAEUS ut valide confirmatus habendus est. Ratio est, quia materia proxima confirmationis consistit in sola unctione chrismatis, manu Episcopi facta super frontem confirmandi.

Plures quidem olim contendebant, materiam adaequatam consistere etiam ex parte in impositione manuum Episcopi super omnes simul facta, sub initium sacrae caeremoniae. Sed hodie certo constat, ritum hunc esse de mero Ecclesiae praecepto pro confirmationis ministro, non vero ad sacramenti essentiam requiri. Constat ex declaratione Benedicti XIV, epistola encyclica *Ex quo primum*, ubi praesertim dicit: *Quod itaque extra controversiam est hoc dicatur: nimirum, in Ecclesia Latina, confirmationis sacramentum conferri adhibito sacro chrismate, sive oleo olivarum balsamo commixto, et ab Episcopo benedicto, ductoque signo crucis per sacramenti ministrum in fronte suscipientis, dum idem minister verba formae profert.* Ibi igitur docet Pontifex esse extra controversiam, valide sacramentum conferri cum sola chrismatis unctione, adhibita per manum Episcopi, et unicam esse formam, eamque unctionem comitari. Ergo recte egit Episcopus, cum IRENAEUM denuo confirmare noluit.

S. Alph., n. 164, dicit hanc doctrinam, post Pontificis declarationem, omnino tutam esse. Concinit *Gousset,* n. 130. V. **Comp.**, n. 348.

241. — *R. ad* 2m *Quaes. Nego,* probabilius, iuxta sententiam communem. Ratio est, quia non apparet deordinatio *gravis* in hoc, quod quis non confirmatus ordines suscipiat; verba enim canonis 974, § 1, 1.°, sicut prius verba Conc. *Trid.* non videntur praeceptum grave continere. Sed accedens ad ordines, omissa confirmatione, a peccato saltem *levi* excusandus non est. *S. Alph.*, De ordine, n. 786. V. **Comp.**, n. 875.—Nec videtur sic ordinatus posse *licite* ministrare in ordinibus susceptis absque dispensatione Rom. Pontificis, donec confirmationis sacramentum suscipiat. *Gasparri,* De sacr. ordin., n. 479 seq.

* CASUS III

MINISTER CONFIRMATIONIS

Albertus, missionarius apostolicus, ad extremas Americae plagas abiturus, obtinuit a summo Pontifice facultatem confirmandi eos omnes quos ipse baptizaturus esset. Intra paucos annos, infideles bene multos in fide baptizat, et confirmat. Dum in festo sollemni sacramentum confirmationis conferret, ecce puer, quem ungere intendebat, inopinate retrospexit; et contigit ut, loco frontis, maxillam confirmandi sacro chrismate unxerit. Alias, dum pollice vulnerato signare frontes confirmandorum non possit, digitum indicem, vel etiam pollicem sinistrum adhibet. Aliam etiam frontem lepra infectam, iuvante penicillo, inungit.

Hinc:

Quaer. 1.° *An simplex sacerdos possit esse minister delegatus confirmationis?*

2.° *An* Albertus *valide confirmaverit in maxilla, indice et manu sinistra?*

3.° *An valide confirmaverit iuvante penicillo?*

Solutio:

242. — *R. ad* 1m *Quaes.* Simplex sacerdos potest esse minister extraordinarius confirmationis. Ita constat ex can. 782: «Ordinarius confirmationis minister est solus Episcopus. — Extraordinarius minister est presbyter, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit. — Haec facultate ipso iure gaudent, praeter S. R. E. Cardinales ad normam can. 239, § 1, n. 23, Abbas vel Praelatus *nullius,* Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum.— Presbyter latini ritus cui, vi indulti, haec facultas competat, confirmationem valide confert solis fidelibus sui ritus, nisi indulto

aliud expresse cautum fuerit. — Nefas est presbyteris ritus orientalis, qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus». Constat etiam ex praxi Ecclesiae, et ex constitutione Benedicti XIV, *Eo quamvis tempore*. Sed uti debet chrismate ab Episcopo benedicto. Recole dicta in casu primo, n. 239.

243. — *R. ad* 2m *Quaes.* ALBERTUS *invalide* confirmavit puerum in *maxilla,* quia materia proxima confirmationis est unctio chrismatis benedicti *in fronte* confirmandi. Ita aperte ex can. 780: «Sacramentum confirmationis conferri debet per manus impositionem cum unctione chrismatis in fronte et per verba in pontificalibus libris ab Ecclesia probatis praescripta». Eruitur etiam ex decreto Eugenii et ex epistola Benedicti XIV, citata in casu praecedenti. *S. Alph.,* n. 164, in fine, et Homo ap., n. 41. *Valide* confirmavit indice, vel alio digito, etiam *manus sinistrae,* quia, licet in ritualibus praescribatur ut unctio fiat pollice manus dexterae, hoc tamen non videtur essentiale; sic enim sufficiens manus impositio habetur. Verum *per se* hoc est illicitum et *probabilius* quidem, sub gravi, iuxta communem sententiam. Attamen urgente necessitate, altero digito, vel manu sinistra Episcopus uti posset. *S. Alph.,* n. 165, et in Hom. ap., n. 40 et seq. **Comp.**, n. 351.

244. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.* Ratio est, quia, in hoc modo confirmandi, nulla habetur impositio manus Episcopi. *S. Alph.,* n. 166, *et alii communiter.* Unde in can. 781, § 2: «Unctio autem ne fiat aliquo instrumento, sed ipsa ministri manu capiti confirmandi rite imposita». V. **Comp.**, n. 351.

CASUS IV

SUBIECTUM CONFIRMATIONIS 1.°

ELODIA, matrona, christianorum officiorum sat incuriosa, ad provectam aetatem pervenit quin sacramentum confirmationis receperit, licet saepius opportunitatem illud recipiendi habuerit, cum in civitate ipsa episcopali, in qua singulis annis ab Episcopo confertur, semper commorata fuerit. Illam pluries induxit quidem confessarius, ut, data nova opportunitate, tanto sacramento se muniret, veritus est tamen eam sub gravi obligatione urgere, ne, praetermissa lege, gravius inde peccaret; aiebat enim ELODIA: «Quomodo iam senescens ego cum pueris et puellulis, confirmationem receptura, accedere potero? Id sane praestandi tantus mihi non erit animus». Itaque factum est ut mulier paulo post absque confirmationis auxilio, aliis tamen sacramentis munita, decederet.

HINC:

QUAER. *An gravis detur obligatio confirmationis sacramentum suscipiendi? seu, an* ELODIA *a gravi peccato excusari potuerit?*

SOLUTIO:

245. — *R. ad Quaes.* 1.° Non est obligatio de *necessitate medii.* Nam, per baptismum solum, haberi potest remissio peccatorum et vita aeterna. Cfr. *S. Thom.,* 3 p., q. 72, a. 1, ad 3.

2.° An vero sit obligatio de *praecepto?* — *Affirm.,* oblata occasione, ut patet ex Codice: «Quanquam hoc sacramentum non est de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet oblata occasione illud negligere; immo parochi curent ut fideles ad illud opportuno tempore accedant» (can. 787). An vero illa obligatio sit, certo non constat, etsi probabilius gravis sit. Quod certo non constet de gravitate inde eruitur quod plures et graves auctores, tam antiqui, quam recentiores, pro utraque parte afferri possunt. **Comp.,** n. 358.

Codex non videtur imponere fidelibus novum praeceptum suscipiendi hoc sacramentum, sed impliciter exponit doctrinam iam traditam in Catechismo Romano. Nec videtur voluisse dirimere antiquam controversiam circa gravitatem huius obligationis. Obligatio, tum parentum, tum parochorum, curandi ut filii vel subditi suscipiant hoc sacramentum, gravis esse videtur. **Comp.,** n. 359.

246. — Stante ergo theologorum controversia, ELODIA non fuit *sub gravi* urgenda ad sacramentum confirmationis recipiendum, sed tantum ad hoc *adhortanda.* Recte igitur egit confessarius ab obligatione gravi declaranda abstinendo. Immo, etiamsi de praecepto divino constaret, adhuc prudenter egisset confessarius, cum locus timendi fuerit ne mulier obligationi declaratae non satisfaceret, et maius animae detrimentum caperet. Etenim non sunt statim aperiendae semper omnes obligationes quibus fideles adstringuntur; sed prudenter plures quandoque dissimulandae sunt a confessario, cum praevidetur paenitentem muneri suo satisfacturum non esse.

* CASUS V

SUBIECTUM CONFIRMATIONIS 2.°

1.° CATHARINA, pia mater, audiens Episcopum ad paroeciam advenisse, confirmationem collaturus, festinat in ecclesiam ducere filiolum suum quinquennem, et illum, propriis sustentans manibus, Praelato confirmandum offerre.

2.° LINUS, peccati mortalis reus, data opportunitate recipiendi sacramentum confirmationis, omissa confessione, sed elicita contritione,

illud recepit. MUTIUS vero falso, sed bona fide, existimans se nullo vinculo letali irretitum esse, cum fiducia, absque confessione, etiam confirmandus accedit.

3.° FLACCUS, recepto confirmationis sacramento, in dubium venit de baptismi sui validitate. Inquisitione facta, remanenteque dubio, necnon consultis hac de re sapientissimis viris, ipso efflagitante, iterum sub conditione baptizatus est. Sed dubitatur utrum etiam conditionaliter confirmari possit, vel debeat?

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis aetas ad confirmationem requiratur?*
2.° *Qualis dispositio in confirmando; et an confessio sacramentalis praemitti debeat?*
3.° *An ille qui, inscienter, peccati mortalis reus existit, effectum sacramenti confirmationis, et peccatorum remissionem consequatur?*
4.° *An* FLACCUS *iterum confirmari possit, vel debeat?*

SOLUTIO:

247. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Nulla requiritur aetas ad sacramentum confirmationis *valide* recipiendum. Olim usque ad saeculum XII pueris statim post baptismum conferebatur, et usus, pueros ante usum rationis confirmandi, adhuc in quibusdam locis servatur, ut apud graecos, in **Hispania,** in insulis **Philippinis** et in **Amer. lat.** (Conc. Plen. **Amer. lat.,** n. 520; C. **Manil.,** n. 609); canon autem 788 statuit: «Licet sacramenti confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differatur ad septenium circiter aetatis annum, nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur». Cfr. etiam Bened. XIV, *Eo quamvis. S. Alph.,* n. 178.

Leo XIII Epistola *Abrogata* ad Episcop. *Massilien.,* die 22 iunii 1897, laudavit cum maxime consuetudinem recipiendi pueros ad confirmationem in minore aetate quam ad primam communionem. Quia «sic confirmati adolescentuli ad capienda praecepta molliores fiunt, suscipiendaeque postmodum Eucharistiae aptiores, atque ex suscepta, uberiora capiunt emolumenta.» Cfr. App. ad C. P. **Amer. lat.,** n. XCIX.

248. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Confirmandus debet esse baptizatus, et, si adultus sit, debet praeterea esse in statu gratiae, et sufficienter instructus de rudimentis doctrinae christianae. Non requiritur autem *per se* confessio sacramentalis, *cum rigore loquendo,* quia confirmandus versari potest in statu gratiae, vel eam per contritionem perfectam acquirere. In pluribus locis mos est, ut nullus confirmetur nisi testimonium peractae confessionis exhibeat. «Requiritur, inquit *Billuart,* status gratiae prudenter existimatus per confessionem, vel contritionem perfectam» (art. 8, § 1). «Confirmandus, ait *S. Alph.,* l. 6, n. 179, exsistens in mortali, debet se disponere ad sacramentum con-

firmationis, vel contritione, vel attritione una cum confessione; confessio enim videtur esse de consilio, non de praecepto, ut communiter dicunt auctores.» Hinc generatim praestat fideles enixe adhortari ad confessionem confirmationi praemittendam, potius quam eos ad eam cogere. Ita etiam *Gousset* (1). — «*Conveniens* valde est ut *(confirmandi)* illius susceptioni praemittant sacramentalem confessionem». Ita C. P. **Amer. lat.,** n. 513; C. **Manil.,** n. 600.

249. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm., probabilius;* modo sit attritus, ut dicitur de quocumque sacramento vivorum. Ratio est, quia Sacramenta vivorum debent *directe* et *per se* gratiae augmentum et alios effectus suos producere in eis qui non ponunt obicem, ut est ille qui bona fide accedit ad sacramentum suscipiendum: atqui non possunt hos effectus producere, quin peccatum mortale deleatur; ergo illud *indirecte* delere debent. *S. Alph.,* l. 6, n. 269.—V. **Comp.,** nn. 257, 355 seq.

R. ad 4m *Quaes.* Flaccus etiam sub conditione confirmari potuit. Licet enim confirmatio non sit tantae necessitatis quam baptismus, est tamen maximae utilitatis. Verum, etiam supposito praecepto, non videtur esse *gravis* obligatio ut confirmationem denuo suscipiat, quia legi iam probabiliter satisfecit, et proinde illa ligari non potest.—Patet *a fortiori* ex dictis, n. 245.

---

(1) Los párrocos y vicarios exhortarán a todos los que hayan de ser confirmados a acercarse con tiempo al tribunal de la penitencia; pero el sacerdote celoso según ciencia y caridad los inducirá más eficazmente con la persuasión, que exagerando las obligaciones del cristiano. Hágales entender, cuanto posible fuere, la excelencia del sacramento; inspíreles el deseo de recibirlo y recibirlo dignamente, y con facilidad logrará que se preparen para él con el sacramento de la reconciliación. *Gousset,* n. 152.

CASUS

DE EUCHARISTIA

SEU

De materia utriusque consecrationis; de forma; de ministro Eucharistiae; de eiusdem subiecto; de dispositione animae et corporis in subiecto; de Viatico; de communione frequenti.

CASUS I

MATERIA CONSECRATIONIS PRIORIS

1.° VITALIS, sacerdos, habitans in regione ubi triticum non crescit nec facile haberi potest, pro sacramento Eucharistiae perficiendo utitur hostiis ex *spelta,* et aliquando ex *siligine,* seu *secali,* vel ex *hordeo* confectis; et interdum ex his omnibus simul permixtis.

2.° ALBINUS, paroeciae praefectus, summo mane admonitus aliquem paroecianum morti proximum esse, deficientibus hostiis consecratis, se accingit ad Sacrum statim faciendum, ut Viaticum moribundo deferre possit. Sed obstupens advertit deficere quoque hostias non consecratas, quippe quae, ut ipse mox rescit, pridie a pueris, Sacro ministrantibus, manducatae fuerant. Nec farina triticea in promptu habetur. Quid igitur faciet miser? Accepto panis usualis frustulo, cum eo celebrat, et illius partem servat, moribundo tradendam.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit materia primae consecrationis?*
2.° *An valide* VITALIS *consecraverit, in primo casu?*
3.° *An valide et licite* ALBINUS, *in secundo casu?*

SOLUTIO:

250. — *R. ad* 1m *Quaes.* Materia consecrationis est panis *triticeus,* seu panis, qui *vulgo* habetur ut panis proprie dictus. Cfr. can. 815, § 1.

R. ad 2m *Quaes.* VITALIS non valide consecravit cum pane *hordeaceo*, quia non est verus panis *triticeus*. Utrum valide consecraverit cum pane ex *siligine, secali* vel *spelta,* nequit ex iis nominibus

definiri, cum eadem nomina non in omnibus regionibus eamdem rem significent. Videndum est utrum talis panis ex communi aestimatione habeatur ut verus panis *triticeus,* vel non. In primo casu erit valida consecratio VITALIS, secus in secundo. Commixtio autem a VITALI facta materiam quoque dubiam exhibet; immo si hordei quantitas praestantior sit, materia prorsus invalida est.

251. — *R. ad* 3m *Quaes.* ALBINUS absque dubio *valide* consecravit in pane usuali, ut patet, cum sit verus panis. Sed *illicite* egit, iuxta sententiam communem. Ratio est, quia, in hoc casu, praeferenda est reverentia tanto sacramento debita, utilitati proximi, cui sacramentum non est simpliciter necessarium. *S. Alph.*, n. 203. — Dicit *Pontas,* cas. 4, v. Consecrare, nunquam licitum esse in Ecclesia Latina consecrare in pane fermentato. Sed recte animadvertit *Collet* adnotator, dari casum in quo hoc licitum et obligatorium esset, nempe ad Sacrificium perficiendum, si aliter perfici non posset, v. gr. si sacerdos animadverteret se materiam corruptam consecrasse, nec aliam hostiam licitam habere posset. V. **Comp.**, n. 375.

CASUS II

MATERIA CONSECRATIONIS POSTERIORIS

GASTONIUS, sacerdos, die quadam rigidissimae hiemis, Sacrum faciens, dum ad calicis consecrationem pervenit, naribus calici propius admotis, acetum olfacere sibi visus est. Obstupefactus ac perterritus, liquorem calici infusum accuratius considerat, moxque deprehendit vinum illud faeculentum esse, multumque acescens; insuper frigoris rigore contractum, necnon glaciata quadam membranula obductum esse. Quid ipse faciet? Vinum aliud postulat; sed non habetur, nec absque magna difficultate haberi potest. Attamen, peracta iam panis consecratione, ab incepta Missa desistere nequit. Pergit igitur anxius et animo perturbatus, existimans se probabiliter invalide consecrare. Peracto autem Sacro, dubitat num aliud facere debeat die sequenti ad intentionem illius, a quo stipendium pro hodierno Sacrificio acceperat.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit materia valida secundae consecrationis?*

2.° *An vinum faeculentum, vel gelidum, aut acescens, valida sit consecrationis materia; et an, vel quando licita?*

3.° *An recte egerit* GASTONIUS; *vel quid agere debuisset?*

QUAER. 4.° *An teneatur aliud Sacrum facere pro illo qui stipendium ipsi erogavit?*

SOLUTIO:

252. — *R. ad* 1m *Quaes.* Materia valida posterioris consecrationis est solum vinum de vite, non corruptum. Constat ex Concilio *Florentino,* ex Concilio *Trident.,* necnon ex can. 815, § 2: Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum, etc.

R. ad 2m *Quaes.* 1.° Vinum faeculentum videtur esse materia *valida* sacramenti (licet minus pura et *illicita),* nisi vinum videatur corruptum. 2.° Vinum gelidum probabilius est etiam materia valida, quia remanet substantialiter vinum, sed sub gravi illicita. 3.° Vinum acescens est adhuc materia valida, quia incipit tantum corrumpi, non vero est adhuc substantialiter corruptum; secus, si acetum iam factum sit. Sed etiam, si acescere tantum incipiat, nihilominus sub gravi prohibetur, ob gravem iniuriam quae Eucharistiae irrogaretur. Verum hoc intelligunt scriptores, non de primo corruptionis initio, sed de paulo notabiliori acescentia. Attamen, in casu necessitatis Sacrificii perficiendi, materia dubia quaecumque, materia alia certa deficiente, adhibenda foret. Hinc sacerdos, qui, peracta consecratione, adverteret vinum calici infusum esse corruptum, vel aquam loco vini infusam fuisse, tenetur vinum dubie validum adhibere, ad consecrationem sub conditione iterandam, si aliud vinum indubium sibi procurare non posset, quia melius est sacrificium dubium esse quam certo mancum.

253. — *R. ad* 3m *Quaes.* GASTONIUS recte egit; immo, aliter facere non potuisset. Valide quidem consecravit, quia, licet vinum iam pene saperet acetum, erat tamen adhuc vinum proprie dictum, neque vinum faeculentum censebatur corruptum, neque erat adhuc congelatum, licet iam contrahi inceperit. Deinde, licite consecravit, quia in casu necessitatis Sacrificii perficiendi, consecrari potest materia minus pura, seu faeculenta, etc., modo non sit certo invalida. *Elbel,* n. 16.

254. — *R. ad* 4m *Quaes.* GASTONIUS, ab omni scrupulo eximendus est, quod attinet ad Sacrificii valorem, ut ex dictis patet. Proinde aliam Missam celebrare non tenetur, ad intentionem illius qui stipendium tribuit. Immo neque inquietandus esset, etiam data invaliditatis probabilitate. Ratio est, quia, posito dubio de obligatione iterum celebrandi, ipsi de hoc minime constaret. Insuper, cum prior consecratio certo valida sit, etiam ex hac parte GASTONIUS eximendus est ab onere aliud Sacrum faciendi ad intentionem illius a quo stipendium accepit, quia probabiliter unica consecratio ad essentiam Sacrificii Missae sufficit. Recole dicta supra de Sacramentis in genere, n. 149.

CASUS III

CONSECRATIO 1.°

1.° IUCUNDUS, sacerdos, dum in Missa legit introitum, advertit ciborium, hostiis minoribus refertum, a sacrista in altari deponi; quapropter intentionem has particulas consecrandi elicit, et Sacrum prosequitur, quin amplius ad illas attendat. Sed, peracta communione, audiens ministrum recitantem orationem *Confiteor,* et communicaturos accedentes, obstupescit, cernens ciborium extra corporale relictum. Haeret anceps, nesciens quid sit faciendum. Tandem praedictas hostias, non sine magna animi anxietate et perturbatione, fidelibus distribuit.

2.° MARIUS, celebraturus, ciborium consecrandum in corporali sedulo reponit. Sed, ubi ad actionem consecrationis pervenit, de ciborio minime recordatur, ideoque illud omnino clausum relinquit. Hinc, anxietate pressus, dubitat utrum hostiae in ciborio contentae velut consecratae habendae sint. Consequenter, non audet eas fidelibus distribuere, sed in tabernaculo depositas, die sequenti sub conditione denuo consecrat.

HINC:

QUAER. 1.° *An valida fuerit consecratio, et recte* IUCUNDUS *egerit in primo casu; aut quid ei fuisset agendum?*

2.° *Quid de consecratione, et agendi ratione* MARII, *in secundo casu?*

3.° *Si una, aut altera hòstia sit dubie consecrata, an vel quando ab ipso consecrante sumi possit?*

SOLUTIO:

255. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° *Probabiliter* (vel forte *probabilius)* valida fuit consecratio, cum IUCUNDUS habuerit intentionem ciborium illud consecrandi, eamque non retractaverit. Sed quia opposita sententia solide probabilis est, consecratio remanet *dubia.* V. **Comp.,** n. 380.

2.° IUCUNDUS male egit, praedictas hostias fidelibus distribuendo, cum non fuerint certo consecratae. Debuisset igitur eas asservare in tabernaculo, ut in alia Missa sub conditione consecrarentur, vel, deficiente tabernaculo, eas ante primas ablutiones consumere.

256. — *R. ad* 2m *Quaes.* MARIUS valide consecravit hostias in ciborio clauso, super corporale posito, quia validitati consecrationis non obstat quod ciborium sit clausum; et insuper, sacerdos semper censetur velle consecrare quidquid, ipso sciente, est super corporale, et honeste consecrabile. Nec obstat quod agat contra legem Ecclesiae,

quae mandat ut ciborium aperiatur ante consecrationem, quia hic agitur tantum de rubrica minoris momenti, quae non censetur urgere cum tanto incommodo; proinde, in hoc casu, intentio praedominans sacerdotis merito in favorem consecrationis praesumitur, licet ritus levis momenti praetermittatur. Ita *communiter doctores,* ut asserit *Reuter,* n. 155, et *Pontas,* v. Consecrare, cas. 10. — V. **Comp.,** n. 380, q. 2.°

257.—*R. ad* 3^m *Quaes.* Hostia dubie consecrata a celebrante sumi potest et debet, facta communione sub utraque specie, ante primas ablutiones. Non potest consumi antea, quia si non sit consecrata, ieiunium naturale violaretur; neque postea, quia, si sit consecrata, a sacerdote non ieiuno sumeretur. Posset tamen asservari in tabernaculo, ut in alia Missa consecraretur, ut iam supra de ciborio dubie consecrato dictum est.

CASUS IV

CONSECRATIO 2.°

1.° AMBROSIUS, sacerdos, cum vinum in calicem ponit, advertit guttulas plures lateribus cuppae interioris calicis adhaerere, licet diligentiam ad eas abstergendas adhibeat. Nescit autem an illae guttulae consecrandae sint, necne. Quid ille? Non omnes quidem, sed plures consecrare intendit, scilicet, eas tantum, quas commode accipere poterit simul cum speciebus consecratis.

2.° CRISPINUS, Sacrum faciens, cum ad calicis consecrationem devenisset, ex oblivione, aut nimia celeritate omisit verba formae: *novi et aeterni testamenti,* cum sequentibus. Prolatis nonnullis aliis orationibus, ad omissionem advertit; et statim totam consecrationis calicis formam repetit. Alias eamdem formam pronuntiando, lapsu linguae, dicit: *Hic est calis sanguis mei;* nec formam repetit.

HINC:

QUAER. 1.° *An valida fuerit consecratio guttularum vini intentarum, in primo casu?*

2.° *Quid, in praxi, faciendum circa guttas vini cuppae calicis adhaerentes? an consecrandae, vel non?*

3.° *An valida fuerit consecratio in secundo casu, non obstante mutatione formae, in utraque hypothesi, vel an repetenda fuerit?*

SOLUTIO:

258. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Non valet consecratio illarum vini guttularum, quia intentio sacerdotis fuit nimis vaga et indeterminata. Etenim si quis haberet decem hostias, et vellet consecrare quinque, nullam consecraret, nisi aliquas seorsim certo eligeret ac determinaret,

ut in rubricis missalis declaratur. Ergo, a pari, licet sacerdos dicat: Volo consecrare guttas quas capere potero, nullas consecrat, quia hic et nunc non determinat eas quae consecrandae sunt. *Comitolus,* l. 1, q. 45.

259. — *R. ad* 2m *Quaes.* Guttae vini exterius cuppae calicis adhaerentes minime sunt consecratae, quia praesumi nequit velle sacerdotem eas consecrare cum tanto irreverentiae periculo; immo, nec censendae sunt consecratae guttae interius calici adhaerentes, et a maiori parte vini separatae, quia non videtur esse intentio Ecclesiae, adeoque nec sacerdotis, ut consecrentur; saltem probabilius et communius id tenent doctores. In praxi, praestat habere intentionem generalem consecrandi tantum vini quantitatem unitam, non vero guttas ab illo separatas, vel nullam habere aliam intentionem, nisi id faciendi quod convenientius est. V. **Comp.,** n. 381.

260. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Valida est consecratio calicis, non obstante omissione verborum: *novi et aeterni testamenti;* quia illa verba ad formam essentialem minime pertinent. Etenim, non magis ad formam calicis pertinent quam verba, *quod pro vobis tradetur,* ad consecrationem panis: atqui haec posteriora verba minime necessaria sunt consecrationi panis, cum ne ex praecepto quidem Ecclesiae proferenda sint; ergo, etc. Insuper, prima verba *per se* sola exprimunt praesentiam sanguinis Christi sub speciebus vini, sicut verba: *Hoc est Corpus meum*, exprimunt praesentiam corporis Christi sub speciebus panis. Ergo Crispinus formam consecrationis calicis repetere non debuit, propter omissionem verborum: *novi et aeterni testamenti. Pontas,* v. Consecrare, cas. 12; *Collet, Gousset,* n. 181. Attamen *S. Alphonsus,* ob auctoritatem plurium doctorum, qui contradicunt, ait: *Si sacerdos tantum prima verba* formae calicis *dixisset, deberet sub conditione integram repetere formam.* V. **Comp.,** n. 384.

2.° Certo valida est forma, licet Crispinus dixerit *Calis* pro *Calix,* et *sanguis* pro *sanguinis;* proinde nihil repetere debet. V. **Comp.,** De Sacram. in genere, n. 264; *Voit,* n. 36.

CASUS V

CONSECRATIO 3.°

Singularis missionarii industria

Floribertus, missionarius, peracta quadam missione, cum uberrimo animarum fructu, iam ad ultimam diem pia exercitia perduxerat. Iam instabat communionis generalis sollemnitas; sed inexspectata exsurgit difficultas. Ecce parochus qui Sacrum faciebat, et ad communionem iam devenerat, advertit, non sine stupore, se hostias ad fide-

les communicandos destinatas non consecrasse, et ciborium in extremo altaris angulo reliquisse. Id audiens missionarius, et advertens simul adesse sacerdotem ad aliud altare celebrantem, qui iam ad hostiae consecrationem pervenerat, absque mora acceptum ciborium ad hunc sacerdotem defert, genuflectit dum verba consecrationis proferuntur, et ocius ciborium refert ad parochum, gaudens et gestiens, ex eo quod tam faciliter damnum fidelibus ingruens averterit.

Alias, idem missionarius, cum in iisdem angustiis versaretur, nec adesset alius sacerdos, neque celebrans, neque celebraturus, rogat parochum ut, licet iam ad communionem pervenerit, consecrationem iterare velit. Acquiescit parochus, et res a periculo liberatur.

Alias, FLORIBERTUS noster, in simili casu, seu deficientibus hostiis consecratis ad communionem fidelium generalem, alia utitur industria. Cum unus solus supersit sacerdos qui nondum celebraverit, et Missam sollemnem sit postea decantaturus, rogatur a missionario ut statim celebret hostias consecrandi gratia, ablutiones non sumpturus ut denuo hora Missae sollemnis celebrare possit.

HINC:

QUAER. 1.° *An afferri possint hostiae consecrandae, incepto canone?*

2.° *An auferri possint de altari hostiae consecratae, ante communionem?*

3.° *An consecrari possint hostiae extra consecrationem, qua Sacrificium perficitur?*

4.° *An altera Missa possit eodem die celebrari ab eodem sacerdote, absque licentia Episcopi?*

5.° *Quid de triplici industria* FLORIBERTI?

SOLUTIO:

261. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Acriter *controvertitur.* Negant *communiter* theologi et rubricistae periti. Attamen plures doctores magni ponderis permittunt, gravissima de causa. Sic *Bened. XIV*, De Sacrif. Missae, tom. 2, c. 158: «Communis sententia est, et plerorumque firmata consensu, non posse particulas consecrari cum canon recitari inceperit, etiamsi ageretur de consecranda particula quae referenda esset pro Viatico ad infirmum. Eo enim casu, parva quaedam particula detrahi posset ex hostia Missae, et reservari pro infirmo... Facile quivis intelligit ordinem Missae perverti, si particulae accipiantur consecrandae, praefatione incepta. Id porro, si faciendum est, fieri non debet *sine legitima causa*, cuiusmodi ea esset, *si magna multitudo parata ad recipiendam Eucharistiam sacramento careret*». Videtur huic doctrinae subscribere *S. Alph.*, n. 217. — Sic etiam *De Herdt,* Sacrae Liturgiae Praxis, vol. 2, n. 139, *Lovanii*, 1902: «Quousque, et qua ratione admitti possint (hostiae minores incepto canone), auctores non conveniunt. Certum solummodo est, illas nunquam ad-

mitti posse post consecrationem panis». Dicunt autem omnes quod si, gravi de causa, hostiae minores afferantur post oblationem, earum oblatio mentaliter fieri debet.

262. — *R. ad* 2m *Quaes.* Non convenit generatim hostias minores ab altari auferri ante communionem sacerdotis, quia ad idem sacrificium pertinent, licet non essentialiter; sed hoc videtur posse fieri ex gravissima causa. Etenim admittitur communiter posse Missam abrumpi, etiam post consecrationem, et ante communionem, ut Viaticum moribundo conferatur cum hostia minori modo consecrata, vel ipsi aegroto dari posse partem hostiae maioris, si nulla sit alia, ut asserit *De Herdt* in eodem opere: atqui in hoc casu nondum perficitur sacrificium; ergo idem videtur fieri posse ex alia urgenti gravissima causa. Verum id generatim non est faciendum, ob reverentiam SS. Eucharistiae debitam et scandalum populi, qui facile offenderetur videndo tam leviter sanctissimum Christi Sacramentum tractari. Quare populus per aliquot minuta non exspectaret, donec celebrans ulterius progressus fuerit, vel etiam ad communionem devenerit?

263. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.* prorsus, quacumque de causa, seclusa necessitate Sacrificium perficiendi. Ratio est, quia consecratio a Sacrificio licite separari nequit, seu consecratio de iure divino permitti non potest, nisi in quantum rationem perfecti sacrificii habere debet: atqui ex institutione Christi consecratio non habet rationem perfecti sacrificii, nisi sub utraque specie fiat. Ergo, etsi panis et vinum seorsim valide consecrentur, licite tamen una consecratio ab altera separari non potest; ergo gravissimi sacrilegii reus evaderet ille qui minores hostias post panis consecrationem seorsim consecraret. Controversia in hoc non admittitur; certum est enim, ait *De Herdt,* supra citatus, hostias minores nunquam posse admitti post consecrationem panis. V. *Pontas,* v. Celebrare, cas. 16. *Gobat,* De Missa, n. 192, ubi hac de re ait: «Ita usus constans Ecclesiae et doctrina doctissimorum et piissimorum doctorum. Cum enim satis frequenter eveniat ille defectus particularum consecratarum, quando adsunt etiam multi qui communicare vellent, attamen nunquam auditum est Praelatos permisisse id fieri, aut omisisse iustam correctionem si quando audierint factum esse».

264. — *R. ad* 4m *Quaes.* Seu an altera Missa ab eodem sacerdote celebrari possit, eadem die, absque licentia Episcopi? Sane id fieri potest aliquando ex gravissima et urgenti causa, de licentia Episcopi. Cfr. *Mach-Ferreres,* Tesoro del sacerdote, vol. 1, n. 653 seq. *D. Bouix* concludit, esse rationem sufficientem iterationis Missae, etiam in eadem ecclesia, si secus magna pars populi Missa carere debeat. Porro in iure canonico, trecenti homines reputantur magna pars populi (De parocho, pag. 464 et seq.). Etsi vero ad illam iterationem requiratur licentia Episcopi, attamen, ait idem *Bouix:* «In uno aut altero casu, praesertim repentino, et in quo non facile pateat aditus ad Episcopum,

si aliunde certe adesse videatur sufficiens necessitas a iure requisita, non puto crimini vertendum parocho, quod dictam licentiam non requirat». Ibid., pag. 467.

Hoc tamen probabile dicere non audeo, cum obstare videatur can. 806: «Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum Sacrificium, non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario».

265. — *R. ad* 5^m *Quaes.* FLORIBERTUS non videtur culpandus, ad rigorem loquendo, in primo casu, iuxta plures et graves auctores, licet multo plures dissentiant. Sed debuit saltem exspectare, antequam ciborium transferret, donec utraque consecratio perficeretur, et etiam diutius, secluso gravissimo incommodo. Omnino autem damnandus in secundo casu, ut patet ex dictis. In tertio autem casu, vix ei indulgendum esse videtur.

* CASUS VI

MINISTER EUCHARISTIAE 1.°

VALERIUS, parochus, graviter aegrotans, cum non adesset alius sacerdos, adrepit ad ecclesiam, et sibimetipsi praebet Viaticum. Interea advenit nuntius, referens GERVASIUM paroecianum morti esse proximum, et enixe sacrum Viaticum postulare. Ingemuit pastor, non valens ipsemet moribundi votis satisfacere; ne tamen absque Viatico ille periret, ludimagistro mandavit ut sui loco hoc munere fungeretur.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis sit minister Eucharistiae distribuendae?*
2.° *An* VALERIUS *potuerit Viaticum sibi ministrare? Quid, si praesens fuisset diaconus?*
3.° *An ludimagistrum committere potuerit?*

SOLUTIO:

266. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Minister administrationis Eucharistiae ordinarius, est solus sacerdos (can. 845, § 1). «Extraordinarius est diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur» (ibid., § 2). *S. Alph.*, n. 237, et Homo ap., n. 9. V. **Comp.,** n. 386.

2.° «Quilibet sacerdos intra Missam, et si privatim celebret etiam proxime ante et statim post, sacram communionem ministrare potest, salvo praescripto can. 869» (can. 846, § 1). — «Etiam extra Missam quilibet sacerdos eadem facultate pollet ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, si sit extraneus» (ibid., § 2). Igitur sacerdoti adscripto alicui ecclesiae ipsum ius concedit facultatem ministrandi in ipsa Eucharistiam etiam extra Missam, et etiam adimplementum prae-

cepti paschalis. Extraneus seu non adscriptus opus habet in casu licentia parochi vel rectoris ecclesiae, sed sufficit legitime praesumpta.

267. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° VALERIUS certo potuit seipsum communicare, deficiente alio ministro a quo Eucharistiam accipere posset, in gravissima necessitate, seu in mortis periculo. Immo probabiliter potuit seipsum communicare extra mortis periculum, praeciso scandalo, sola devotionis causa. *Suárez,* d. 72, sect. 3, n. 3; *Lugo,* d. 17, n. 28 seq.; *Lacroix,* l. 6, part. 1, n. 471; *Gasparri,* De Euchar., n. 1081; *D'Annibale,* vol. 3, n. 395. Idipsum posse diaconum, ubi desit sacerdos, affirmat *Lugo,* l. c., n. 33 seq. Quod autem *laicus* communicare possit se ipsum in mortis periculo, deficientibus sacerdote ac diacono, docet *Suárez,* l. c., cum *Caietano* et *aliis.* Item *Gasparri,* l. c.; *D'Annibale,* l. c.; et constat ex S. C. de P. F., 21 iul. 1841 *(Coll.,* n. 928, ed. 2.ª). Cfr. etiam *Lacroix,* l. c., n. 472.

2.° Si diaconus praesens fuerit, dicunt plures VALERIUM seipsum communicare non potuisse, quia, cum diaconus sit minister extraordinarius Eucharistiae distribuendae, et urgente necessitate, vel etiam causa gravi, cum delegatione eam ministrare valeat, iam non fuisset necessitas pro VALERIO seipsum communicandi, siquidem alius sacramenti minister non defuisset. — Sed cum utrumque medium sit in praese ti disciplina extraordinarium, plures et graves auctores probabiliter existimant, etiam praesente diacono, *potuisse* VALERIUM se ipsum communicare. Quare non esset inquietandus. Ita *Lacroix,* l. c. Immo *Durandus,* in 4, dist. 13, q. 4, dicit *debere* in casu seipsum sacerdotem propriis manibus communicare et non accipere e manibus diaconi; quod probat *Suárez,* l. c.

268. — *R. ad* 3m *Quaes.* An vero parochus ludimagistrum committere potuerit ad Viatici administrationem, prout in casu? *Controvertitur. Negat S. Thomas* cum *Lugo, Voit,* n. 300, et aliis multis; quia hoc est contra consuetudinem Ecclesiae, tum quia sacramentum illud non est tantae necessitatis ad salutem, tum quia administratio Eucharistiae a laico facta magnam admirationem et scandalum apud populum induceret. *Affirmant* autem plures graves theologi cum *Suárez, Laymann,* etc. Hanc sententiam approbare videtur *S. Alph.,* n. 237. Eamque in praxim deduci posse docent *D'Annibale,* l. c.; *Lehmk.,* 2, n. 134; *Aertnys,* l. 6, n. 81; *Gasparri,* l. c., n. 1080, modo vitetur scandalum. Vitari autem potest admonendo circumstantes id in tali necessitate permissum esse. *S. Alph.,* Homo apost., n. 10. Sic in persecutione Parisiensi per feminas deferebatur Eucharistia sacerdotibus in carceribus detentis. Sicut prioribus Ecclesiae saeculis etiam per laicos et pueros martyribus non semel delata fuit. Immo et laici in propriam domum deferebant, ut postea ipsi se propriis manibus communicarent. Die 21 iul. 1841 concessit S. C. de P. F. confessoribus ad mortem propter fidem damnatis. Cfr. *Ferreres,* La comunión frecuente, nn. 117, 154 seq.; *Devoti,* Inst. can., l. 2, tit. 2, § 47, nota 2.

CASUS VII

MINISTER EUCHARISTIAE 2.°

GALDINUS, sacerdos, requisitus ut moribundo sacrum Viaticum porrigeret, se ocius accinxit ut eius votis satisfaceret. Sed aberat aedituus, sacristiae clavim secum deferens. Curavit quidem GALDINUS ut quamprimum accerseretur; sed, eo longam protrahente moram, cum timeret sacerdos ne aeger deficeret quin sacra Eucharistia reficeretur, assumpta sacra hostia, sine stola, sine superpelliceo, immo etiam sine lumine ad infirmum cucurrit, eique sacrum Viaticum ministravit.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis ritus sub gravi requiratur in Eucharistia distribuenda?*

2.° *An* GALDINUS *licite egerit?*

SOLUTIO:

269. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Eucharistia non est generatim ministranda, nisi cum superpelliceo, stola et lumine. Peccaret graviter, iuxta communem sententiam, ille qui praeter casum necessitatis Eucharistiam distribueret sine ulla veste sacra; quia est valde indecens, et contra praeceptum grave Ecclesiae. Attamen si stola deficeret, vel lumen, *probabiliter* hoc veniale non excederet, et in necessitate nullum esset peccatum. *S. Alph.*, n. 241.

R. ad 2^m *Quaes.* GALDINUS omnino licite et laudabiliter egit; zelus igitur eius nedum vituperandus sit, contra, valde commendandus est. Licet enim graviter illicitum sit Eucharistiam ministrare sine ulla veste sacra, extra casum necessitatis, attamen, cum Sacramenta sint ad animarum salutem instituta, rationabiliter praesumitur neque Christum, neque Ecclesiam voluisse obligare ad servandas praedictas caeremonias in casu ubi urget gravissima necessitas, seu in vitae periculo. *Elbel,* n. 63; *Lacroix,* l. 6, n. 488. In casu autem ubi sacerdos, propter instantem necessitatem, defert Eucharistiam sine stola et sine superpelliceo, consultius videtur ut procedat etiam sine lumine et tintinnabulo, ne populi admirationem provocet. **Comp.**, n. 403.

CASUS VIII

MINISTER EUCHARISTIAE 3.°

NICAON, sacerdos, in pluribus incuriosum se praebet circa ritum in Eucharistia ministranda servandum. Hinc: 1.° communionem ministrat, uno solo cereo accenso, et omissa oratione *Confiteor,* aut etiam muliere hanc orationem recitante.

2.° Aliquando, cum devenit ad altare, advertit se stolam induere oblitum fuisse; nec tamen revertitur ad eam accipiendam, aut non curat ut ad se ab alio deferatur.

3.° Chiragra laborans, nec indice uti valens, ad communionem distribuendam, hostias inter pollicem et digitum medium accipit et porrigit.

4.° Defert quandoque SS. Eucharistiam clanculum sub vestibus, aut nocte, sine campanula et lumine, ad personas pias diuturna infirmitate detentas, ne attentionem aut admirationem apud plebem excitet.

5.° Aliquando etiam, sive casu, sive festinatione nimia, hostia ab eius manu delapsa cadit in terram, in sacra ornamenta, in laicorum vestes, aut in mappam communicantium; nec ipse de loco signando, et postea abluendo, curam habet.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quomodo* NICAON *in singulis peccaverit?*
2.° *An vel quatenus communio extra Missam distribui possit?*
3.° *Qua hora communio dispensari valeat?*

SOLUTIO:

270. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Peccat *venialiter* NICAON ministrando Eucharistiam cum uno solo cereo accenso, quia licet unicum lumen sufficiat ad SS. Sacramentum de loco in locum transportandum, duplex tamen requiritur ad Eucharistiam ministrandam. Si tamen ratio aliqua urgeret, nec facile duae candelae statim accendi possent, una sola sufficeret. Ita *communiter*. Peccat quoque *venialiter* omittendo orationem *Confiteor,* quia rubricas in re levi praetermittit. Non est conveniens ut mulierem adhibeat ad orationem hanc recitandam, cum consuetudo Ecclesiae id tantum monialibus permittat. Attamen, cum nulla prohibitio specialis scripta circa haec inveniatur, non videtur de ullo peccato arguendus sacerdos qui mulieri, in loco remoto stanti, praedictam orationem recitandam committeret.

2.° Peccat *venialiter* ministrando Eucharistiam sine stola, si possit *facile* eam accipere, vel ab alio requirere. Secus, si id facile fieri non possit, v. gr. si sacrarium sit clausum, et exspectandum esset ad clavem quaerendam, etc.

3.° Non licet ministrare Eucharistiam aliis digitis praeter pollicem et indicem, qui ad hoc sunt specialiter consecrati et ex ritu Ecclesiae deputati. Excipe tamen casum necessitatis, nempe, si Viaticum moribundo ministrandum sit. Ita *communiter. S. Alph.,* n. 244, et l. 7, n. 408. — Plures tamen non improbabiliter docent hanc praescriptionem sub *levi* tantum obligare, ideoque ab ea servanda excusare quamlibet causam rationabilem. Ita *Lacroix,* l. 6, part. 1, n. 480; *Ball.-P.,* n. 896; *Génicot,* Casus, tr. 14, cap. 2, § 3, cas. 1. Quare *probabiliter* NICAON a peccato est excusandus.

4.° Hodie, iuxta can. 849, ex iusta et rationabili causa, infirmis, qui domo egredi nequeant et sacram communionem ob devotionem petant (cum praesertim in aliqua paroecia plures petant, vel aliquis petat frequenter), SS. Eucharistia privatim, seu non observatis Ritualis praescriptionibus, ab ecclesia domum deferri potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia Eucharistiae commissa sit (v. gr. parochi, Superioris religiosi, rectoris ecclesiae, etc.); servato saltem ritu proposito a Benedicto XIV in decreto *Inter omnigenas,* 2 febr. 1744, § 23, scilicet: «Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pixidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et nunquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur».

5.° *Venialiter* peccat omittendo quod rubricae praescribunt ad locum signandum et abluendum, quando hostia ab eius manibus decidit, sive in terram, sive in mappam, etc., nisi commode vel convenienter quod rubricae praescribunt servari non possit. *S. Alph.*, n. 250. V. **Comp.,** n. 393.

271. — *R. ad* 2m *Quaes.* Praestat, quantum facile fieri potest, communionem distribuere in ipsa Missa post sacerdotis communionem. Sic ex *Rit. Rom.* At nunc pro certo habendum est, ob consuetudinem, quae ubique invaluit, quaeque a parochis abrogari non potest, nullum exstare praeceptum, vi cuius communio solum intra Missam distribui debeat. Immo ex Codice certo constat eam in Missis privatis distribui posse ante et post Missam et posse etiam distribui extra Missam. Cfr. dicta n. 266. Sic S. C. Rit., 7 dec. 1844, *in Ianuens.* V. **Comp.,** n. 395.

272. — *R. ad* 3m *Quaes.* Regulariter ministrari potest tantum horis quibus Missam celebrare licet, sive ex consuetudine, sive ex peculiari indulto. Ita can. 867, § 4, et antea S. R. C., 11 iun. 1904.

Sacerdotes *Eucharistici Sacerdotalis* foederis communionem distribuere possunt ab una hora ante auroram usque ad solis occasum. Pius X, 30 iul. 1906. Cfr. *Ferreres,* La comunión frecuente, n. 234.

In nocte Natalis Domini potest etiam in Missa ministrari Eucharistia absque privilegio apostolico. Cfr. **Comp.,** n. 394.

N. B. Omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere (can. 867, § 1). Feria tamen VI maioris hebdomadae solum licet sacrum Viaticum ad infirmos deferre (ibid., § 2). In sabbato sancto sacra communio nequit fidelibus ministrari nisi inter Missarum sollemnia, vel continuo ac statim ab iis expletis (ibid., § 3). Igitur sabbato sancto non licet ministrare Eucharistiam: *a)* neque ante Missam, *b)* neque durante Missa, nisi intra ipsam Missam, eo nempe tempore, quo liturgice ab ipso celebrante, sive solo, sive adiuto ab aliis, distribui potest, i. e. statim post communionem celebrantis; *c)* neque post finitam Missam, nisi continuo ac statim, ita ut distributio Eucharistiae sit veluti moralis continuatio Missae. **Comp.,** n. 394.

CASUS IX

QUID DE REPERTIS PARTICULIS?

1.° EUPHEMIUS, sacerdos, Missa iam perfecta, antequam discedat advertit exiguam particulam hostiae superesse in altari; hanc sumit, licet ablutiones iam acceperit. — Idem praestat alia vice, cum redux in sacrarium, depositis ornamentis sacerdotalibus, admonitus fuisset particulam superesse in altari; statim enim, superpelliceo et stola indutus, recta perrexit ad altare ad particulam colligendam et sumendam. — Alias autem, etiam admonitus, repertam fuisse particulam prope altare, primum dubitat an eam possit sumere, etiam non ieiunus. Statuit dein eam in ciborium reponere; tandem illam in piscinam immittit.

2.° EULALIA, monialis, sacrarii custos, dum die quadam altare adornaret, hostiam minorem in eo repositam conspexit. Obstupescit primum, ingemiscens; subinde quantocius capellanum accersit. Mox adstat ille, sed haeret anceps, nesciens utrum hostia haec consecrata sit necne. Inito secum consilio, statuit hostiam hanc in piscinam deponere. — Alias autem, EULALIA particulam valde exiguam etiam in altari reperit. Hac autem vice in auxilium advocare nequit capellanum, quippe qui longe abest. Quid igitur faciet sanctimonialis? Cum adhuc sit ieiuna, particulam reverenter manu accipit et ore absumit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid agendum sit de hostiis aut fragmentis, in altari aut extra altare repertis?*

2.° *Quid de agendi ratione* EUPHEMII?

3.° *Quid de capellano et de moniali in secundo casu?*

SOLUTIO:

273. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Si sacerdos inveniat fragmenta hostiae pertinentia ad suum praesens Sacrificium, ea sumere debet etiam post ablutiones, sive parva, sive magna sint. *Rubr. Miss.* — Immo hoc tenendum, etiamsi sacerdos iam sit redux in sacristiam, indutus tamen adhuc vestibus sacris. *S. Alph.,* n. 251. Si vero vestibus sacris iam exutus sit, ea asservet in tabernaculo, si adsit, vel reservet alteri sacerdoti eodem mane celebraturo. Si neutrum fieri potest, ipse ea sumat. *S. Alph.,* ibid. — 2.° Si fragmenta pertineant ad aliam Missam, non sunt sumenda a sacerdote non ieiuno, nisi quando in loco decenti reponi nequeunt. *S. Alph.,* ibid. Alii tamen etiam in hoc casu permittunt sumere sacerdoti, qui nondum exuerit vestes. *Génicot,* n. 185.—3.° Si laicus fragmenta inveniat, moneat primum sacerdotem, siquis prope sit, vel eum accersat, si fieri possit. Sacerdos autem aget ut modo in secundo loco dictum est. — 4.° Tandem, deficiente sacerdote, laicus

fragmenta reverenter accepta reponat in corporali vel in linteolo mundo, aut in vase decenti, donec sacerdos advenerit. V. **Comp.**, n. 412.

274. — *R. ad* 2m *Quaes.* Euphemius *in primo casu* recte egit particulam repertam sumendo, etiam post ablutiones, saltem si putaverit eam pertinere ad suum sacrificium. *In secundo casu* male fecit, ut patet ex dictis, nisi forte sacrarium deesset, nec alius sacerdos eodem mane ibi esset celebraturus. *In tertio casu* etiam male egit. Etenim, si hostia certo praesumatur consecrata, reponenda est cum aliis in ciborio; si dubie consecrata appareat, sacerdos eam seponat, et in Missa sequenti consecret, vel sumat eam ante ablutiones. V. **Comp.**, n. 413.

275. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Capellanus male fecit; debuisset enim agere ut modo dictum est de hostia dubie consecrata. V. **Comp.**, n. 413. — 2.° Monialis male fecit; debebat hanc particulam asservare in loco decenti, dummodo id facere potuerit sine periculo irreverentiae erga SS. Eucharistiam.

CASUS X

EUCHARISTIAE SUBIECTUM 1.°

1.° Amans, parochus, inter paroecianos numerat semifatuum unum; alterum, amentem, sed quaedam intervalla lucida habentem; tertium, energumenum; quartum, surdum et mutum. Omnes autem a sacra mensa in vita et in morte excludit.

2.° Amatus, etiam parochus, renuit Eucharistiam puero septenni moribundo, rationis usu et discretione certo gaudenti, ex eo quod ad aetatem qua pueri ad sacram mensam admittuntur non pervenerit. Amabilis autem, alius parochus, contra, Eucharistiam defert alteri puero sexenni, vel septenni, etiam moribundo, licet nesciat utrum ille panem hunc caelestem ab alio cibo satis discernat.

Hinc:

Quaer. 1.° *An* Amans, *in primo casu, potuerit vel debuerit aliquando hos miseros paroecianos ad communionem admittere?*

2.° *Quid de agendi ratione* Amati *et* Amabilis, *in secundo casu?*

Solutio:

276. — *R. ad* 1m *Quaes.* Amans erravit praefatos paroecianos sacra Eucharistia privando in morte. Omnes enim potuerunt communione refici, secluso irreverentiae periculo; siquidem in praxi Ecclesiae ab ea excluduntur tantum pueri qui nondum usum rationis adepti sunt, et perpetuo amentes. Immo interdum in vita praedictis fideli-

bus sacramentum Eucharistiae conferri potest, si instructione et discretione sufficienti gaudere videantur. Si surdus et mutus sit instructus, sicut ceteri fideles ad communionem admitti potest. Semifatui qui videntur sufficientem habere discretionem, etiam communicare possunt. *S. Alph.*, n. 302 et seq.; *Reuter,* n. 170. — V. **Comp.**, n. 422 et seq.

277. — *R. ad* 2m *Quaes.* Graviter erravit AMATUS praedicto puero Eucharistiam negando in morte, cum supponitur sufficientem habere discretionem. Tenebatur sub gravi eum sacro Viatico munire. *S. Alph.*, n. 301. *Gousset,* n. 233. AMABILIS autem, iuxta *Lugo,* d. 13, n. 43, potuit quidem dare communionem in praefato casu, quia nullibi hoc prohibitum est, cum puer ille non esset certo incapax; sed non tenebatur eam ministrare, quia de obligatione in hac hypothesi non constat. Alii dicunt sacramentum in simili casu non esse ministrandum.

* CASUS X *bis*

EUCHARISTIAE SUBIECTUM 2.°

TITIUS, capellanus cuiusdam hospitalis, quo amentes excipiuntur, infirmis omnibus, qui ante amentiam usum rationis, vel postea intervalla lucida, habuerunt, solet in articulo mortis ministrare Viaticum, modo absit periculum irreverentiae, et ipsi TITIO non constet eos in amentiam incidisse in statu peccati mortalis. Duae enim, ait, conditiones tantum in suscipiente Viaticum requiruntur et sufficiunt: 1.a ut absit periculum irreverentiae; 2.a status gratiae praesumptus. Iam vero, cum nemo malus, nisi probetur, ille, de quo non constat esse in statu peccati mortalis, censendus est iustus, ideoque Viatico muniendus, si absit irreverentiae periculum. Quare miratur et acriter invehitur in CAIUM, alterius hospitalis capellanum, qui huiusmodi infirmos extrema unctione quidem, non autem Viatico, donare solet; quem existimat agere contra unanimem auctorum sententiam.

HINC:

QUAER. 1.° *An una sit doctorum sententia circa communionem in articulo mortis eorum amentium, qui non semper caruerunt usu rationis?*

2.° *Quaenam conditiones requirantur in amentibus pro Viatico suscipiendo, iuxta patronos secundae sententiae?*

3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

277 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes.* Certum est huiusmodi amentes, si intentionem saltem implicitam, nec retractatam, suscipiendi Euchari-

stiam habuerunt, iure *divino* non prohiberi a susceptione Viatici. An vero iure *ecclesiastico* prohibeantur, duplex datur doctorum sententia et duplex est praxis sacerdotum. Tota haec disputatio ad verba Ritualis Romani devolvitur, ubi de sanctissimo Eucharistiae sacramento, in fine Rubricae legimus: «Amentibus praeterea et phreneticis communicare non licet; licebit tamen, si quando habeant lucida intervalla et devotionem ostendant, dum in eo statu manent, si nullum indignitatis periculum adsit». His verbis, iure ecclesiastico, huiusmodi amentes evidenter declarantur incapaces sacrae communionis, saltem extra mortis periculum. Cum vero verba Ritualis videantur absoluta, nec distinguant inter simplicem communionem et Viaticum, plures censent etiam Viaticum interdictum esse iis amentibus, sicut iure pariter ecclesiastico infantibus et perpetuo amentibus interdicitur.

Communius vero et *probabilius* auctores verba Ritualis intelligunt de simplici communione, non de Viatico. Unde docent, in mortis articulo posse et deberi sacram Eucharistiam his amentibus praeberi. *S. Thom.*, 3, q. 80, a. 9; *Suárez*, d. 69, sect. 2, n. 5 seq.; *Lugo*, d. 13, n. 24; *S. Alph.*, l. 6, n. 302.

277 *b.* — Iuxta hanc duplicem sententiam, duplicem esse praxim capellanorum in hospitalibus testatur *Gasparri*, De SS. Euch., n. 1124, ubi ait: nonnulli secundam sententiam «sequuntur et in illis circumstantiis Viaticum ministrant; plerique verbis *Ritualis* stricte adhaerent et nunquam Viaticum praebent; tacente auctoritate ecclesiastica, nos nec illos nec istos damnare audemus». — Hi postremi existimant praeterea vix unquam abesse periculum irreverentiae. Sic *Baruffaldus*, Rit. de Comm. inf., n. 48: «Si phreneticus est, extra mentem est, nec illi ullo modo fidendum; et ideo... absolute dico non posse praeberi Eucharistiam infirmo phrenesi laboranti, quia nusquam, durante phrenesi, cessat periculum irreverentiae»; et *Emmanuel Sa:* «Non est in usu ut amentibus, *etiam in mortis periculo*, detur Eucharistia, ob irreverentiae periculum». Priores vero saepius tale periculum abesse autumant.

277 *c.* — *R. ad* 2^m *Quaes.* Conditiones requisitae sunt: 1.° ut absit periculum irreverentiae; 2.° ut amens intentionem habuerit Eucharistiam suscipiendi, saltem implicitam et non retractatam; 3.° ut amens sit in statu gratiae prudenter existimato, vel saltem ut attritionem conceperit nec retractaverit.

Ut constet de prima conditione, potest dari ipsi infirmo semel et iterum hostia non consecrata, et si ipsam traiiciat, poterit procedi ad ministrandum ipsi Viaticum.

Ratio secundae conditionis inde petitur, quod in adultis ad Sacramenta suscipienda requiritur iure divino intentio ea recipiendi. Haec intentio potest esse habitualis, nempe aliquando habita et non retractata. Sufficit *implicita* sive contenta in alia intentione generali: sic pia et religiosa vita, aut confessio ante amentiam facta, censentur

intentio Eucharistiam saltem in articulo mortis recipiendi. Hanc intentionem sic explicat Catech. Romanus: «Amentibus... si, antequam in amentiam inciderint, piam et religiosam animi voluntatem praesetulerunt, licebit eis *in fine vitae* ex Concilii *Carthaginensis* decreto, Eucharistiam ministrare, modo vomitionis vel alterius indignitatis et incommodi periculum nullum timendum sit». — Et *Lugo,* l. c., n. 24, ait: «Si prius voluntatem habuerunt eam (Eucharistiam) accipiendi». *Navarrus,* vero, Man., cap. 26, n. 27, dicit: «Qui antea signa contritionis dedit, tollendo manus, tundendo pectus, etc.».

Requiritur etiam status gratiae, quia de sacramento vivorum agitur. Videtur tamen sufficere attritio, quamvis coniuncta cum peccato gravi, iuxta sententiam, quae tenet tunc Eucharistiam per accidens conferre primam gratiam. V. **Comp.**, n. 257.

277 *d.* — *R. ad* 3m *Quaes.* Ut patet ex dictis, Titius male agit Caii agendi rationem improbando. Non tamen ipse Titius est improbandus eo quod amentibus Viaticum praebeat, si revera absit irreverentiae periculum, et aliunde constet de intentione saltem implicita ab huiusmodi amentibus habita et non retractata suscipiendi Viaticum. De hac intentione constare debet positive. Illa praesumptio generalis *nemo malus nisi probetur,* usui esse poterit cum infirmus nec absolutionem nec sacram unctionem suscipere possit, v. gr. quia solus adest diaconus. Extra hunc casum, videtur aliquid amplius requiri, cum hoc sacramentum non sit tantae necessitatis ut est paenitentia, et sit maioris omnium dignitatis. Maxime cum securius infirmo subveniatur per extremam unctionem. Attamen *Suárez,* l. c., n. 6, scribit: «Dum contrarium non constat, nullus est qui non velit, ut Ecclesia ei in necessitate subveniat remediis ad salutem tam opportunis et quasi necessariis».

277 *e.* — At verum non est eas duas conditiones *requiri* et *sufficere.* Non enim *sufficiunt,* cum praeterea requiratur intentio suscipiendi Eucharistiam. Nec *requiruntur,* quia probabiliter sufficit attritio quamvis coniuncta cum peccato mortali. Accidere enim potuit ut hi homines peccarent mortaliter et in amentiam inciderint «tantum attriti et nondum perfecte contriti; unde fieri potest, ut per Eucharistiam efficiantur contriti ex opere operato». *Suárez,* l. c., n. 5. Cfr. *Gasparri,* l. c.; *Berardi,* Praxis, vol. 3, n. 1017.

* CASUS XI

ADMISSIO AD PRIMAM COMMUNIONEM

Augustus, puer septem annos natus, in domo paterna a privato praeceptore educatus, et rudimentis doctrinae christianae rite imbutus, peracta confessione receptaque absolutione, absque parochi exa-

mine et facultate, sed permittente confessario, ex suasione matris, pro prima vice sacrae mensae cum aliis communicaturis assistit. A parocho autem communio ei denegatur.

HINC:

QUAER. 1.° *Qua aetate pueri ad sacram Eucharistiam sumendam admittendi sint?*

2.° *Ad quem spectet ius pueros admittendi ad primam communionem?*

3.° *An recte egerit parochus?*

SOLUTIO:

278.—*R. ad* 1m *Quaes.* Ex verbis canonis 859, § 1: *Omnes utriusque sexus,* admittendi sunt statim «*postquam ad annos discretionis pervenerint*». Aetas autem discretionis ea est in qua puer incipit ratiocinari, hoc est **circa septimum annum,** *sive* **supra** *sive etiam* **infra.** Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi tum praecepto confessionis tum etiam communionis. Pius X, decr. cit., n. I; ex quo contrariae auctorum sententiae, et Conciliorum quorumdam provincialium decreta (cfr. *Ferreres,* La Comunión, etc., n. 343 seq.; La enseñanza del Catecismo, nn. 92-94) manent antiquata.

Ut puer ad primam communionem convenienter se praeparet, exigitur plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio (can. 854, § 3), id est requiritur ut fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat. Postea tamen debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere (ibid.).

279.—*R. ad* 2m *Quaes. Per se* iudicium discernendi quinam pueri ad primam communionem sint admittendi spectat *ad parentes* vel ad eos qui vices eorum gerunt et ad confessarium. Ita can. 854, §§ 4 et 5, et antea Pius X, decr. cit., n. IV; S. C. Concil., ordo serv. in relatione de Statu ecclesiae, n. 80; *Catech. Conc. Trid.,* l. c., et C. P. **Amer. lat.,** n. 528; *Ferreres,* l. c., n. 437 seq. Ergo non est ius stricte paroeciale, et contrariae dispositiones, etiam Conciliorum provincialium, aut peculiares consuetudines manent abrogatae. Immo pueri qui in collegiis religiosorum vel aliorum educantur, possunt illic primam communionem etiam sollemniter peragere. Cfr. S. C. Ep. et Reg., 14 mart. 1908; *Il Monitore,* vol. 23, pag. 128; *Ferreres,* l. c., n. 450, V. Conc. **Manil.,** n. 623.

Parocho autem est officium advigilandi, etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis, vel sine sufficienti dispositione; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur (can. 854, § 5).

Parochi tamen curare debent indicere et habere *semel aut pluries* in anno communionem generalem puerorum, et ad eam *admittere* non

modo eos qui nondum communicaverint, sed etiam eos qui, parentum confessariive consensu, iam primam peregerunt communionem. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeparationis praemitti debent. Ibid., n. V. Cfr. C. **Manil.,** n. 620 seq.; et etiam *Mach-Ferreres,* tom. 2, n. 444, ed. 15.ª

280. — *R. ad* 3m *Quaes.* Parochus male egit, puerum ad communionem non admittendo; quia, iuxta ius commune Ecclesiae, pueri ad primam communionem accedunt cum sola proprii confessarii licentia. Praeterea non nisi ex gravissimis causis publice deneganda sunt Sacramenta. V. **Comp.,** n. 423.

CASUS XII

DISPOSITIO ANIMAE

Ad communionem 1.°

1.° SANCTINUS, sacerdos, vir timoratae conscientiae, saepe Missae celebrationem omittit, absente confessario, in dubio an pravis suggestionibus adhaeserit.

2.° ELIGIUS, alius sacerdos, faciliori conscientia instructus, in probabilitate pravi consensus, recta pergit ad altare, innixus in probabili defectu pleni consensus.

3.° CORNELIUS, etiam sacerdos, dum Missam privatim celebrat, recordatur peccati mortalis ab ultima confessione commissi. Cum autem confessarii copia careat, haeret anceps, sed mox Sacrum perficere decernit, elicito tamen actu contritionis. Die sequenti, etiam praetermissa confessione, celebrat.

HINC:

QUAER. 1.° *An liceat celebrare, vel communicare cum dubio aut probabilitate peccati mortalis commissi, vel non commissi?*

2.° *An liceat celebrare in mortali, praemissa contritione, si confessarii copia desit?*

3.° *Quid ad casus propositos?*

SOLUTIO:

281. — *R. ad* 1m *Quaes.* Si dubium sit practicum, debet excuti, vel confessio praemittenda est, quia non licet omittere praeceptum adeo grave, *conscientia non efformata.* Si probabilis sit status gratiae, ad rigorem loquendo, non urget obligatio confessionis, neque ad celebrandum, neque ad communicandum. Ratio est, quia Codex can., sicut antea Conc. *Trid.*, requirit tantum confessionem ante communio-

nem pro iis qui *sunt conscii peccati mortalis* (1). Attamen enixe in hoc casu confessio *suadenda est. S. Alph.*, n. 475.

282. — *R. ad* 2^m *Quaes. Affirm.* in casu *necessitatis,* v. gr. si Missae celebratio remitti nequeat absque gravi incommodo populi qui Sacro interesse debet, vel absque gravi periculo infamiae ipsius sacerdotis. Tunc enim praeceptum probationis per confessionem praemittendae cessare censetur, et sufficit probatio per contritionem perfectam. Ita can. 856: «Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedat; quod si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat.» V. *S. Alph.*, n. 256 et seq.; **Comp.**, n. 429.

283. — *R. ad* 3^m *Quaes. In primo casu,* inducendus est SANCTINUS ad celebrationem Missae non omittendam, quia non solum non constat eum graviter deliquisse, sed omnino praesumendum est nullum dedisse consensum pravis diaboli suggestionibus, cum a peccato generatim abhorrere videatur, utpote timoratae conscientiae.

In secundo casu, timendum est ne ELIGIUS ausu temerario in mortali celebret, fucum sibi faciendo, seu facilius in sui favorem praesumendo, cum sit facilioris conscientiae, nec videatur adeo a peccato abhorrere. ELIGIUS igitur a periculo hallucinationis sedulo caveat.

In tertio casu, CORNELIUS recte egit Missam inceptam prosequendo, actu contritionis elicito de peccato memoriae occurrente; sed non debuit Missam die sequenti celebrare, omissa confessione, nisi, *deficiente confessario,* adfuerit *celebrandi necessitas.* V. **Comp.**, n. 291 seq.

CASUS XIII

DISPOSITIO ANIMAE 2.°

NABORIUS, sacerdos, peracta confessione, recordatur se peccatum letale inculpabiliter inter confitendum omisisse. Sed, cum proprius confessarius ad plures dies discessisset, et magnae difficultati ipsi esset suam apud alium conscientiam prodere, Missam celebravit, nullo praemisso contritionis actu. Illud autem peccatum post octo dies aperuit, quando apud confessarium ordinarium exomologesim suam de more instituit. Alias in aliud peccatum grave incidit, et quidem *Episcopo* reservatum. Urgebat *celebrandi necessitas,* erat enim dies festus sollemnis, et, si Missam omisisset, grave scandalum apud fideles oritu-

(1) «Sacerdos sibi conscius peccati mortalis, quantumvis se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione Missam celebrare ne audeat; quod si, deficiente copia confessarii et urgente necessitate, elicito tamen perfectae contritionis actu, celebraverit, quamprimum confiteatur» (can. 807).

rum fuisset. Sed non aderat praesens nisi simplex sacerdos, qui nulla potestate super peccata reservata pollebat. Statuit primum NABORIUS hunc adire et apud ipsum confiteri, celato tamen peccato reservato; sed, cum nullo alio peccato gravi inquinaretur, existimavit se ad id non teneri. Quapropter, praemisso contritionis actu, ad altare accessit, Sacrum facturus.

HINC:

QUAER. 1.° *An* NABORIUS *obligatus fuerit quamprimum confiteri, seu an graviter peccaverit confessarium exspectando, et confessionem ad octo dies differendo?*

2.° *An peccaverit nullum actum contritionis ante Sacrum eliciendo?*

3.° *An potuerit, in secundo casu, Missam absque confessione celebrare; vel, an confitendo potuisset peccatum reservatum omittere?*

SOLUTIO:

284.— *R. ad* 1m *Quaes. Nego,* saltem probabilius. Ratio est, quia NABORIUS non celebravit Missam, omissa confessione; reapse enim confessus est, et peccatum omissum fuit vere deletum, licet indirecte tantum, ideoque eum non gravat conscientia peccati mortalis. *S. Alph.*, n. 257, et alii praesertim recentiores, contra veteres non paucos. Ergo NABORIUS minime peccavit confessionem differendo, et interea celebrando. V. **Comp.,** nn. 430 et 432.

285.— *R. ad* 2m *Quaes.* Neque peccavit NABORIUS nullum contritionis actum celebrationi Missae praemittendo, quia non est conscius peccati mortalis, siquidem per confessionem iam probatus est. Peccatum enim ex oblivione omissum non gravat amplius conscientiam, cum *indirecte* iam remissum fuerat.

286.— *R. ad* 3m *Quaes.* NABORIUS potuit Missam absque praemissa confessione celebrare, actu perfectae contritionis emisso, si alia culpa letali careat. Ratio est, quia ad confessionem non tenetur neque ratione peccati Episcopo reservati, quod probabilius *directe* remitti nequit, neque ratione venialium, quae non sunt materia confessionis necessaria. *S. Alph.*, n. 265. Neque si voluit confiteri, debuit necessario peccatum reservatum aperire, saltem *probabiliter;* quia, ut iam dictum est, peccatum probabiliter *directe* remitti non potest, et insuper obligatio daretur bis idem peccatum confitendi, scilicet superiori et inferiori, quod communiter non admittitur. *S. Alph.*, n. 265, *et alii* contra *aliquos.*

Si vero illud peccatum fuisset *R. Pontifici* reservatum, debuisset omnino NABORIUS confessionem instituere illudque accusare, quia certum est illud in casu *directe* remitti cum onere intra mensem recurrendi ad Sedem Apostolicam. V. **Comp.,** nn. 676-680.

* CASUS XIV

DISPOSITIO ANIMAE 3.°

Parochus intricatissimus

FLORENTINUS, parochus, aetate gravis et apud omnes spectabilis, humanam expertus est fragilitatem. Etenim, cacodaemone impellente, in peccatum grave et probrosum secreto labitur. Mox pro ipso urget celebrandi necessitas, quam nullo praetextu declinare potest. Sed alio adhuc premitur infortunio: longe abest eius confessarius; solus praesens adstat FLAVIANUS, eius vicarius. Sed a pandenda huic conscientia quam maxime abhorret. Est enim FLAVIANUS iunior sacerdos, qui in summam admirationem veniet, si tam putidum peccatum a viro gravi et senescente patratum audiat. Quid exinde fiduciae et bonae existimationis in parochum, animo vicarii inhaerebit? Nonne famam sanctitatis et viri moribus gravis, qua paroeciae rector apud iuniorem sacerdotem gaudet, amissurus est? His secum perpensis, FLORENTINUS, licet aegerrime, praetermissa confessione, elicito tamen contritionis actu, ad altare accedit, Agnum immaculatum oblaturus.

HINC:

QUAER. 1.° *An* FLORENTINUS, *his positis, potuerit Missam celebrare absque praemissa confessione?*

2.° *Quid de rationibus ab ipso allatis?*

SOLUTIO:

287. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Quid dicam de te, o FLORENTINE, venerande quidem, sed infelix sacerdos? Qualem sententiam a me exspectas? an propter compassionem etiam plenam indulgentiam? Compassionem quidem lubenti animo tribuam, et ego ipse tecum flebo super lugendum casum tuum, et diras animi angustias, quibus adeo adactus et compressus fuisti. Verumtamen nullatenus tibi indulgere valeo. Aegre quidem, sed patefaciendae veritatis necessitate compulsus, te ingentis sacrilegii reum arguam. Etenim praecepto canonis 807 gravissimo ex humana verecundia posthabito, ad altare accedere, et conscientia polluta, Sacrum facere non dubitasti! *Sed,* ais, *contritionem perfectam de peccato elicere non praetermisi.* Inanis contritio! Minime valet haec conscientiae probatio, et invalidum atque mancum prorsus contritionis actum elicuisti. Nam ille qui perfecte dolet de peccatis, paratus est omnia praecepta in posterum servare; tu vero, eo ipso tempore quo contritionis actum elicere praesumebas, mandatum grave praetermittere statuebas, et legem Ecclesiae conculcabas! Nonne haec tua agendi ratio, irrisio et subsannatio, potius quam paenitentia dicen-

da est? Audi Paulum clamantem: *Nolite errare: Deus non irridetur.* Ad Gal., 6, 7.

288. — *R. ad* 2m *Quaes.* Allatae rationes minime satisfaciunt. Multos quidem praetextus, o FLORENTINE, cumulasti, et forte exaggerando agglomerasti in tuae causae patrocinium; sed *declinasti cor tuum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.* Ps. 140, 4. Etenim haec incommoda quae obiecisti sunt *ipsi confessioni intrinseca,* nec proinde a praecepto confessionis, celebrationi Missae praemittendae, te excusare possunt, sicut ab integritate confessionis te non excusarent. Si quidpiam valerent ea quae in tui gratiam proponis, iam plerumque actum esset de praecepto Ecclesiae, confitendi ante Missae celebrationem, immo etiam de mandato divino integritatis confessionis. Numquid Episcopus, vel alius Superior ecclesiasticus quilibet in peccatum grave lapsus, a confessione apud inferiorem facienda excusaretur? Sed, durum! ais. Verum, sed nonne durum *et amarum fuit reliquisse te Dominum Deum tuum?* Ier., 2, 19. Durum! Sed haec incommoda perpendere et ponderare debuisses, dum te alliciebat et propellebat tentatio! Eia ergo macte nunc animo, et coram vicario tuo, si alius sacerdos desit, et recurrat celebrandi necessitas, humiliter procumbe, et peccatum tuum humiliter confitere, declarando insuper sacrilegium a te patratum, dum, omissa confessione, Sacrum facere ausus fuisti; nec dubites quin, operante divina gratia, nedum animum iunioris sacerdotis a te avertas, contra, in te sis magis conciliaturus.

N. B. Berardi, Praxis confessar., vol. 3, n. 338; *Génicot,* Inst. mor., vol. 2, n. 193, et Casus, vol. 2, tr. 14, cap. 3, § 2, cas. 2; *Noldin,* De Sacram., n. 141, quibus praeivit *Gousset,* Theol. mor., vol. 2, n. 193, cum *aliis,* existimant excusare verecundiam extraordinariam et moraliter invincibilem, prout videtur adesse in hoc casu; quam ideo existimant non esse intrinsecam confessioni. Quare *Génicot* expresse excusat FLORENTINUM in casu simili ab obligatione confessionis apud vicarium cum tanta ac tam invincibili verecundia peragenda. **Comp.,** n. 429, 3.°

CASUS XV

SACRILEGA MULIER ANGORIBUS CONFECTA

VALERIANA mulier, peccato gravi in confessione celato, non veretur ad sacram synaxim cum aliis communicaturis accedere. Vix autem S. Eucharistiam suscepit, cum tanto sacrilegii horrore corripitur, ut sacram hostiam absumere non audens, eam in librum precatorium deponat; domum deinde repetit, anxietate oppressa, et Sacrum depositum in arca recondit. Sed ecce nescit misera quid sibi faciendum sit. Obdor-

mire, SS. Eucharistia praesente, timet; vigilare etiam reformidat; diu noctuque infelix, duris premitur angoribus. Saepius ecclesiam ingreditur ad rem parocho sub confessionis sigillo patefaciendam, sed toties pudore cohibita domum repetit. Tandem, re B. Mariae Virgini enixe commendata, timoreque inde facile superato, ad parochi pedes provolvitur, et conscientiam totam ei pandit. Iubet pastor hostiam a muliere sibi afferri, sed postea nescit quid de ea faciendum sit. Demum, re diu perpensa, statuit eam comburere, et cineres in piscinam proiicere.

HINC:

QUAER. 1.° *An* VALERIANA *sacrilegium minuerit, hostiam sacram non absumendo; vel quid ipsi fuisset faciendum?*

2.° *An recte parochus egerit iubendo hostiam a muliere sibi afferri; vel num potius ipse ad eius domum se conferre debuisset?*

3.° *An recte egerit circa sacram hostiam, vel quid facere debuisset?*

4.° *An facile fides adhibenda sit mulieribus in simili casu?*

SOLUTIO:

289. — *R. ad* 1m *Quaes.* VALERIANA *per se* sacrilegium non inminuit, immo adauxit; siquidem magis ac magis sacram hostiam profanavit eam adeo indigne tractando et asportando, ac domi servando. Debuisset infelix mulier, quando horrore sacrilegii correpta fuit, actum contritionis perfectae elicere ac sacram hostiam cum fiducia absumere. Dixi *per se,* quia potuit VALERIANA a sacrilegio excusari ratione bonae fidei, nempe, si de contritione non cogitavit, nec putavit sacrilegium et propriam infamiam alio modo vitari posse. Debuit tamen quam primum, si absque gravi incommodo potuit, sacram hostiam in ecclesiam referre.

R. ad 2m *Quaes.* Solutio a variis circumstantiis pendet. Si commode potuisset sacerdos in domum mulieris se transferre, id quidem agere debuisset, ne sacra hostia iterum a muliere deferretur. Secus vero, si domus mulieris valde distasset, nec facile potuisset adiri, vel si sacerdos admirationem vicinorum, aut obmurmurationem timuisset: v. gr. si visus esset insolite illuc introire, melius fecisset iubendo sacram hostiam ad se ab ipsa muliere deferri.

290. — *R. ad* 3m *Quaes.* Parochus male fecit hostiam comburendo, quia actus ille videtur omnino Eucharistiae iniuriosus; sed debuisset vel eam sumere in Missa sequenti ante ablutiones, vel eam asservare in tabernaculo, usquedum videretur corrupta, et tunc eam in piscinam proiicere.

291. — *R. ad* 4m *Quaes.* Res ex circumstantiis dirimenda est. Visae sunt aliquando mulieres hostias non consecratas sibi procurare et

simulare se eas post communionem reservasse. Si hostiam afferentes horrore sacrilegii corripi videantur, ut VALERIANA nostra, eis fides adhibenda est. Visae sunt etiam quandoque mulieres, impietate, vel daemonis possessione impulsae, animo sacrilegii patrandi ad communionem accedere et sacram hostiam asservare, horrendoque modo profanare. Quid vero, si sacerdos dubitet utrum hostia ad se allata sit vere consecrata necne? Eam reverenter colligere debet, et eam tractare proinde ac si consecrata esset; nunquam tamen cum aliis in ciborio est reponenda, sed seorsim *asservanda, donec corrumpatur,* et postea species reliquae in piscinam sunt proiiciendae.

CASUS XVI

IEIUNIUM REQUISITUM 1.°

ARETHUSA, pia mulier, die festo sollemnissimo erat communicatura cum filiis suis duobus, scilicet BENIAMINO puero annorum septem, qui pro prima vice ad sacram synaxim accessurus erat, et IULIO, octo annorum, qui iterum ad hanc sollemnitatem erat admittendus. Sed ecce! Mater os lavando guttulam unam aut alteram aquae involuntarie deglutiit, et paulo post, micam panis ex distractione, immemor communionis faciendae, in os immisit et edit. BENIAMINUS vero musculam, quae in os eius venerat, et folium arboris viride, quod ludendo carpserat, traiecit; IULIUS autem, e scala in terram decidens, os et nasum in petras allisit, ita ut guttulas sanguinis, tum e naribus, tum e gingivis diffluentes hauserit. Ad haec omnia attendens ARETHUSA, ocius a parocho postulat an ipsa cum filiis duobus ad sacram mensam accedere possit.

HINC:

QUAER. 1.° *In quo consistat ieiunium ad communionem requisitum?*

2.° *An* ARETHUSA *et eius filii communicare potuerint?*

SOLUTIO:

292. — *R. ad* 1m *Quaes.* Ieiunium ad communionem requisitum, consistit in totali abstinentia, *a media nocte,* a quolibet cibo et potu etiam minimo. Sic ex can. 808, ex variis Conciliis et universali Ecclesiae praxi. Ad ieiunium autem illud frangendum requiritur: 1.° ut quid sumatur *ab extrinseco,* non vero tantum ex aliqua parte oris ut esset sanguis ex gingivis fluens; 2.° ut sumatur *per modum comestionis* aut *potationis,* non vero tantum *per modum respirationis* vel *salivae;* 3.° ut res sumpta habeat *rationem cibi* aut *potus:* nemo enim dicitur manducare ferrum, vitrum, lignum. *S. Alph.,* n.280.

Manet ieiunus cathecumenus, sale in susceptione baptismi prae-

gustato; item *probabiliter,* tum ille, qui clysterio nutritur *(Capellmann,* Med. pastor., pag. 123; *Génicot,* 2, n. 200; *Berardi,* Praxis, vol. 3, n. 963), tum etiam probabiliter ille, qui ope alicuius canalis aquam sorbet ad *lavandum* sthomachum, iterumque reiicit *(Il Monitore,* vol. 9, part. 2, pag. 182 seq.; *Berardi,* l. c., n, 964; *Génicot,* 1, l. c.; *Noldin,* De Sacram., n. 149), nisi forte canalis oleo aut glycerina unctus exterius sit. V. **Comp.,** n. 434, observ. 1.°-3.°

Sed qui vespere decumbens electuaria *(pastillas)* sumeret, v. gr. ad medicinam, si totas non deglutierit ante mediam noctem, sed postea etiamsi liquefactas et salivae immixtas, violaret ieiunium. Cfr. *Génicot,* Casus, vol. 2, pag. 222, 3.° (ed. 1); *Noldin,* n. 150 *b.*

293. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° ARETHUSA ieiunium non violavit guttulam aquae unam vel alteram hauriendo involuntarie, quia id non fecit *per modum potus,* sed *per modum salivae.* Ieiunium autem fregit micam panis deglutiendo, quia, licet ex distractione egerit, aliquid tamen manducavit, idque per modum *comestionis* evenit, non vero per modum *respirationis* aut *salivae.* Proinde ARETHUSA communionem hac die omittere debet.

2.° BENIAMINUS immunis est a violato ieiunio *in primo casu,* si musculam involuntarie per respirationem hausit, ut fieri solet; non vero *in secundo casu,* quia voluit folium viride deglutire, licet distractus fecerit, et folium illud, utpote digestibile, rationem cibi habet. Ergo infelix BENIAMINUS a sacra synaxi removeri debet.

3.° IULIUS non fregit ieiunium hauriendo sanguinem e gingivis fluentem, quia sanguis ille *ab extrinseco* non provenit. Secus vero, deglutiendo sanguinem e naribus provenientem, licet id involuntarie seu inadvertenter fecerit, nisi forte fuerit tantum una vel altera guttula, salivae immixta et praeter intentionem hausta. Ratio est, quia sanguis ille habet tunc rationem potus et venit *ab extrinseco;* nam dici non potest quod deglutiatur *per modum respirationis* aut *salivae.* Sic etiam violat ieiunium qui sumit aquam licet involuntarie, v. gr. quia labitur in flumen, vel quia alius per vim illam in os eius infundit. *S. Alph.,* n. 279, *et alii communiter.*

* CASUS XVII

IEIUNIUM REQUISITUM 2.°

HUMBERTUS, DIONYSIUS et LEONARDUS, sacerdotes amici, ex itinere, hora noctis undecima cum dimidio, valde defatigati et incenati pridie cuiusdam festi, redierant. Impigri mensae accumbunt, ut breviter reficiantur. Sed inter confabulandum et edendum quam citissime tempus effluit, ita ut attoniti advertant, bibendo, iam advenisse mediam noctem. Assurgunt ocius. Sed *primus* dubitat an biberit post

mediam noctem; *secundus* recordatur se bibisse post primum pulsum horologii horae duodecimae; *tertius* iudicat se bibisse quidem post mediam noctem, sed sine populi offensione Sacrum die festo omittere non posse.

HINC:

QUAER. *An praefati sacerdotes Missam celebrare possint?*

SOLUTIO:

294. — *R. ad Quaes.* 1.° HUMBERTUS, qui dubitat an simpliciter cibum post mediam noctem sumpserit, non efformata conscientia per gravem rationem de ieiunio non violato, Missam celebrare nequit. Secus, si probabiliter saltem praesumere possit, ut facile fieri potest in nostro casu, se adhuc esse ieiunum. Ratio est, quia cum praeceptum servandi ieiunium, seu de cibo non sumendo ante communionem sit negativum, non teneris a communione abstinere quamdiu non es certus de ieiunio violato. *Lacroix,* nn. 575, 577, cum *aliis multis,* contra *alios non paucos.*

2.° DIONYSIUS, qui aliquid adhuc comedit, vel deglutit quod in ore habet, audito primo pulsu horologii mediam noctem signantis, celebrare nequit, utpote non ieiunus. Ratio est, quia pulsus ille *primus* indicat mediam noctem iam esse completam, siquidem horologium, nonnisi completa hora, pulsare incipit. *S. Alph.,* n. 282; *Gasparri,* De Euch., n. 421; *Reuter,* n. 175. V. **Comp.,** l. c., observ. 4.°

3.° LEONARDUS, qui Sacrum omittere non potest, nisi cum scandalo vel offensione populi, *probabiliter* celebrare potest, quia praestat vitare maius malum, seu populi scandalum; minus enim malum est celebrare Missam sine ieiunio, quam cum scandalo offendi totum populum, et tali die privari Missa. Ita graves theologi contra alios. V. *Lacroix,* n. 582. Cfr. infra, n. 300, in fine.

N. B. Quoad modum computandi mediam noctem prae oculis habeatur can. 33, § 1: «In supputandis horis diei standum est communi loci usui; sed in *privata* Missae celebratione, in *privata* horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium». Cfr. **Comp.,** nn. 435, 5.°, 437.

* CASUS XVIII

IEIUNIUM REQUISITUM 3.°

GERUNTIUS, bonus vir grandaeva aetate, necnon adversa valetudine non mediocriter molestatus ob stomachi debilitatem, nunquam potuit ecclesiam ieiunus adire quin in via deficeret. Quamobrem, cum

ad sacram synaxim ieiunus accedere non posset, solebat, die qua erat communicaturus, parum quid confortativum stomachi, per modum potus degustare, antequam iter susciperet. Scrupulo tamen aliquo quondam correptus, rem confessario aperit, quaerens utrum etiam in posterum id agere posset bis vel ter in anno? Confessarius respondet, eum posse id agere.

HINC:

QUAER. 1.° *An communio aliquando permitti possit non ieiunis extra mortis periculum?*

2.° *An* GERUNTIUS, *licet non ieiunus, communicare potuerit in primo casu? An recte a confessario fuerit responsum?*

SOLUTIO:

295. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Ex Codice enim: «Infirmi tamen qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint» (can. 858, § 2). Est veluti confirmatio facultatis a Pio X concessae 7 dec. 1906. Cfr. *Ferreres,* La Comunión frecuente, n. 211 seq. Hac facultate uti possunt praedicti infirmi, quamvis in lecto decumbere non possint, aut ex eo aliquibus horis diei surgere queant (S. C. C., 6 mart. 1907).

Concessio supponere videtur infirmum domi consistere. Quid vero si ecclesiam adire possit ad communicandum, quia morbus nullo modo prohibet egressum e domo? Probabilius requiritur in casu speciale indultum, sed non videtur omnino improbabile sufficere etiam in casu facultas Codicis, maxime si agatur de communione annua, aut de infirmo qui raro e domo egredi possit. Mens enim Sanctae Sedis ea esse videtur, ut nemo per longum tempus ob valetudinis defectum a communione impediatur. Cfr. *Ferreres,* La Comunión frecuente, n. 211 seq., 477 seq.; *Casanueva,* apud *Ilustración del Clero,* vol. 2, pag. 45; *Postius,* ibid., vol. 1, pag. 50; *L'Action eucharistique,* mai. 1912, pag. 289. Et quidem nullum dubium est quoad casum communionis annuae seu paschalis, quae non mero iure ecclesiastico, sed etiam divino praecipitur, quia divinum mandatum humano praestantius est. Ita iam ante decretum Pii X docebant *D'Annib.*, 3, n. 411; *Gasparri,* l. c., n. 1129; *Génicot,* 2, n. 202; *Many,* De Missa, n. 178; *Noldin,* De Sacram., n. 157; *Berardi,* l. c., n. 968, et alii.

Verba *per modum potus,* ita interpretatur S. Off., ut liceat sumere iusculum, cafaeum, aliosque cibos liquidos, quibus aliqua substantia mixta sit, v. gr. farina *(sémola)*, panis rasus *(pan rallado)*, etc., dummodo mixtio naturam cibi liquidi non amittat (4 iun. 1893, 7 sept. 1897). *Il Monitore,* vol. 10, part. 1, pag. 22, et part. 2, pag. 4; *Génicot,* l. c. Per *modum potus* non censentur sumi electuaria *(pas-*

tillas) nec ova, nisi hae substantiae aqua, vino, etc., diluantur. Videntur tamen sumi posse, si sint medicinae. **Comp.,** n. 348.

296. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° GERUNTIUS minime probandus est, quippe qui in re tanti momenti proprio sensu, inconsulto quidem confessario, egerit. Sola simplicitate et bona fide excusari potest.

2.° Confessarius probabilius non recte egit, boni senis agendi rationem tam facile modo generali probando. Consultius eum remisisset ad R. Pontificem pro dispensatione obtinenda. Absolute tamen eum damnare non audemus.

* CASUS XIX

IEIUNIUM REQUISITUM 4.°

IUSTINA, pia mulier, quae singulis fere diebus sacra synaxi refici solebat, morbo diuturno licet non periculoso corripitur, ita ut nunquam omnino ieiuna, neque per quartam horae partem remanere possit. Idcirco exorat supplex parochum ut sibi non ieiunae aliquoties in anno, sacram Eucharistiam deferre dignetur.

HINC:

QUAER. *An parochus potuisset Eucharistiam* IUSTINAE *non ieiunae aliquoties ministrare?*

SOLUTIO:

297. — *R. ad Quaes. Affirmative,* bis in hebdomada. Si in domo IUSTINAE sit oratorium, et cubiculum infirmae ita prope est ut sacerdos celebrans videri possit, intra Missam communio infirmae praeberi poterit; secus, iuxta can. 866, post Missam (S. R. C. 19 dec. 1829, 24 mart. 1860, 7 febr. 1874: *D. auth.,* nn. 2672, 3099, 3322). Cfr. tamen *Ferreres,* l. c., n. 208; *Mach-Ferreres,* Tesoro del sacerdote, vol. 2, n. 247, ed. 15.ª

* CASUS XIX *bis*

IEIUNIUM REQUISITUM 5.°

BERTHA bis in hebdomada refici solet sacra Eucharistia, sumpto antea aliquo per modum potus, iuxta indultum sibi a Sede Apostolica concessum ratione infirmitatis, quae etsi BERTHAM permittat e domo egredi, non nisi cum gravi molestia ieiunium naturale servare sinit. Verum, cum ardenter communicare BERTHA desideret, etiam aliis duobus diebus in hebdomada communicat ieiuna, etsi gravem molestiam experiatur.

TITIUS, sacerdos, nullo modo ieiunium naturale servare potest, etsi quotidie e lectulo surgat et per domum incedat pluribus horis. Commu-

nicat non ieiunus bis in hebdomada, et amicus sacerdos illic bis aut ter in hebdomada celebrat. Verum, cum pius aeque ac pauper sit, vellet etiam Sacrum facere.

HINC:

QUAER. 1.° *An* BERTHA *recte se gerat?*
2.° *An amicus* TITII *potuerit in domo privata celebrare sine indulto oratorii domestici?*
3.° *An* TITIUS *posset saltem bis in hebdomada celebrare non ieiunus?*

SOLUTIO:

298. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirmative.* Indultum enim non prohibet quominus utatur BERTHA iure communi, ideoque possit et aliis diebus ieiuna communicare. Idem tene de eo qui iuxta decretum 7 dec. 1906, bis in hebdomada aut in mense communicare potest non ieiunus.

298 *a.* — *R. ad* 2m *Quaes. Affirmative* probabiliter, de licentia Episcopi, qui eam concedere potest ex iustis et rationabilibus causis in aliquo extraordinario casu per modum actus ut celebretur privatis in domibus, non tamen in cubiculo, sed in loco decenti, servatis aliis de iure servandis. Haec licentia ab Episcopo concedi debet gratis omnino quocumque titulo. S. C. de Sacr., 23 dec. 1912 *(Acta,* IV, pag. 725) et interpretando est restrictive (Comm. Cod. 16 oct. 1919: *Acta,* XI, pag. 478). Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 36, pag. 241 seq.; **Comp.,** n. 492.

298 *b.* — *R. ad* 3m *Quaes. Negative,* sive ex iure communi, can. 858, § 2, sive ex decreto 7 dec. 1906, quae loquuntur de communione, non vero de Missa celebranda. Neque solet concedi indultum ad hoc nisi Episcopis ad celebrandum pontificaliter. Sacerdotibus concedi solet in casu, ut paulo post mediam noctem Sacrum ieiuni faciant. Cfr. Card. *Gennari,* Quistioni Teologico-Morali, n. 255. Nihilominus recurrat TITIUS ad Sanctam Sedem, quae forte ad spirituale solatium ipsius TITII, et ne afflicto infirmo nova paupertatis afflictio addatur, ei indultum benigne concedat. Cfr. *Ferreres,* La Comunión, n. 485 seq.

CASUS XX

ANGORES NEOSACERDOTIS

Prima vice celebraturi

NICASIUS, recens inauguratus sacerdos, a pluribus diebus privatim in experimento Sacri faciendo se maxima cura exercuerat, ex intentione ut primitias non solum perfectius, sed etiam maiori devotione publice Deo posset offerre. Id ipsum etiam fecit mane illius diei quo

primam hostiam erat sollemniter oblaturus. Sed ecce! dum totus attendit ad ritum recte perficiendum, immemor instantis sollemnitatis, pro more superiorum dierum hostiam non consecratam sumpsit. Infelix ad infaustum errorem advertit, dum pulsantur campanae, indices sollemnis Sacri a neomysta decantandi. Quid faciet miser? Iam cernit pios fidelis turmatim confluere; iam coadunata undique ingens et perhonesta cognatio gestiens circumstat, ipse gratulatura; iam lautum convivium domi fuit instauratum ad consanguineos et amicos festive excipiendos. Angoribus correptus et confectus, NICASIUS ad patrem capuccinum confugit, et ab eo petit quid in tam infaustis rerum adiunctis sibi agendum sit? Suadet reverendus pater ut, re tacita, Missam nihilominus celebret.

HINC:

QUAER. 1.° *An* NICASIUS *non ieiunus celebrare potuerit?*
2.° *An celebrare posset quilibet alius, sumpto, ex inadvertentia, aliquo cibo vel potu, ut populus Missam audiat et praecepto satisfaciat?*
3.° *Quid, si sacerdos, incepta Missa, recordetur se non esse ieiunum?*

SOLUTIO:

299. — *R. ad* 1m *Quaes.* Infelici NICASIO procul dubio misericordia tribuenda est. Aspectis enim circumstantiis, extremisque rerum angustiis quibus pressus fuit, moraliter a Sacro faciendo abstinere non poterat. Et sane, tanto populo exspectanti res absque magno incommodo explicari nequibat; quanti enim fuissent multitudinis clamores, quot iudicia temeraria! quot obmurmurationes atque scandala! qualis cognatorum dolor et confusio, neosacerdotis contemptus, omniumque contristatio!!!... Error ex una parte erat occultus, et ex altera circumstantiae omnes, simul sumptae, tantum involvebant incommodum, ut rationabiliter praesumi posset legem Ecclesiae ad talem casum non extendi.

Secus vero dicendum foret, si ille neosacerdos fuisset homo obscurus, vel alienigena; aut si non ipse solus, sed alii plures fuissent pro prima vice celebraturi; tunc enim Sacrum ad aliam diem remittere debuisset. V. *Gobat,* De Missa, n. 409.

300. — *R. ad* 2m *Quaes.* De hoc non conveniunt omnes theologi. Attamen sola ratio curandi ut populus Missam audiat, non sufficit, iuxta communem sententiam, ad celebrandum ieiunio violato; quia praestat ut populus Missa privetur, quam ut sacerdos celebret non ieiunus.

Sed facile accedit alia ratio gravis, scilicet, *scandali,* obmurmurationis, offensionis populi; haec autem, si facile impediri non possent, v. gr. monendo populum quod ex aliquo casu sacerdos non sit

amplius ieiunus, licita esset Missae celebratio, iuxta multos, ut dictum est supra, n. 294, 3.°

Nunquam tamen licet ratione scandali vel admirationis celebrare secundam Missam post primam, non ieiuno. S. Off., 2 dec. 1874 *(Coll. P. F.,* n. 1425, ed. 2.ª). Ratio videtur esse, quia tunc facile scandalum caveri potest.

301. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Si sacerdos recordatur post consecrationem se non esse ieiunum, non tenetur neque potest Missam deserere, quia praeceptum divinum perficiendi sacrificium praeponderat praecepto ecclesiastico communicandi ieiunio servato.

2.° Si vero recordetur de ieiunio violato ante consecrationem et praesertim ante canonem, a Missa desistere debet, si, *periculo infamiae secluso,* id facere possit. Verum *vix* sacerdos *unquam a Missa inchoata desistere potest* quin scandali periculum incurrat, ut ait *S. Alph.,* n. 288.

CASUS XXI

SACRUM VIATICUM 1.°

LUCANUS, parochus, audiens ROMARINUM, nobilem virum, in gravem incidisse morbum, ad ipsum advolat. Arcetur primum ab aegroti familia. Urgenti vero patet aditus, ea lege ut nec de morte, nec de sacramento mentio fiat, ne contristetur aeger. Quo non obstante, parochus studuit infirmum disponere, et tam felici exitu, ut statim ipsius confessionem exceperit. At vero, cum ulterius de sumendo sacro Viatico egisset, infirmum et eius uxorem graviter offendit; propterea, velut invisus hospes, domum deserere iussus est. Quapropter evenit ut ROMARINUS, eadem nocte, sine Viatico decederet.

Alias LUCANUS, de invisendo aegroto admonitus media nocte, putat satis esse si ipsum videat summo mane; sed non advenit, nisi ad excipiendum ultimum moribundi flatum.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit obligatio ministrandi et accipiendi Viaticum?*

2.° *An parochus teneatur Viaticum ministrare cum incommodo etiam gravissimo?*

3.° *An* ROMARINUS *et eius uxor peccati gravis rei evaserint?*

4.° *Quid si medici non iudicassent periculum mortis adeo propinquum?*

5.° *An* LUCANUS, *parochus, graviter peccaverit in secundo casu?*

SOLUTIO:

302.—*R. ad* 1m *Quaes.* Utraque obligatio est gravis *per se,* iuxta omnes. Etenim: 1.° Pastor animarum tenetur Eucharistiam subditis ministrare, ratione officii, in vita, quoties rationabiliter eam petunt, et a fortiori in mortis periculo, quia ad ipsum pertinet iis praebere ea quae sunt ad salutem *necessaria,* vel etiam *valde utilia.* 2.° Fideles ex praecepto Christi et Ecclesiae communicare debent saepius in vita; tanto magis autem hoc mandato urgentur in mortis periculo, ut contra hostes spirituales hoc divino praesidio muniantur. V. **Comp.,** nn. 388 seq., et 420.

303. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg., probabilius,* quia sacramentum illud non est tantae necessitatis, ut a porocho cum gravissimo incommodo administrari debeat. *S. Alph.,* n. 233.—V. **Comp.,** nn. 389 et 281.

304. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm. per se,* quia legem divinam gravissimam posthabent. Attamen in praxi solutio a variis circumstantiis pendet. Etenim, si praeviso periculo mortis propinquo obstitissent, nullum dubium est quin graviter deliquerint. Secus, si mortis periculum omnino remotum visum fuerit. Maxime autem dolendum est ex eo quod innumeri reperiantur catholici qui, diabolica fraude impulsi, nihil de sacramentis recipiendis audire volunt sub praetextu quod res non urgeat. Immo quot sunt cognati, vel familiares et amici, qui de confessione quidem quaestionem coram aegrotis movere formidant, ne forte eos contristent! Quare fit non raro, ut, neglectis sacramentis, illi e vita emigrent cum maximo salutis periculo! Nihil intentatum relinquere debent sacerdotes, Sacramentorum dispensatores, ut huiusmodi vecordiam excutiant, et vanos timores dissipent.

305. — *R. ad* 4m *Quaes.* Ex hac suppositione non tenebatur ROMARINUS ad Viaticum tunc suscipiendum, et propterea potuit parochus dissimulare admonitionem de illo sumendo, si praevidit se, eum admonendo, nil esse profuturum et offensam aegroti incursurum. *Cavendum* nihilominus est parochis, medicis, et cognatis aut familiaribus, *ne vano timore* et *respectu humano* ducti rem *dissimulent,* cum salutis aeternae aegrotorum detrimento. *Elbel,* n. 116.

R. ad 5m *Quaes. Per se* graviter peccavit in secundo casu parochus, *saltem si noverit aegrotum in urgenti periculo versari.* Secus, si ex auditis putaverit periculum nullum esse in mora. Sed bonus animarum pastor, statim ac admonetur, in ovicularum Christi auxilium advolare debet.

CASUS XXII

SACRUM VIATICUM 2.°

LAMBERTUS, parochus, cum, in dubio utrum aegroti vero mortis periculo laborarent, sacri Viatici administrationem distulisset, et horum plures, eo non recepto, infeliciter e vita decesserint, in posterum

omnes vita dubie periclitantes sanctissimo Viatico reficit et sancto inungit oleo, praesertim si longe ab ecclesia paroeciali distent. Sed inde saepius evenit ut ii, qui moribundorum sacramentis sunt muniti, adeo levi infirmitate detineantur, ut die sequenti vagantes per vias et agros cernantur. Hinc perplexus LAMBERTUS nescit quid sibi sit agendum.

HINC:

QUAER. 1.° *An Viaticum dari possit in dubio de mortis periculo?*

2.° *Quid de ratione agendi* LAMBERTI *in casu?*

SOLUTIO:

306. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.,* si dubium sit *prudens* seu fundatum. Ratio est, quia saepe constare nequit an morbus sit vere letalis necne; et tunc Ecclesia, pia mater, recte praesumitur velle in tali dubio aegrotanti favere, praesertim cum experientia quotidiana constet multos aegrotos, praeter omnium exspectationem, absque Viatico decedere. Hoc imprimis valet quando aeger longe ab ecclesia distat, quia tunc exponitur maiori periculo moriendi quin sacramentis consuetis reficiatur. V. **Comp.,** nn. 439 et 845. *S. Alph.,* Hom. apost., n. 46.

R. ad 2m *Quaes.* LAMBERTUS *per se,* sane laudandus est; attamen eius zelus aliquantisper est temperandum. Primum severior visus fuerat, ratione Viatici infirmis dubie periclitantibus administrandi; postea vero facilior apparuit, nec satis attendit utrum saltem dubium vere prudens esset. Accedit enim ex hoc, quod infirmi ab ipso ultimis sacramentis muniti non raro die sequenti per vias vagari cernerentur. Evenire quidem potest aliquando ut ii, qui graviter decumbere videbantur, paulo post e lecto surgant et sani appareant. Verum, si casus frequenter recurrat, indicium erit eos facilius iudicatos fuisse velut in periculo mortis versantes. *S. Alph.,* ibid.

CASUS XXIII

SACRUM VIATICUM 3.°

EUGENIUS, neosacerdos, ad sequentes moribundos advocatur, ut Ecclesiae sacramentis eos muniat, scilicet: 1.° ad virum frequenter sputantem, tussientem et interdum vomitum patientem; 2.° ad mulierem delirantem, saltem ex magna parte pene sensibus orbatam, sed quae Viaticum petierat; 3.° ad iuvenem morti proximum, plane quidem sui compotem, sed qui forte sacram Eucharistiam deglutire non valebat; 4.° ad aegrotum, qui, cum nihil deglutire valeret, per fistulam oesophago aut ventri insertam nutriebatur. Dubitat autem EUGENIUS an istis sacrum Viaticum ministrare debeat.

HINC:

QUAER. *An* EUGENIUS *potuerit, vel debuerit Viaticum ministrare moribundis in casu relatis?*

SOLUTIO:

307. — *R. ad Quaes.* 1.° EUGENIUS dare potuit Viaticum aegroto tussienti et sputanti, quia non est periculum proximum reiiciendi sacras species; siquidem phlegma quod eiicitur, e pectore venit; non vero e stomacho, a quo sacrae species receptae sunt. Imprudenter autem Viaticum ministravit aegroto vomitum patienti, si vomitus sit frequens. *S. Alph.,* nn. 283, 292.

2.° Potuit et debuit Viaticum ministrare mulieri deliranti quae illud primo postulaverat, si placida et quieta in delirio fuerit, ita ut periculum irreverentiae erga SS. Eucharistiam abfuerit. *S. Alph.,* n. 292.

3.° Non debuit sacrum Viaticum ministrare in dubio utrum aeger hostiam sacram deglutire posset; sed in hoc casu experiri debuisset antea, utrum eam deglutire valeret, v. gr. hostiam non consecratam, vel alium cibum aeque levem ei primum porrigendo. *S. Alph.,* ibid.— Licet etiam in eo casu ori aegrotantis simul cum hostia paululum aquae aut vini infundere, ut particulum consecratam facilius deglutiat. Immo id aliquando permittitur etiamsi aeger, non periculose decumbens, aliter communicare non posset; quia liquidum, simul cum sacra hostia haustum, ieiunium naturale non violat. *De Herdt, Craisson,* etc.

4.° Probabiliter etiam potuit Viaticum per huiusmodi fistulam praebere. Ratio, quia probabiliter fructus sacramenti obtinetur *(Lugo,* De Euch., d. 1, nn. 114 et 115), et non videtur adesse maior irreverentia in modo ministrandi, quam habetur dum medio cochleari praebetur infirmo SS. Sacramentum. *Lehmk.,* n. 143, nota 1; *Génicot,* n. 204, IX; *Berardi,* Praxis, vol. 3, n. 951. — **Comp.,** n. 427.

CASUS XXIV

SACRUM VIATICUM 4.°

1.° AGOBARDUS, cum in caupona cum aliis bibendo ad plenam ebrietatem pervenisset, domum redux per scalas decidendo, caput gravissime allisit, ita ut iam ad portas mortis appropinquare videretur. Extemplo GERMANUS parochus advocatur, et rogatur ut moribundo sacramenta Ecclesiae velit administrare. Parochus, sciens quid factum esset, haeret anceps, dubitans an moribundum hunc absolvere et sacro Viatico reficere queat.

2.° CYRINUS, moribundus, nullum signum doloris de peccatis exhibet. Loquitur quidem, sed tantum de doloribus suis, de quibus identidem questus ingeminat. Intuetur quidem crucifixum, sed monitus de confessione paucis verbis aut signis facienda, vel ut saltem pectus

percutiat, nihil prorsus facit, et ita se gerit quasi nihil horum intelligat, perseverando in dolorum suorum deploratione.

HINC:

QUAER. 1.° *An* AGOBARDUS *potuerit absolvi et SS. Eucharistia refici?*

2.° *An* CYRINUS *sit sacro Viatico muniendus?*

SOLUTIO:

308. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Iuxta multos, huiusmodi ebrius non potest *absolvi*. Ratio eorum est, quia ad validam absolutionem ex parte paenitentis essentialiter praesupponitur aliquis actus humanus, scilicet confessio dolorosa: atqui in statu plenae ebrietatis non fuit capax alicuius actus humani; neque praesumi potest quod ante ebrietatem sese disposuerit ad confessionem; ergo in hoc statu non est capax absolutionis. Sic *Elbel,* n. 120.

Attamen *videtur* eum *sub conditione absolvendum* esse. Nam per vehementem humorum commotionem, dum e scala decidit, potuit forte ebrietas propelli. Insuper, licet nunc sensibus externis destitutus sit, fieri potest ut usu rationis potiatur, atque conteratur, velitque confiteri ac reapse per suspiria confiteri conetur. Etenim, licet hoc praesumendum non sit, absolute tamen fieri potest, et in extrema necessitate sacramenta necessaria, etiam cum tenuissima probabilitate, ministrari possunt, verum sub conditione. *S. Alph.,* n. 483.—V. **Comp.,** nn. 607, 609.

2.° Ille ebrius potuit recipere *extremam unctionem;* quia hoc sacramentum non requirit actum humanum, sed tantum intentionem habitualem ex parte subiecti. Praeterea forte ebrietas non fuit ei voluntaria aut non graviter culpabilis. *Elbel,* ibid.

3.° *Non* videtur autem posse sacra *Eucharistia* refici, quia hoc sacramentum non est tantae necessitatis, et exponeretur irreverentiae periculo; et insuper scandalum et fidelium offensio facile inde sequi posset. Ita videtur tenendum contra *Elbel,* ibid., qui dicit Eucharistiam tali ebrio posse et debere ministrari.

309. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Si CYRINUS ratione uti videatur, non potest Viatico refici, quia pro impaenitente habendus est, et proinde sacramenti indignus.

2.° Si videatur ratione destitutus, est Viatico et extrema unctione muniendus, quia illa sacramenta suscipi possunt cum intentione mere habituali. Praeterea, forte ille aeger non versatur in statu peccati mortalis, vel forte est attritus, vel contritus.

3.° Si dubites de usu rationis, idem faciendum est. Ratio est, quia in dubio potius homini quam sacramento favere oportet. *Gobat,* n. 427.

CASUS XXV

SACRUM VIATICUM 5.°

GERMANA, pia mulier, mane optime valens, ex devotione in Beatam Virginem cuius festum celebratur, ad sacram synaxim accessit. Sub vesperum autem, tanta morbi acerbitate correpta est, ut medici iudicio iam iam moritura existimaretur. Petit tunc ipsa instantissime ut Viaticum sibi detur. Admonitus parochus, eius votis satisfacere satagit. Attamen sequenti nocte paululum convaluit, ita ut adhuc ad mensem in perpetuo mortis discrimine vitam protraxerit. Interea vero iterum iterumque, etiam pluries in hebdomada, sacrum Viaticum exoptavit, et toties quoties optimus parochus ipsi morem gerere festinavit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* GERMANA *potuerit et debuerit, eadem die qua SS. Eucharistiam acceperat, sacro Viatico muniri?*

2.° *Quid, si die praecedenti tantum, aut paucis ante diebus, ex devotione communicasset?*

3.° *An Viaticum postea iterum non ieiuna licite potuerit recipere?*

4.° *An etiam singulis hebdomadis, aut pluries in hebdomada sacro Viatico refici potuerit, aut quodnam intervallum requiratur?*

SOLUTIO:

310. — *R. ad* 1m *Quaes. Potuit, sed non tenebatur,* ut apparet ex can. 864, § 2: «Etiamsi (fideles) eadem die sacra communione fuerint refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti denuo communicent». Ante Codicem triplex erat sententia probabilis. Cfr. *S. Alph.,* n. 285. V. **Comp.,** n. 421.

311. — *R. ad* 2m *Quaes. Probabilius* GERMANA tenetur ad Viaticum, licet paucis ante diebus, vel etiam pridie morbi ex devotione communicaverit, quia praeceptum communicandi urget in periculo mortis; ergo non impletur per communionem ante morbum factam. Huic sententiae favet omnino Codex: «In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur» (can. 864, § 1). Attamen plures cum *Lugo negant,* quia praeceptum videtur iam impletum. Hoc dicit sat probabile *S. Alph.,* n. 285.

R. ad 3m *Quaes. Affirm.* Ita ex Codice: «Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet» (can. 864, § 3). Ratio est, quia hoc sacramentum aegroto datur in praesidium contra

tentationes quae tempore mortis magis urgent, perdurant, vel recurrunt. Ergo etiam licet ad praesidium pluries recurrere. *S. Alph.*, n. 285. **V. Comp.**, nn. 405 et 439.

312. — *R. ad* 4m *Quaes.* Per se cotidie concedi potest, et laudandus esset parochus qui id praestaret. Non tamen videtur obligandus nisi semel in hebdomada, perdurante, ut supponitur, periculo mortis. — Facilius id concedi potest in communitatibus religiosis in quibus sacra Eucharistia asservatur; et in domibus ubi oratorium habetur.

* CASUS XXVI

COMMUNIO FREQUENS

HOMOBONUS, parochus, a ianseniana peste abhorrens, compellit paenitentes ad frequentem communionem iuxta verba evangelica: *Compelle intrare.* Hinc communionem pluries in hebdomada paenitentibus, etiam ex fragilitate recidivis, et cotidianam quidem devotulis facile permittit.

SEVERINUS autem, vicarius, non permittit communionem coniugibus, aut personis negotiis saecularibus addictis, nisi semel in mense, devotioribus vero vix bis aut ter in mense, aut ad summum diebus dominicis, modo nunquam labantur nec in mortale peccatum, nec in veniale deliberatum, et meditationi cotidianae per semihoram saltem vacent. Si autem animadvertat devotulas conqueri de subtractis communionibus, aut aegre ferre quod rarius communicent quam aliae, aut detractionibus aut oblocutionibus aliquatenus indulgere, eas mirum in modum carpit, et a se dimittit, aut saltem frequentiam communionum adhuc minuit. Sed nonnullae obmurmurando reponunt: sacerdotes cotidie celebrare, licet non pauci ex ipsis non videantur laicis sanctiores.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid sit communio frequens proprie dicta?*
2.° *Quibusdam concedenda sit?*
3.° *An habitus venialium, aut affectus ad ipsa, ei obstet?*
4.° *Quid de* HOMOBONO *et de* SEVERINO *dicendum?*
5.° *An et quatenus consilium confessarii requiratur ad frequentem aut etiam cotidianam communionem?*

SOLUTIO:

313. — *R. ad* 1m *Quaes.* Communio frequens dicitur ita *strictiori ensu,* ea quae, praeter dies dominicas, fit decurrente hebdomada, tiam sine praevia confessione. *Scavini,* De Euch., c. 5, a. 2, ubi citat

S. Alph., in opusc.: Risposta apologetica sulla materia della communione frequente.

R. ad 2m *Quaes.* «Communio frequens et cotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad sacram mensam accedat, prohiberi ab ea possit.»

«Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.» Pius X, per decret. *Sacra Tridentina Synodus*. S. C. C., 20 dec. 1905, a. 1 et 2. Cfr. *Ferreres,* La Comunión frecuente, ubi hoc decretum amplio commentario donatur.

314. — *R. ad* 3m *Quaes. Negative.* Etenim «Etsi quam maxime expediat ut frequenti et cotidiana communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito, fieri non potest quin cotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant.» Decr. cit., a. 3.

«Cum vero Sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula ad sacram communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.» Decr. cit., a. 4.

315. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° HOMOBONUS laudandus videtur, quia ad normam decreti praedicti paenitentes dirigit. In ipso enim legimus in a. 6: «Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu cotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus *effusius* instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco parochi, confessarii et contionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam (part. 2, c. 4, n. 60), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.»

Cohaeret Codex: «Excitentur fideles ut frequenter, etiam cotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas; utque Missae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent» (can. 863). V. **Comp.**, n. 443.

2.° At SEVERINUS omnino culpandus ob nimiam severitatem. Attendat igitur ad Codicem et ad decretum *Sacra Tridentina Synodus*.

316. — *R. ad* 5m *Quaes.* «Ut frequens et cotidiana communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut confessa-

rii consilium intercedat. Caveant tamen confessarii ne a frequenti seu cotidiana communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.» S. C. C., decr. cit., a. 5. V. **Comp.,** n. 442 seq.; *Ferreres,* l. c. nn. 193, 226.

* CASUS XXVII

COMMUNIO IN INSTITUTIS MONIALIUM, VEL ETIAM VIRORUM OMNINO LAICORUM

BERTHA, monialium Superiorissa, reprehendit MONICAM, eo quod accesserit ad communionem extraordinariam, absque ipsius Superiorissae licentia. Cum vero MONICA exponeret sibi a confessario factam esse potestatem, respondet BERTHA hoc non sufficere, sed requiri ulterius confirmationem facultatis a Superiorissa obtinendam, ut ita omnia ordinate procedant.

Alias NORBERTUS, confessarius extraordinarius, per generalem facultatem ipsi MONICAE concessit frequentiorem ad sacram Synaxim accessum; sed BERTHA, edocta a MONICA de hac facultate, prohibuit quominus talis licentia exsecutioni mandetur, nisi de consensu et approbatione SEVERINI, confessarii ordinarii. Hic vero talem facultatem improbavit, cum firmiter statutum habeat, nulli monialium plures communiones per licentiam generalem concedere praeter eas, quae in propriis regulis statutae sunt. Quare MONICA angitur, cum nesciat cui confessariorum obtemperare debeat.

HINC:

QUAER. 1.° *Ad quem spectat permittere, vel prohibere, sacram communionem in institutis quibusvis religiosis?*

2.° *An et quomodo confessarius numerum communionum in regulis vel constitutionibus statutum augere, vel etiam restringere, possit?*

3.° *Quid vero, si constitutiones ab Apostolica Sede fuerunt approbatae?*

4.° *An et quomodo paenitens licentia a confessario extraordinario sibi concessa uti possit?*

5.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

316 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Iuxta Codicem: «Superiores suos subditos promoveant frequentem, etiam cotidianam, sanctissimi Corporis Christi receptionem; frequens autem, immo etiam cotidianus accessus ad sanctissimam Eucharistiam religiosis rite dispositis libere pateat. — Si autem post ultimam sacramentalem confessionem religio-

sus communitati gravi scandalo fuerit aut gravem et externam culpam patraverit, donec ad paenitentiae sacramentum denuo accesserit, Superior potest eum, ne ad sacram communionem accedat, prohibere» (can. 596, §§ 2 et 3).

2.° Iam antea in decreto *Quemadmodum,* Sanctitas Sua decrevit: *a*) «huiusmodi permissiones vel prohibitiones *dumtaxat ad confessarium ordinarium* vel *extraordinarium* spectare, *quin b) Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi*» (nec per praecepta nec per consilia vel monitiones).

316 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes.:* Confessarius in concedenda licentia vel dando consilio se gerere debet iuxta dicta supra, n. 315.

Haec *licentia,* post decretum *Sacra Tridentina Synodus,* nihil aliud est nisi *merum consilium,* cuius petitionis omissio imperfectionem quidem non autem culpam, nec levem, importat. *Ferreres,* l. c., nn. 193, 226. Ratio est, quia communio frequens et cotidiana his qui in statu gratiae reperiantur, non solum permissa sed etiam commendata est a Pio X et a Codice canonico.

316 *c.* — *R. ad* 3m *Quaes.* In huiusmodi institutis sciendum est «abrogatas censendas esse constitutiones (quamvis ab Apostolica Sede approbatae fuerint), quibus vetatur, ne moniales sive religiosi sacram Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies». S. C. Ep. et Reg., 17 aug. 1891 *(Il Monitore,* vol. 7, p. 2, pag. 77). Cfr. *Il Monitore,* vol. 10, p. 2, pag. 151-164, 175-186; item *Vermeersch,* De relig. inst., n. 465; Monumenta periodica, 2, pag. 86.

Praeterea ex art. 8.° decreti *Sacra Tridentina Synodus:* «Si quae sint Instituta, sive votorum sollemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae*, non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro religiosorum pietate. Idcirco *frequentior vel cotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit,* iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi». Haec omnia confirmantur ex can. 595, § 4. Cfr. *Ferreres,* La Comunión frecuente, n. 215 seq. V. **Comp.,** n. 446.

316 *d.* — *R. ad* 4m *Quaes.* Paenitens uti poterit consilio sibi dato a confessario *extraordinario* ad communicandum frequentius quam ipsi ab ordinario permittebatur, quin hunc debeat de tali consilio certiorem facere, nisi forte circa illud fuerit ab ipso interrogatus. Quod si ordinarius, ab extraordinario hac in re dissideat, probabiliter relinquitur paenitenti optio inter utrumque, si utrique plene conscientiam aperuerit. Generatim tamen videtur potius standum iudicio ordi-

narii. Cfr. *Génicot,* 2, n. 197, IV, nota; *Wermeersch,* De relig. inst., n. 465; *Ferreres,* Las Religiosas, coment. I, n. 142, edit. 4.ª

316 *e.* — *R. ad* 5m *Quaes.* MONICA recte se gessit dum extraordinariam communionem de consilio confessarii suscepit, non certiorata Superiorissa. Item dum uti voluit facultate generali frequentioris communionis sibi facta a confessario extraordinario, non monito confessario ordinario, cui sponte nihil hac de re dicere debet; neque exspectata confirmatione Superiorissae.

BERTHA in omnibus erravit, sive dum exigit certiorem fieri de communione extraordinaria, sive cum dicit facultatem a confessario concessam (quamvis de facultate generali agatur) a Superiorissa esse *confirmandam;* sive dum postulat approbationem confessarii ordinarii, ut licentia a confessario extraordinario obtenta exsecutioni mandetur.

SEVERUS imprudentissime agit, et expresse contra articulos 5.°-8.° decreti *Sancta Tridentina Synodus,* necnom contra can. 595, si firmiter statutum habet non plures concedere communiones quam quae in regulis statutae sint. Nec minus improbandum videtur quod et ipse et BERTHA, coadunatis viribus, conspirare videntur ut subditis non relinquant illam libertatem, cui romanus Pontifex prospicere optat per confessarios extraordinarios.

In casu, MONICA stare potest consilio confessarii extraordinarii, cum ordinarius principiis prorsus irrationabilibus regatur.

CASUS

DE SACRIFICIO MISSAE

SEU

De obligatione celebrandi et Sacrum perficiendi; de applicatione Missae; de applicatione pro populo, et ratione stipendii; de modo celebrandi; de ritibus Missae.

CASUS I

OBLIGATIO CELEBRANDI

1.° HUMBERTUS, ex officio rebus quibusdam temporalibus gerendis implicatus, utpote alicuius comitis mandatarius, per annum integrum a Missae celebratione abstinuit. Ad paroeciam autem administrandam, intercedente patrono, nominatus, celebrat tantum diebus festis, et quoties, oblato a fidelibus stipendio, ad Sacrum faciendum inducitur.

2.° COLUMBANUS, a paucis annis ad sacerdotium promotus, usu deprehendit se imparem esse tum ad curam animarum, tum ad contiones e sacro pulpito habendas. Itaque volens e statu adeo intricato se eripere, et vitam perfectiorem amplecti, exuto clericali habitu, in longinquam regionem confugit et in Ordinem religiosum admitti petit, ut totam vitam inter laicos fratres agat. Nec prodit se esse sacerdotem, ut voti compos fiat. Adeoque proponit nunquam in posterum Sacrum celebrare, et tuetur se exemplo aliquorum Sanctorum, qui, licet sacerdotes, nunquam tamen aut fere nunquam Sacrum fecerunt.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quaenam sit pro sacerdote obligatio celebrandi?*

2.° *An vel quomodo peccaverit* HUMBERTUS, *tum celebrare omittendo, tum, accepto tantum stipendio, Sacrum faciendo?*

3.° *An laudandus sit aut graviter vituperandus* COLUMBANUS?

QUAER. 4.° *An neosacerdos exspectare possit ad sex menses vel annum ad Sacrum faciendum, quo melius se praeparet?*

SOLUTIO:

317. — *R. ad* 1m *Quaes.* Saltem *probabilius* omnes sacerdotes *iure divino, sub gravi,* ratione ipsius sacerdotii, aliquando Missam celebrare tenentur. Constat ex verbis Christi post ultimam cenam: *Hoc facile in meam commemorationem,* et ex Conc. *Trid.*—*Probabilis* tamen multis videtur sententia contraria, iuxta quam sacerdos praecise ratione sacerdotii non tenetur, saltem *sub gravi,* ad Missam celebrandam, quamvis concedat posse forte teneri ratione scandali. Ita *S. Bonavent., Caietanus,* d. 80, sect. 1, r. 2.°; *Lugo,* d. 20, sect. 1; *Ball.-P.*, vol. 4, n. 1005; *Génicot,* 2, n. 224; *Pesch,* l. c., n. 938, *et alii.*

Iure autem *ecclesiastico* «sacerdotes omnes obligatione tenentur Sacrum litandi pluries per annum» (can. 805). Immo iniungitur Episcopo et Superiori religioso ut curent «ut iidem saltem singulis diebus dominicis aliisque diebus festis de praecepto divinis operentur» (ibid.). Quare videntur teneri *sub gravi* ad celebrandum saltem *ter* vel *quater* in anno, nisi adsit causa excusans. *S. Alph.*, n. 313; *Gasparri,* n. 412; *Wernz,* Ius Decret., vol. 3, n. 535. Qui tamen *quater* tantum celebraret, a peccato veniali non eximeretur. Immo dicit *S. Alph.,* l. c., non esse excusandum a peccato veniali sacerdotem, qui non celebrat cotidie, si possit, excepta forte una die in hebdomada. V. **Comp.**, n. 463 seq.

318. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° HUMBERTUS peccavit graviter omittendo Sacrum facere per annum integrum, ut sequitur ex dictis. 2.° Facile etiam potuit peccare graviter, per accidens, ratione scandali, si, dum esset parochus, visus est saepissime Missam omittere. 3.° Non peccavit autem graviter *per se* intuitu stipendii celebrando, nisi stipendium, ut verum celebrationis *pretium* habere vellet, quod generatim non accidit. Ratio est, quia non unice neque praecipue censetur celebrare propter stipendium, sed accessorie tantum, licet, secluso stipendio, Missam esset omissurus. Attamen a peccato veniali communiter excusari nequit, quia res odiosa est, quod sacro ministerio ad lucrandam pecuniam utatur. — Dixi *communiter,* quia sacerdos celebrans intuitu stipendii, etiam alias non celebraturus, bene potest omni culpa carere, si v. gr. stipendio indigeat, etc., dummodo non ratione lucri, sed ratione obligationis implendae moveatur. V. **Comp.**, n. 477.

319. — *R. ad* 3m *Quaes.* Minime laudandus est COLUMBANUS, et ob solam eius simplicitatem excusandus. Male enim egit. Ratio est, quia: 1.° sine causa sufficienti se posuit in tali statu, in quo Sacrum facere nunquam posset. Porro hoc non licet, nisi adsit inspiratio divina bene certa, vel circumstantiae adeo extraordinariae ut inspirationi

aequivaleant, v. gr. necessitas physica, vel moralis. Nec obstat exemplum Sanctorum, quia potuerunt illi inspiratione divina impelli, et insuper hoc non amplius ferunt nostri temporis mores. 2.° Quia COLUMBANUS nequit praetermittere recitationem breviarii sine dispensatione Summi Pontificis. Obligatio enim horarum canonicarum gravissima est, et semel contracta relinqui nequit, nisi adsit impossibilitas, vel dispensatio. 3.° Quia non licet Superiores in re tam gravi decipere. Hi enim, sacerdotes inter laicos fratres admittere non solent. *Gobat,* n. 483.

320. — *R. ad* 4m *Quaes. Affirm.* Res illa in se optima est, et ratio neosacerdotis, primum Sacrum maioris devotionis et praeparationis gratia differentis, piissima est. Hoc etiam exemplo plurium Sanctorum, v. gr. *S. Ignatii de Loyola,* confirmatur.

CASUS II

OBLIGATIO SACRUM PERFICIENDI

COLUMBINUS, parochus octogenarius, dum quadam die Missam magna cum devotione celebraret, *peracta iam utraque consecratione,* deliquium patitur, et in altaris scalas decidit. Ocius clamare, et eiulare mulieres in ecclesia praesentes, concurrere viri adstantes simul cum ARNOLDO, parochi adiutore. COLUMBINUM sublevant, quosdam liquores efficaces ipsius ori infundunt, iisdemque caput eius illiniunt, et sic bonum seniculum mox refocillando, ad sensus et velut ad vitam restituunt. At, viribus vix recuperatis, parochus graviter dubitare coepit an, licet non amplius ieiunus, posset Sacrum prosequi, vel imperfectum relinquere: vel an potius ARNOLDUS vicarius, utpote adhuc ieiunus, sacrificium prosequi deberet.

HINC:

QUAER. 1.° *An Missa incepta semper sit perficienda?*
2.° *An parochus, non ieiunus, eam prosequi debeat, vel potius vicarius adhuc ieiunus?*
3.° *Quid in dubio an parochus Sacrum perficere possit?*
4.° *Quid, si parochus deliquium passus esset ante consecrationem, vel inter utramque consecrationem?*

SOLUTIO:

321. — *R. ad* 1m *Quaes.* Sacrificium Missae, quod fuit inchoatum, nec potest ab eodem sacerdote perfici, v. gr. quia moritur, aut repentina infirmitate corripitur, necessario ab alio sacerdote, si quis reperiatur, perficiendum est. Ita, iuxta omnes, *de iure divino;* quia Chri-

stus, instituendo sacrificium Missae, voluit ut semper esset integrum in quantum fieri potest; id enim postulat reverentia tanto sacrificio debita. *Rubr. Missalis,* tit. 9.

322.— *R. ad* 2m *Quaes.* Parochus ipse, in casu nostro, sacrificium a se inceptum prosequi debet. Ratio est, quia quisquis hoc tremendum sacrificium incipit, saltem si iam *ultra consecrationem pervenit,* tenetur illud complere, et quidem ex praecepto divino. Igitur aliuś sacerdos ad hoc vice parochi fungi non potest, nisi ipse Missam perficere nequeat, quia unitas ministri servanda est, ubi servari potest. Nec obstat quod parochus non sit amplius ieiunus, quia praeceptum de ieiunio naturali a celebrante servando tantum humanum est, et proinde praecepto divino perficiendi sacrificii cedere debet. *Gobat,* De Missa, n. 806; *Elbel,* n. 154.

323. — *R. ad* 3m *Quaes.* In hac hypothesi, adhuc parochus complere sacrificium conari deberet, a vicario, vel etiam a laicis adiutus et sublevatus. Ratio est, quia praeceptum divinum tanti momenti, in quantum fieri absolute potest, adimpleri debet. Etenim homines negotia humana gravissima non tam facile relinquunt incompleta, ut non omni conatu moraliter possibili ea complere et in effectum adducere nitantur. Ergo, a fortiori, sacerdos conari debet omni modo moraliter possibili ad divinum hoc mysterium perficiendum. Secus tamen dicendum, si parochus noster sine gravissimo vitae dispendio, vel periculo gravioris infirmitatis, Missam inceptam prosequi non valeret, vel etiam si non posset illam prosequi nisi post notabilem temporis lapsum, v. gr. si praevideretur non posse sacrificium interruptum perficere nisi *post unam horam,* iuxta *S. Alph.;* quia interveniente tanto temporis tractu, sacrificium non amplius cum priore censeretur coniungi. Igitur in tali casu, alius sacerdos, etiam non ieiunus, Missam complere deberet, iuxta *Rubr. Missalis,* tit. De defectibus, § 10. Sed etiam in hoc ultimo casu, si parochus infirmus adhuc communicari possit, eidem a sacerdote, vicem eius supplente, hostia minor, vel pars aliqua de hostia maiori, administrari debet. *Ita ex Rubr.*

324. — *R. ad* 4m *Quaes.* Si parochus *ante consecrationem* gravi infirmitate correptus fuisset, ita ut ulterius progredi non potuisset, *Missa omittenda foret,* quia non urget amplius ratio sacrificii perficiendi. — Si vero consistere debuit *peracta iam una consecratione,* vel altera non omnino completa, tunc *alius sacerdos,* etiam non ieiunus, immo etiam irregularis et excommunicatus, *Missam prosequi debet,* et integram consecrationis calicis formam repetere. *Rubr. Miss. S. Alph.,* n. 355.

* CASUS II *bis*

OBLIGATIO SACRUM PERFICIENDI

TITIUS, sacerdos, post sumptionem Corporis Christi, scrupulis aut furiosa amentia statim agitatus, *daemonium! daemonium!* exclamat, simulque manu calicem proiicit ac pretiosissimum Christi sanguinem effundit per altare atque pavimentum, quin aliquid sanguinis in calice remaneat. Nullus alius sacerdos sacrificium complere visus est.

SEMPRONIUS, pariter sacerdos, post calicis sumptionem animadvertit sibi non vinum sed potionem aliquam mortiferam pro consecratione fuisse exhibitam. Statim corruit, ad proximum hospitale defertur, ubi aliquatenus recreatur; quin nec ipse nec alius sacrificium perficiat. Anno sequenti vi illius potionis mortuus est.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid requiratur ut sacrificium compleri possit?*
2.° *Quinam sunt casus praecipui in quibus sacrificium compleri potest aut debet ab ipso celebrante aut ab alio sacerdote?*
3.° *Quid ad singulos casus.*

SOLUTIO:

324 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes.* Ut sacrificium possit compleri, requiritur ut, praeter unitatem moralem temporis, adsit aut unitas *ministri,* aut unitas *victimae* ab uno consecratae et ab alio sumptae. Unde si nihil remanet ex priore sacrificio, hoc sacrificium compleri ab *alio* ministro nequit. Quantum conferat ad unitatem sacrificii unitas ministri inde deduces quod unus minister *simul* consecrans plures hostias et calicem, *unum* facit sacrificium; e contra plures ministri *simul* consecrantes unam hostiam et unum calicem, *plura* faciunt sacrificia, ut patet in Missa ordinationis sacerdotum.

324 *b.* — Unde si post sumptionem hostiae, deficiat sacerdos, et *alius* infra breve tempus *sumat* sanguinem a primo consecratum: datur unitas *victimae.* Si vero post sumptionem hostiae animadvertat consecrasse aquam, ipse ille prior debet consecrare vinum et tunc datur *ministri.* Quod si tunc (postquam advertit consecrasse aquam) deficiat ille minister, *alius* non debet consecrare calicem, quia deficeret unitas cum ministri tum victimae, et haberemus duo sacrificia incompleta; non unum completum.

324 *c.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Si sacerdos deficiat ante consecrationem aut post sanguinis sumptionem, ipse, si vires brevi recuperet et adhuc ieiunus sit, prosequatur; alius vero non, quia sacrificium aut non fuit essentialiter inchoatum, aut iam perfectum est.

Si ipse sacerdos prosequi non potest, et panis aut panis et vini iam facta sit oblatio, haec aut in alio sacrificio post ablutionem sumi possunt, a quocumque, tamquam panis et vinum benedicta; aut in sacrarium proiiciantur. *Rubr. Miss.*, tit. 9.

324 *d.* — Si sacerdos deficiat post consecrationem hostiae et ante sumptionem sanguinis, ipse, si potest, etiam post horae spatium et quamvis non sit ieiunus perficiat; secus alius, intra horae spatium si inveniatur (etiam non ieiunus, etiam suspensus) perficere debet: post horam ieiunus *potest,* sed *non tenetur* perficere, quia deest unitas moralis temporis. *S. Alph.*, n. 355; *Lacroix,* l. 6, part. 2, n. 549; *De Herdt,* Sacrae liturg. praxis, vol. 2, nn. 167 seq., et 171.

Si nemo perficiat, reliquiae illius sacrificii in alia Missa ante ablutiones sumantur.

324 *e.* — Si sacerdos solam hostiam consecraverit, alius consecrare debet vinum tantum et utrumque sumere; si sacerdos utrumque consecraverit et nihil sumpserit, alius utrumque sumere debet, nihilque consecrare; si sacerdos utrumque consecraverit et hostiam tantum sumpsit, alius calicem sumat et nihil consecrabit *(Lacroix,* lib. 6, part. 2, n. 548). Alii tamen in hoc ultimo casu dicunt nihil esse supplendum, sed calicem in alia Missa sumi posse, quia substantia sacrificii videtur essentialiter posita. Ita *Bonacina,* apud *Lacroix,* l. c.

324 *f.* — «Si (post consecrationem) deficeret utraque species, aut utraque veneno infecta esset, nihil esset supplendum, quia non remaneret sacrificium, quod suppleri posset, et si celebrans suppleret, bis eadem die sacrificaret, nec consumptio, quae postea fieret, compleret sacrificium praeteritum, sed solum illud, quod de novo esset factum. *Pasq.* sup., *Henao,* n. 1742. Putant quidem probabile esse *Pasq.*, qq. 300 et 320, et *Quarti,* q. 3, tit. 10, n. 6, dub. et cond. 1, quod possit de novo consecrari utraque species, ne cultus ille ritualis Missae, qui per se ordinatur ad complendum sacrificium, maneat vacuus, et falsus; sed *Henao,* n. 1771, non acquiescit, nam si cultus ille fuit vacuus, et falsus, quando ponebatur, non potest iam reddi alius; si talis non fuit, nec talis fiet licet omittatur consecratio.» *Lacroix,* l. c., n. 539.

324 *g.* — Quod «si hoc contingat *(si adverterit hostiam esse corruptam aut non esse triticeam)* post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua; et facta prius oblatione, ut supra, sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie;* ac statim sumat utrumque, et prosequatur Missam, ne sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo». *Rubr. Miss.*, De defect., tit. 3, n. 6.

«Si hoc advertat *(vinum non esse positum* sed *aquam)* post sumptionem Corporis, vel huiusmodi aquae; apponat etiam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit ieiunus. Vel, si Missa cele-

bretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cetera». *Rubr. Miss.*, l. c., tit. 4, n. 5.

N. B. Qui supplet, aliam Missam eodem die dicere nequit nisi facultatem binandi in illo die habeat, et quamvis magna pars populi debeat remanere absque Missa.

324 *h.* — *R. ad* 3m *Quaes. In primo casu,* si nihil remansit ex sanguine, non poterat ullo modo compleri sacrificium: defuisset enim unitas ministri simul et victimae. Si aliquid remansit, nec tunc constat de obligatione complendi illud sacrificium, iuxta dicta, n. 324 *e*.

In secundo casu, si SEMPRONIUS intra breve tempus potuisset complere, debuisset id facere consecrando vinum, etc. Alius vero complere non poterat, quia nihil remanebat de priori sacrificio, ut dictum est de sacrificio TITII.

CASUS III

INTENTIO ET APPLICATIO SACRIFICII MISSAE

CANDIDUS, sacerdos, usque ad dementiam scrupulosus, dum est celebraturus diu haeret cum variis nutibus capitis et gesticulationibus, iterum iterumque formans intentionem, *volo, volo, volo celebrare Missam: non volo, volas, volare; sed volo, vis, velle.* Magis autem adhuc angitur circa Missae applicationem, quam pluries mente revolvit, et verbis repetit ante Sacrum, in offertorio, et sub ipsam consecrationem, quin animi pacem obtineat.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quaenam requiratur intentio celebrandi?*
2.° *An vel quaenam requiratur applicatio sacrificii?*
3.° *Quid de* CANDIDO *dicendum?*

SOLUTIO:

325. — *R. ad* 1m *Quaes.* Nulla celebrandi intentio *actu formali* et *explicito* in sacerdote celebraturo requiritur. Etenim ad agendum humano modo sufficit intentio *virtualis,* iuxta omnes: atqui sacerdos celebraturus, qui tendit ad ecclesiam, in sacristiam se recipit, paramentis sacris induitur, adque ad altare pergit, caeremoniasque sacras incipit, ac persequitur, intentionem saltem virtualem seu implicitam celebrandi, et sacrificium perficiendi, habet; ergo necesse non est ut expresse id statuat, dicens: *Volo celebrare.* Ergo inanis et ridiculis est ille scrupulus, qui circa defectum sufficientis intentionis versatur.

326. — R. *ad* 2m *Quaes.* 1.° Requiritur *aliqua applicatio* sacrificii Missae, etiam non accepto stipendio, ut *fructus specialis* seu

ministerialis alicui obveniat. Sacerdos enim personam Christi gerit, et proinde, sicut ipse solus in persona Christi sacrificium offert, ita etiam solus praefatum fructum eiusdem applicare debet.

Alii vero fructus sacrificii, seu fructus *generalis* et *specialissimus,* ex se, id est ex natura rei, applicantur sive fidelibus omnibus, sive assistentibus, sive ipsi celebranti. Si sacerdos ex oblivione applicationem fructus *specialis* facere omitteret, ille fructus nemini cederet, in Ecclesiae thesauro remanens, ac proinde minus utilis foret. Iuxta plures, ipsi sacerdoti obveniret ex interpretativa eius intentione. Hoc evadet certum, si sacerdos generalem intentionem sibi hunc fructum, recurrente casu, applicandi, semel elicuerit.

2.° Non est necessarium ut applicatio sit *actualis* vel *virtualis,* sed satis est ut sit *habitualis,* seu ut semel facta non fuerit retractata, quia fit per modum donationis, et fructus semel donatus, seu applicatus alicui, isti obvenit, nisi applicatio revocetur. Sed persona cui fit applicatio sufficienter determinata esse debet, licet necessarium non sit ut cognoscatur. *S. Alph.,* n. 335. — V. **Comp.,** n. 459.

327. — *R. ad* 3m *Quaes.* Res per se perspicua est. Inutiliter et insipienter adeo insistit in elicienda Sacri faciendi intentione. Admonendus igitur est, ut a tantis scrupulis se exuat. Pie vero sacerdos expresse elicit intentionem Missam celebrandi.

CASUS IV

APPLICATIO MISSAE

Pro populo ratione officii 1.°

VALERIUS, parochus, licet sufficientes reditus habeat, Missam pro qua stipendium acceperat, celebravit *die dominica,* et, decurrente hebdomada, sacrificium *pro populo* obtulit. Idem etiam alia vice praestitit, celebrando *die dominica* pro defuncto, praesente corpore, et Sacrum *pro populo* faciendum ad alium diem ferialem remittendo. Mutata autem paroecia, cum in novo domicilio non sibi videatur reditus habere ad honestam sustentationem sufficientes, Sacrum diebus festis populo non applicat.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis sit obligatio* PASTORUM *animarum celebrandi diebus festis?*

2.° *An obligatio ad alium diem remitti possit?*

3.° *Quinam teneantur applicare* PRO POPULO? *an Superiores religiosi? an capellani monialium,* etc.?

4.° *Quid de* VALERIO *dicendum?*

SOLUTIO:

328. — *R. ad* 1m *Quaes.* Datur obligatio gravis, ad omnes animarum pastores spectans, Missam pro populo celebrandi singulis diebus dominicis et festis de praecepto. Const. Bened. XIV, die 19 aug. 1744: *Cum semper,* etc.

R. ad 2m *Quaes.* Haec obligatio Missam celebrandi die dominica ad aliam diem *per se* remitti nequit. Constat ex declaratione Bened. XIV *in eadem Constit.* Dispensat enim Pontifex, ut parochi pauperes, qui pecunia hic et nunc indigent, stipendium accipere possint pro Missa die festo celebranda, sed ea conditione ut alia die pro populo celebrent. Ergo, seclusa hac ratione gravi, id est secluso dispensationis casu, Missa *pro populo,* die festo celebranda, ad alium diem remitti nequit.

329. — *R. ad* 3m *Quaes.* **Episcopi** (can. 339, § 1), Abbates et Praelati *nullius* (can. 323), Administratores Apostolici permanenter constituti (can. 315, § 1), Vicarii Capitulares (can. 440) ac **parochi** (can. 466) iure ecclesiastico pro ovibus suis celebrare tenentur omnibus *diebus dominicis* et *festis de praecepto,* seu quibus fideles Missam audire debent.

Eadem obligatione ac parochi tenentur vicarii paroeciales sequentes: 1.° qui *actualem* curam animarum exercent in paroecia pleno iure unita personae morali (can. 471, § 4); 2.° vicarii *oeconomi,* seu qui vacantem paroeciam regunt (can. 473); 3.° vicarii *substituti* in absentia parochi, aut pendente recursu contra sententiam firmam privationis paroeciae, *nisi Ordinarius loci vel parochas aliquid exceperint* (can. 474).

Non autem *per se* ad id tenentur: 1.° vicarii *adiutores* (hispanice *regentes)* (can. 475, § 2), neque 2.° vicarii *cooperatores* (hispanice *coadiutores)* (can. 476, § 6).

Excipe coadiutores qui in certis **Hispaniae** regionibus vocantur independentes, eo quod nullus parochus in eorum ecclesias iurisdictionem exerceat; non autem alii coadiutores, quamvis constituti sint in ecclesia filiali cum territorio separato.

Parochus qui plures forte paroecias regat, aut Episcopus qui plures dioeceses, unam debet Missam pro populo diebus praescriptis applicare (can. 466, § 2; 339, § 5). Igitur abrogata est antiqua obligatio parochorum applicandi duas Missas in casu.

Vicarii Apostolici, Praefecti Apostolici necnon quasi-parochi tenentur applicare paucis tantum diebus dominicis ac festis.

Igitur hi soli Missam *pro populo* diebus festis celebrare tenentur, proinde neque Superiores ecclesiastici vel regulares, neque capellani monasteriorum vel carcerum, aut nosocomiorum, etc., ad Sacrum pro subditis faciendum tenentur. Cfr. *Mach-Ferreres,* Tesoro del sacerdote, vol. 1, n. 673 seq., edit. 15.ª

330. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Valerius peccavit remittendo Missam *pro populo* celebrandam, ad aliam diem absque necessitate, id est secluso dispensationis casu; praeceptum enim Ecclesiae est, ut Missa *pro populo* die dominica a parocho celebretur. — Attamen Ordinarius loci iusta de causa permittere potest, ut parochus Missam pro populo alia die applicet, qua iure adstringitur (can. 466, § 3). V. **Comp.**, n. 469.

2.° Nec valet ratio Missam pro defuncto, etiam praesente cadavere, celebrandi. Constat ex responsione S. Congr. Rit. *in Fesulana,* 26 ian. 1711. Fuit enim expresse postulatum: *An parochi in dominicis... praesente cadavere, possint celebrare Missam pro defuncto, et ad aliam diem transferre Missam pro populo applicandam?* S. Congr. respondit: *Negative.* Vide *Bouix,* De parocho, pag. 587; *Ephem. liturg.,* ann. 17, n. 2, pag. 78.—V. **Comp.,** n. 471.

3.° Non valet Valerii excusatio, scilicet, quod reditus sint tenues, et non sufficiant ad ipsum sustentandum. Urget enim nihilominus obligatio celebrandi diebus festis *pro populo.* Sic pluries decrevit S. Congr., potissimum die 29 ian. 1734. Ratio est, quia pastor hanc obligationem suscepit, non obstante redituum insufficientia, et proinde eam adimplere debet. Sicut enim sacerdos acceptans stipendium congruo minus, Missas tamen promissas celebrare tenetur, ut definivit S. Congr., sic etiam acceptans paroeciam cuius reditus sunt sustentationi impares, tenetur diebus festis Missam *pro populo* applicare, nisi accedat legitima dispensatio.

* CASUS V

APPLICATIO MISSAE

Pro populo ratione officii 2.°

1.° Sylvester, parochus, dum bene valet non omittit Sacrum facere *pro populo;* si vero ex morbo vel alio impedimento celebrare nequeat, non curat per alium supplere, quia, ait, *nemo ad impossibile tenetur.* Etenim, cum sit haec obligatio personalis, cessat quoties personaliter impleri nequit.

2.° Martinus saepius Missam privatam et etiam extra ecclesiam paroecialem celebratam, die festo, populo applicat. Solet etiam non raro intentionem cum vicario die dominica permutare. Vicissim enim Missam sollemnem decantant, ita ut, cum vicarii vices redeunt, hic *pro populo* Sacrum faciat, et parochus Missam privatam ad intentionem vicarii celebret.

HINC:

QUAER. 1.° *An obligatio celebrandi* PRO POPULO *sit* PERSONALIS?

2.° *An cesset, si pastor sit impeditus?*

3.° *An parochus obligationi suae satisfaciat per Missam privatam, vel extra paroeciam celebratam?*

4.° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO:

331. — *R. ad* 1m *Quaes.* Praefata obligatio est vere *personalis,* quia ad parochum pertinet, ut pastorem. Hinc parochi debent per se ipsos (can. 339, § 4, et 466) Missam *pro populo* celebrare, nec ulla valet in contrarium consuetudo. Constat ex respons. S. Congr. die 25 sept. 1847. *Bouix,* De parocho, pag. 590. **Comp.**, n. 470.

R. ad 2m *Quaes.* Minime cessat obligatio celebrandi *pro populo,* etiam accedente impedimento, v. gr. infirmitate. Sed tunc parochus, vel Episcopus, procurare debet ut obligationi huic per alium satisfiat statis diebus; et si neque id praestare possit, quamprimum vel per se ipse vel per alium applicet alia die (can. 339, § 4). Ratio est, quia haec obligatio non est tantum *personalis,* sed etiam *realis;* proinde subsistit adhuc, persona impedita. Ita etiam expresse S. C. C. *in Petrocoricen.,* 14 dec. 1872. *(Thesaur. resol. S. C. C.*, vol. 131, pag. 568). Cfr. etiam *Casus Romae* in *Academ. liturg.,* 7 ian. 1903 *(Analecta eccl.,* vol. 11, pag. 145). *S. Alph.,* n. 326; *Mach-Ferreres,* l. c., n. 681. **Comp.**, n. 469.

332. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Parochus omnino satisfacit obligationi suae per Missam privatam, quia reapse praeceptum Ecclesiae adimplet, siquidem nihil aliud ei iniungitur, nisi ut die festo *pro populo* celebret. Nec tenetur Missam sollemnem, neque aliqua certa hora celebrare. *Bouix*, pag. 591. **Comp.**, n. 470.

2.° Parochus celebrans extra ecclesiam paroecialem diebus festis satisfacit quidem obligationi suae ratione iustitiae, si Missam populo applicet, sed *illicite* agit, nisi aliqua iusta causa excusetur. «Parochus Missam *pro populo* applicandam celebret in ecclesia paroeciali, nisi rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant. — Legitime absens parochus potest Missam *pro populo* applicare vel ipse *per se* in loco in quo degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerat in paroecia» (can. 466, §§ 4, 5). Cfr. etiam S. C. C., 14 dec. 1872; C. P. **Amer. lat.**, n. 357; C. **Manil.**, 431; *Bouix,* ibid.

333. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° SYLVESTER errat graviter. Obligatio enim Missam *pro populo* celebrandi, est simul *personalis* et *realis.* Hoc scire debuisset, si paulo magis ad theologiae studium incubuisset. Sacra igitur omnia quae omisit sedulo supplere debet, ut obligationi iustitiae satisfaciat.

2.° MARTINUS, iuxta dicta, non peccavit Missam privatam die esto *pro populo* applicando; sed peccavit extra ecclesiam suam celebrando, seclusa necessitate, vel aliqua iusta causa, v. gr. itineris, etc., el nisi rerum adiuncta aliud suadeant.

Male egit, nisi bona fide excusatus fuerit, intentionem pro Missa ollemni populo applicanda cum vicario vicissim permutans, quia, ut ictum est, obligatio parochi pro subditis celebrandi, est *personalis,* ec requiritur ut Missa sollemnis populo applicetur; haec igitur intenionum permutatio minime facienda est sine iusta causa. Consuetudo gitur opposita, quae in nonnullis locis invaluit, omnino eliminanda est. Constat ex declarationibus S. Congr. Concilii, die 25 sept. 1847; et . R. C., 22 iul. 1848 *(Decret. auth.,* n. 2967). Item ex C. P. **Amer.** at., n. 355; C. **Manil.**, 429. V. **Comp.,** n. 469 seq.; *Bouix,* De parocho, pag. 590.

CASUS VI

APPLICATIO MISSAE

Ratione stipendii 1.°

LABANUS sic Missae applicationem facit in casibus sequentibus:

1.° Aliquando, ineunte mense, vel saltem hebdomada, intentionem applicationem specialem de Sacris faciendis determinat pro toto ense, vel hebdomada, ita ut de illa habenda minime amplius curet.

2.° Aliquando, accepto stipendio, statuit Missam celebrare die abbati sequentis, et, occurrente illo die, immemor prioris elicitae intentionis, sibi ad devotionem, vel ad alium finem Sacrum applicat.

3.° Nonnunquam applicationem determinat tantum post primam, el etiam secundam consecrationem.

4.° Interdum Missam offert pro primo stipendium erogaturo, vel ro primo e paroecia morituro. Cum autem haec confessario aperuiset, audit ab ipso invalidam fuisse in omnibus applicationem, et Missas ro stipendio esse iterandas.

HINC:

QUAER. *An valida fuerit applicatio* LABANI *in propositis casibus, et quid de sententia eius confessarii?*

SOLUTIO:

334.—*R. ad Quaes.* 1.° *In primo casu,* valide et licite egit intenonem efformando pro singulis diebus, ab initio hebdomadae vel mens. Patet ex dictis. In praxi ordinarie suadendum est ei, ut pro una ebdomada tantum intentionem eliciat, ne frequenter, ob casus impraesos occurrentes, eam mutare debeat. Prudenter quoque se geret

LABANUS, si catalogum accuratum de Missis statuto ordine celebrandis teneat.

335. — 2.° *In secundo casu,* valet prior applicatio quae vere retractata non fuit; voluntas enim celebrandi iuxta priorem intentionem est *praedominans* et *implicite perseverat.* Non debet igitur LABANUS novam applicationem Missae facere ad eamdem intentionem. Recole dicta in casu III, De actibus humanis, ad 3m quaes., n. 6.

336. — 3.° *In tertio casu.* 1.° Non valet applicatio Missae post utramque consecrationem facta. Ratio est, quia non potest offerri actio iam praeterita, sed tantum facienda; siquidem actio iam facta ad unum finem, vel ad nullum finem, non potest intelligi fieri ad alium finem in genere, vel ad finem postea determinandum. Praeterea sacerdos fructum sui sacrificii conservare, et dein conferre non potest. Ergo applicatio post utramque consecrationem facta invalida est. 2.° Valet autem applicatio facta ante consecrationem, licet melius sit eam facere ante Missam, vel in principio Missae. Ratio est, quia actio sacrificandi non fit ante consecrationem, sed in ipsa consecratione, saltem quoad praecipuam partem, et probabilius, iuxta multos, in sola consecratione. Ergo ante consecrationem offerri potest in Dei obsequium. 3.° Immo, iuxta plures, valet etiam *probabiliter* applicatio inter utramque consecrationem. Ratio illorum est, quia sacrificium consecratione calicis perficitur, et consequenter sacerdos dicitur tunc *sacrificare,* atque ideo, ante calicis consecrationem, adhuc sacrificium applicare potest. *Tambur.,* Meth. celebr. Missae, c. 2, § 10, et alii.

337. — 4.° *In quarto casu.* Oblatio facta pro primo stipendium erogaturo *illicita est:* hoc enim prohibuit Paulus V, 15 nov. 1605 (1).

Ita etiam Codex: «Numquam licet Missam applicare ad intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa antea applicata» (can. 825, 1.°).

Aliunde haec praxis *in se ipsa* plura incommoda habet, cum fieri possit ut primus qui petat velit applicari Missam pro recenter defuncto, qui adhuc inter vivos erat, dum Sacrum oblatum fuit: atqui fructus sacrificii nequit suspendi in futurum; ergo...

Si vero scias aliquem obiisse, et prudenter existimes pro ipso a te Missas esse postulandas, videtur aliquibus te posse Missam pro ipso celebrare, et postea stipendium recipere. *S. Alph.,* n. 337; *Génicot,* n. 234. Attamen, quamvis in casu *valida* sit applicatio, adhuc videtur comprehendi in prohibitione. *Gasparri,* l. c., n. 537; *Lugo,* De paenit., d. 13, nn. 138 et 139. **Comp.,** n. 484.

---

(1) Decretum videre licet apud *Bened. XIV,* Inst. eccles. XCII.

CASUS VII

APPLICATIO MISSAE

Ratione stipendii 2.°

VICTORINUS, religiosus, in tabella Missarum, seu in qua ordo et intentio sacrorum a singulis legendorum statuitur, designatus fuit ut die sequenti celebraret ad Superioris intentionem in altari laterali seu B. M. Virginis. Interea tamen, instante altero Sacrum petente ab eodem Superiore, intentio mutata est, et VICTORINUS designatus fuit *pro defuncto* in altari privilegiato, seu in altari maiori. VICTORINUS vero, huius mutationis prorsus ignarus, processit ad altare B. Virginis, ibique ad intentionem sui Superioris celebravit.

HINC:

QUAER. 1.° *Pro quo valuerit applicatio* VICTORINI?
2.° *Quid, si intendisset celebrare ad intentionem actualem Superioris?*
3.° *Quid, si religiosus scienter Sacrum applicet contra voluntatem Superioris?*

SOLUTIO:

338. — *R. ad* 1m *Quaes.* Applicatio Sacri a VICTORINO facta valuit ad primam Superioris intentionem. Quapropter satisfactum est ei qui rogaverat ut Missa pro se ad altare B. M. Virginis legeretur. Ideoque non haec Missa, sed alia celebranda fuit *pro defuncto* in altari privilegiato. Ratio est, quia Missa prodest ei pro quo a celebrante offertur: atqui VICTORINUS celebrare voluit pro eo qui Sacrum ad altare B. Virginis postulaverat, quia ad hunc finem novit se a Superiore assignatum fuisse, et dum celebravit, in hac persuasione remansit. Nec dubitandum est quin, interrogatus cur ad hoc altare accederet, respondisset: «Accedo, quia vidi me esse designatum ut in hoc altari Sacrum faciam ad intentionem illius qui Missam legi ad altare B. Virginis postulavit». Ergo pro prima intentione Superioris Missa applicata est. *Elbel,* n. 178.

339. — *R. ad* 2m *Quaes.* In hac hypothesi fructus sacrificii defuncto fane obvenisset, quia VICTORINUS supponitur voluisse celebrare ad eam intentionem ad quam hic et nunc erat assignatus: atqui erat assignatus *pro defuncto;* ergo huic sacrificium profuisset. Nec obstat quod Superior voluerit Missam legi in altari privilegiato; nam haec intentio Superioris erat saltem virtualiter duplex, nempe: 1.° ut VICTORINUS Sacrum faceret pro defuncto; 2.° ut illud faceret in altari privilegiato. Porro prior intentio Superioris de celebratione pro defuncto fuit prae-

cipua, et consequenter praedominans, et alia accessoria tantum; ergo VICTORINUS vere pro defuncto satisfecit, cum ad intentionem praecipuam Superioris sacrificare intenderit.

340. — *Obiicies:* Sed aliud Sacrum faciendum est pro defuncto in altari privilegiato, ut ei indulgentia applicetur; ergo VICTORINUS non censetur pro defuncto satisfecisse in altari non privilegiato.

Resp. Revera sic urgent et tenent graves et plures auctores, et ita tenendum est si *scienter* quis omiserit celebrationem in altari privilegiato: ex natura enim contractus et ex can. 833 «si oblator expresse aliquas circumstantias in Missae celebratione servandas determinaverit, sacerdos, eleemosynam acceptans, eius voluntati stare debet». Sed quia in casu *bona fide* erratum est, videtur sufficere, si sacerdos curet ut lucretur aliquam indulgentiam plenariam, et eam pro eodem defuncto applicet in complementum suae obligationis. Ita enim aliqua compensatio tribueretur. Sic *Elbel,* n. 210; *Sporer, Zazinberger, Reiffenstuel,* etc. Vide dicenda in casu sequenti. — Si tamen stipendium maius ordinario acceptum fuerit pro celebratione in altari privilegiato, excessum esset restituendum. V. **Comp.,** n. 482, q. 22.

341. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Nihilominus *valida* erit applicatio subditi. Ratio est, quia applicatio Missae est actus potestatis ordinis: atqui actus potestatis ordinis a Superioris facultate minime pendet; ergo voluntas Superioris efficere nequit, ut applicatio invalida fiat. *Peccabit* sane *subditus* in hoc casu agendo contra mandatum Superioris, seu contra oboedientiam suo praelato debitam; sed applicatio Sacri valida erit, quia per Superiorem irritari non potest intentio consecrandi, vel alia Sacramenta, e potestate ordinis praecise dependentia, conficiendi. *S. Alph.,* n. 334; *Elbel,* n. 180; *Lacroix, Laymann,* etc.

CASUS VIII

APPLICATIO MISSAE

Ratione stipendii 3.°

MARTIANUS, laicus, scripto petit a LAUREANO sacerdote ut decem Sacra *pro defuncto* legeret. LAUREANUS optima fide legit decem Sacra, sed pro defuncta et quidem cum collecta: *Quaesumus, Domine... miserere famulae tuae...;* quibus persolutis, scripsit LAUREANUS se iam legisse decem Sacra *pro defuncta.* Illico respondit MARTIANUS, se nunquam postulasse Missas pro defuncta. Stupefactus sacerdos inspicit denuo litteras a MARTIANO obtentas, et reperit illa Sacra reapse postulata fuisse *pro defuncto.* Dubitat proinde, an ad stipendium ius habuerit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* LAUREANUS *teneatur alia decem Sacra legere?*

2.° *Quid vero, si* LAUREANUS *ad primas litteras* MARTIANI *rescripsisset, se non velle illas Missas celebrare, vel non posse; postea tamen mentem mutando, sed inscio* MARTIANO, *illa Sacra pro defuncto ad eius intentionem fecisset?*

3.° *Si quis, accepto stipendio ad celebrandum in altari privilegiato, in alio altari celebrasset, an teneretur aliud Sacrum in altari privilegiato facere?*

SOLUTIO:

342. — *R. ad* 1m *Quaes.* LAUREANUS non tenetur Sacra iterare, et iuste stipendium pro decem Sacris persolutis repetere potest. Ratio est, quia sacerdos, legendo illa decem Sacra, intentioni petentis satisfacere voluit: atqui ad validam applicationem sufficit voluntas satisfaciendi intentioni petentis; doctores enim communiter docent satis esse si sacerdos Sacrum faciat ad intentionem illius qui stipendium erogavit, licet ignoret qualis sit et quaenam fuerit eius intentio; ergo dubitandum non est, quin haec Sacra reapse viro defuncto obvenerint. Etenim, quando dixit LAUREANUS: *Applico hoc Sacrum pro anima defunctae,* error fuit *accidentalis* tantum; siquidem mens celebrantis respexit *animam* quae suffragiis indigebat et pro qua postulata fuerant, et proinde circumstantia sexus ad ipsam applicationem se indifferenter habuit. *Elbel,* n. 181.

343. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Valida fuisset applicatio, quia sacrificium prodest ei cui applicatur: atqui applicatur tali defuncto, seu pro quo Sacra postulata fuerant; ergo... Nihil enim refert quod MARTIANUS, utpote ignarus mentis sacerdotis, ea non applicaverit, siquidem non illius, sed sacerdotis est fructum sacrificii applicare.

2.° Ast in hoc casu MARTIANUS nihil prorsus LAUREANO deberet. Etenim nulla potest dari obligatio stipendium solvendi, nisi ex contractu: atqui nullus intervenit contractus, siquidem sacerdos recusavit illa Sacra facere, et solum sponte sua, inscio MARTIANO, postea ea legere voluit. *Elbel,* n. 182.

344. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.,* si *scienter* hoc fecisset, nisi privilegium *personale* habeat altaris privilegiati: nec satisfacit applicando aliam indulgentiam plenariam defunctis, pro quibus ad altare privilegiatum celebrare debuerat (S. C. Indulg., 2 maii 1852). Ratio est, quia haec alia indulgentia non tam certo lucratur. Cfr. *Beringer,* Les Indulg., 1, pag. 469 et seq. — Recole dicta supra in casu praecedenti, ad 2m quaes... Obiicies, n. 340.

CASUS IX

APPLICATIO MISSAE

Ratione stipendii 4.°

MIRA SACERDOTIS PERPLEXITAS!

ROBERTINUS, sacerdos, honorariis ad Missas legendas carens, adit SABINUM, Episcopi scribam, rogans ut sibi subveniat. Ocius ipsi morem gerens SABINUS, ex arca communi, in qua pecunia ex diversis locis collecta pro Sacris faciendis asservabatur, 30 francos extrahit, eidemque tradit ut 30 Sacra faciat. Iam vigesies celebraverat, cum, theologos relegens de necessitate applicationis determinatae, maxima anxietate corripitur. Primo quidem angitur circa Missas iam celebratas, in quibus intentionem vagam tantum et indeterminatam habuit, nesciens an sint iterandae. Dein, ut tanto malo occurrat, in posterum ad cuiusnam intentionem celebrabit? An iuxta mentem distributoris? Sed removetur difficultas, non solvitur. SABINUS enim scriba nullam aliam intentionem habere debuit; immo de ulla habenda ne cogitavit quidem. An vere ipsi Deo relinquet faciendam applicationem? At non Dei, sed ministri sacrificantis illud munus est. Quid igitur faciet? Prorsus ignorat. Quapropter reliquas Missas alteri sacerdoti legendas committit. Interea ipsi offeruntur 10 franci a diversis fidelibus collecti, ad decem Missas celebrandas.

Recurrit prior difficultas; quo enim ordine legendae erunt? Forte plures eodem tempore stipendia erogarunt. Perplexus iterum ROBERTINUS, re diu perpensa, modum excogitavit *nodum gordianum* solvendi. Statuit decem Missas pro omnibus simul celebrare.

HINC:

QUAER. 1.° *An applicatio fructus Sacri debeat esse* explicite *determinata? vel quomodo determinanda sit, ubi erogantes stipendia ignorantur?*

2.° *An* ROBERTINUS *debuerit circa applicationem suam inquietus esse?*

3.° *An valide et licite egerit in secundo casu, decem Missas simul pro omnibus qui pecuniam tribuerunt celebrando?*

SOLUTIO:

345. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Intentio celebrandi non debet necessario esse expresse determinata; sed sufficit ut determinetur implicite. Sic valet applicatio, si dicis: «Offero sacrificium pro eo qui dedit sti-

pendium, vel pro quo Superior vult Sacrum fieri, aut pro eo cui applicare teneor, vel pro eo cui promisi Missam hac die celebrandam».

2.° Si multa stipendia a multis fidelibus ignotis acceperis, intentio facienda est iuxta ordinem temporis quo singula stipendia erogata sunt, ita ut, si pro triginta Missis stipendia a diversis fidelibus acceperis, prioribus tempore prius satisfacias, nisi aliquando, ex causa urgente, aliquam intentionem specialem et determinatam praeponas. Uno verbo, satis est si Sacrum facias ad intentionem dantis stipendium iuxta temporis ordinem. Nihil aliud moraliter et communiter fieri potest. V. **Comp.,** n. 461.

346. — *R. ad* 2m *Quaes.* ROBERTINUS minime debuit esse inquietus circa Missarum applicationem; plane enim obligationi satisfecerat; nemo autem ad impossibile tenetur. Porro non intelligitur quomodo aliter facere potuisset. Igitur in bona pace dimittendus est.

R. ad 3m *Quaes.* Non satisfecit ROBERTINUS, si Sacra fecit cum intentione indeterminata erga eos qui stipendium dederunt. Non esset enim ratio cur Missa uni potius quam alteri applicaretur, et sic nulli applicatio fieret. Secus vero dicendum esset si quamlibet Missam applicare intenderet illis decem personis, ita ut singulis decima pars sacrificii obveniret. *S. Alph.,* n. 335.

CASUS X

APPLICATIO MISSAE

Ratione stipendii 5.°

PARCUS SACERDOS

SABBAS, sacerdos, ex Missarum stipendiis, velut ex quadam negotiatione, lucrum notabile, decursu temporis, percepit. Cupisne praxim eius cognoscere? Accipe: 1.° Satagit vir industrius, ut stipendia valorem unius franci excedentia, v. gr. viginti quinque aut triginta assium, quamplurima colligat. Verum, cum ipse solus iis omnibus satisfacere nequeat, reliqua bene multa tradit aliis sacerdotibus, ita tamen ut 20 asses tantum celebraturis tribuat, sibi autem quod superest sedulo servet. 2.° Frequenter etiam duplicatum stipendium pro singulis Sacris postulat, dicens se non tantum applicare petenti partem fructus *specialem,* sed etiam *specialissimam,* quam alii sacerdotes sivi reservare solent. 2.° Aliquando, cum accipiat stipendia quaedam multo maiora solito, scilicet quattuor vel quinque fr. pro singulis Sacris, et ipse a celebrando impediatur, curat ut Sacra ab alio sacerdote fiant, sed stipendio unius franci tantum persoluto. 4.° Cum mortuo parocho vicino ipse per aliquod tempus binam Missam de licentia Episcopi

celebrare debuisset, gaudens de bona sorte, pro utraque stipendium accepit.

HINC:

QUAER. 1.° *An liceat partem stipendii sibi retinere, aliam partem sacerdoti celebraturo tribuendo?*

2.° *An id saltem licitum sit, si extraordinarium sit stipendium?*

3.° *An sacerdos possit aliis fructum* specialissimum *tribuere, et propterea duplicatum stipendium accipere? et an liceat accipere plura stipendia, et unicam Missam ad plures intentiones celebrare?*

4.° *An sacerdos, qui binam Missam ex facultate legit, pro secunda stipendium accipere possit?*

SOLUTIO:

347. — *R. ad* 1m *Quaes. Nego* prorsus: etenim «qui Missarum stipes manuales ad alios transmittit, debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblator expresse permittat, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae» (can. 840, § 1), ratione amicitiae, paupertatis, gratitudinis, etc., aut alter sacerdos omnino sponte et non rogatus excessum priori remittat. *S. Alph.*, n. 321. V. **Comp.,** n. 478.

Nec licet colligere eleemosynas Missarum, v. gr. trium pesetarum in Hispania, easque transmittere ut celebrentur in Gallia cum stipendio trium francorum, servando sibi beneficium cambii (S. C. C., 21 nov. 1898: *Il Monitore,* vol. 11, pag. 9).

348. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.,* si stipendium non excedat notabiliter id quod communiter dari solet. Secus si multum excedat, v. gr. si tibi erogentur viginti franci pro Missa privata, dum pro tali Missa in regione tua stipendium duorum francorum summulam nunquam superat. Ratio est, quia in hoc ultimo casu evidenter excessus in tui gratiam tribui videtur.

349. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.* omnino. Ratio est: 1.° quia valde incertum est, fructum *specialissimum* alteri applicari posse. Multi enim id negant, et dicunt quod sicut ex institutione Christi fructus *generalis* non potest alicui privato applicari, sed fidelibus obvenire debet, ita etiam neque fructus *specialissimus,* qui sacerdotibus ex natura rei competit. 2.° Quia *expresse* id ab Ecclesia prohibitum est, *in duplici propositione damnata.* Sic sonat prima ab Alex. VII reprobata sub n. 8: *Duplex stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus, ipsimet celebranti correspondentem.* Secunda vero, ab eodem Pontifice proscripta sub n. 10, sic iacet: *Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et unum*

sacrificium offerre. Constat etiam ex Codice: Numquam licet «eleemosynam recipere pro Missa quae alio titulo debetur et applicatur» (can. 825, 2.°). V. **Comp.**, n. 454.

350. — *R. ad* 4m *Quaes. Neg.* Constat ex can. 824, § 2: «Quoties autem (sacerdos) pluries in die celebrat, si unam Missam ex titulo iustitiae applicet, sacerdos, praeterquam in die Nativitatis Domini, pro alia eleemosynam recipere nequit, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco». Idem constabat ex declarat. S. Congr. C. die 25 sept. 1858. *Analecta iur. pont.*, quat. 30, ian. 1859, v. Binatio, pag. 1353. Cfr. *Ferreres*, Derecho sacramental, n. 176; Misas manuales, nn. 120, 131 *i*, 179, 185-198.

* CASUS XI

APPLICATIO MISSAE

Ratione stipendii 6.°

MALE PROVIDUS SACERDOS

IULIANUS, sacerdos, satagit ut honoraria Missarum quamplurima colligat et congerat, ne forte in posterum sibi deficiant: «Nonne, ait, temporum tempestas ingruere potest? Si vero refrigescat fidelium pietas, honoraria non superfluent... Attamen *qui inservit altari ius habet, ut semper de altari edere possit*». Si tamen stipendia quaedam minora ipsi offerantur, ultro ea aliis sacerdotibus distribuit, ut alia pinguiora eorum loco accipiat. Quamobrem, Missas pro defunctis acceptas ad tres vel quatuor menses protrahit; pro vivis vero ad plures annos differt. Nec satis curat de conficienda tabella, in qua Sacra facienda per ordinem referantur; sed partim memoriae, partim fragmentis papyraceis male compositis, et signis sibi soli cognitis confidit. Interea IULIANUS, *providus* simul et *improvidus*, seu *male providus sacerdos*, repentino morbo correptus, mox sensibus destituitur, et paulo post morte improvisa perimitur. Stipendia autem Missarum in arca pecuniaria IULIANI minime distincta, neque clare adnotata, in heredum praedam deveniunt. Lugent interea in purgatorio animae, quae a Sacris non dilatis sublevatae, vel etiam liberatae fuissent!

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis dilatio sit gravis, quoad Missas pro vivis, accepto stipendio celebrandas?*

2.° *Quid vero quoad Sacra pro recens defunctis facienda?*

QUAER. 3.° *Quid vero tenendum sit quando ignoratur intentio fidelium qui stipendia erogaverunt, scilicet, an pro vivis, aut pro defunctis Missam requirant?*

4.° *An gravis sit omissio Sacri pro tenui stipendio promissi?*

5.° *Quid de* IULIANO *dicendum?*

SOLUTIO:

351. — *R. ad* 1m *Quaes.* Ante decretum *Ut debita* diversimode auctores loquebantur, ut videri licet apud *S. Alph.*, n. 317. Nunc strictius videtur loquendum, cum Pius X *graviter* conscientiam oneret super integra et perfecta observantia statuti temporis *unius mensis*. Existimamus tamen brevem dilationem ultra tempus utile a Pontifice assignatum, v. gr. unius hebdomadae, non excedere leve peccatum, quamvis gravis videatur dilatio unius mensis. Ita etiam *Il Monitore,* vol. 16, n. 519.

Utile tempus ad manualium Missarum obligationes implendas est *mensis* pro Missa *una*, *semestre* pro *centum* Missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum Missarum. Decr. *Ut debita*, a. 2.

Hoc tamen intelligendum est pro casu in quo plures illae Missae *eidem* sacerdoti simul tradantur ab *uno eodemque* benefactore, qui sit dominus stipendiorum, non autem si traditae fuerint a *pluribus* oblatoribus (S. C. C., in *Leopolien.*, 27 febr. 1905).

Ex quibus hanc regulam generalem licet inferre: quicumque sit numerus Missarum *uni eidemque* sacerdoti ab *eodem* benefactore oblatarum, tempus utile erit *mensis unus,* cui addantur *tres dies* pro *singulis binis Missis* in tali numero comprehensis. Cfr. *Ferreres,* Misas manuales (Comment. in Decr. *Ut debita),* nn. 23, 157, 159, 180. **Comp.**, n. 474.

Hanc disciplinam confirmat Codex, can. 834, §§ 2, 3: «Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione expresse praescripserit: 1.° Missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utili sunt celebrandae; 2.° in aliis casibus Missae sunt celebrandae intra modicum tempus pro maiore vel minore Missarum numero. Quod si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis expresse reliquerit, sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit, eas celebrare, firmo praescripto can. 835». Cfr. infra, n. 354.

352. — *R. ad* 2m *Quaes.* Iuxta *S. Alph., Lugo,* Card. *Gennari,* et alios multos, dilatio unius mensis a die susceptae obligationis ut gravis reputanda est. Cfr. *Ferreres,* Misas man., n. 16. Heu! quot sacerdotes incauti et incuriosi peccati letalis rei evadunt, ob protractas Missas pro defunctis celebrandas! Certo peccat graviter sacerdos, quoties Missam pro aliqua *gravi* et *urgente* necessitate ab ipso petitam et promissam celebrare omittit *intra tempus* celebrationi *aptum*.

Hinc can. 834, § 2, 1.° «Missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utile sunt celebrandae». *S. Alph.*, ibid.; et iuxta *Ronc.* et Cont. *Tourn.* Sacerdos tunc tenetur stipendium acceptum restituere, licet deinceps celebraverit. **Comp.**, n. 476.

353. — *R. ad* 3m *Quaes.* Observet utile tempus in decreto *Ut debita* praescriptum.

R. ad 4.m *Quaes. Affirmative*, nisi stipendium adeo tenue sit ut Missa gratis promissa videatur, quod vix in praxi locum habet. Ratio est, quia solvens pretium, notabile detrimentum patitur. Secus enim, quare peccaret graviter omittens celebrare Missam, uno franco tantum pro stipendio accepto, quod tamen certum est et ab omnibus admissum! Nonne tamen hoc materiam levem in se constituit? Non est igitur attendendum ad stipendii quantitatem, sed ad materiam contractus in complexu suo spectatam, quae semper gravis est. *S. Alph., et alii communiter.* V. **Comp.,** n. 476.

354. — *R. ad* 5m *Quaes.* Quid de IULIANO? Quis ei indulgebit? Quam lugendus miserandi sacerdotis casus! Utinam casus ille fictus et non factus foret! IULIANUS fidem vivis debitam in re gravissima infregit et defunctos diris devovit cruciatibus; quapropter aeternam gehennae poenam certo est meritus.

IULIANUS ingentem illum Missarum numerum colligens peccavit contra can. 835: «Nemini licet tot Missarum onera per se celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeat».

Hoc canone confirmatur art. 3 decreti *Ut debita,* ex quo «Nemini licet tot Missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat». Violavit etiam § 2, can. 844, ubi praescribitur: «Omnes sacerdotes sive saeculares sive religiosi debent accurate adnotare quas quisque Missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit». Debebat etiam in fine anni Missas, quibus non satisfecit, tradere proprio Ordinario, iuxta can. 841, § 1. Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 27 seq., 113, 131.

* CASUS XI *bis*

DE INTERPRETATIONE DECRETORUM «UT DEBITA» ET «RECENTI»

TITIUS, sacerdos saecularis dioeceseos N., Missas ex testamento, cuius est exsecutor, tradit amicis, etiam in aliena dioecesi commorantibus, non obstante Episcopi prohibitione ne stipendia extra dioecesim mittantur. Interrogatus de tempore intra quod Missae sunt celebrandae, dicit diversum esse pro diverso Missarum numero, prout constat ex decreto *Ut debita.*

SEMPRONIUS, sacerdos regularis, qui in ipsa dioecesi N. commoratur, Missarum stipendia extra illam dioecesim mittit ad suos confratres

etiam commorantes in ecclesiis quae in Oriente sitae sunt. Ita agit ex licentia sui provincialis, non obstante Episcopi prohibitione; quia, ut ait, exemptus ille est.

HINC:

QUAER. 1.° *An et quatenus Episcopus prohibere possit ut stipendia Missarum extra dioecesim mittantur?*
2.° *An et quatenus liceat Missas a fidelibus acceptas aliis tradere?*
3.° *Intra quod tempus Missae celebrandae sint?*
4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

354 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Episcopus non videtur posse prohibere subditis suis quominus stipendia Missarum extra dioecesim mittantur. Ratio est, quia R. Pontifex id expresse permittit, nec exigit interventum Ordinarii eorum qui mittunt, sed illius ad quem mittuntur. Sic enim Codex: «Qui habent Missarum numerum de quibus sibi liceat libere disponere, possunt eas tribuere sacerdotibus sibi acceptis, dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores vel testimonio proprii Ordinarii commendatos» (can. 838). Idem vigebat ante Codicem. «Ut in posterum quicumque Missas celebrandas committere velit sacerdotibus, sive saecularibus, sive regularibus extra dioecesim commorantibus, hoc facere debeat per *eorum* Ordinarium, aut ipso saltem audito atque annuente» (Decretum *Recenti* S. C. C., 22 maii 1907, a. 1). Quod autem ius commune determinat, mutari nequit ab inferiore.

Excipe stipendia quae iuxta can. 841, et art. 4 decreti *Ut debita* tradenda sunt proprio Ordinario. Haec enim sacerdotes *saeculares* Ordinario loci tradere debent, nec sine eius licentia aliis mittere possunt, sive intra sive extra dioecesim.

2.° Regulares certum est non subdi Ordinario loci, sed tantum suis Ordinariis regularibus, quoad stipendia Missarum, etiamsi regulares sint parochi. Decr. *Ut debita,* a. 4; S. C. C., 11 maii, 1904; 27 febr. 1905; Congr. Spiritus Sancti. Cfr. *Ferreres,* Misas man., nn. 34, 162, 181.

354 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.,* ut constat ex can. 838, num. praeced. citato. Ex can. autem 839, «qui Missas a fidelibus receptas aut quoquo modo suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderint, obligatione tenentur usque dum acceptatae ab eisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerint».

354 *c.* — *R. ad* 3m *Quaes.* Quoad tempus vide dicta supra, n. 351. Idem tempus utile conceditur quoties quis Missas celebrandas ab Ordinario acceperit. S. C. C., 27 febr. 1905: *Leopolien.* Cfr. *Ferreres,* l. c., 23, 162, 180.

Nota tamen Missas pro recenter defunctis generatim intra mensem

omnes esse celebrandas, nisi qui eas tribuit dominus sit stipendii aut a domino facultates acceperit ut maius tempus concedatur (1).

354 *d.* — *R. ad* 4^m *Quaes.* TITIUS non videtur reprehendendus eo quod Missas tradat sacerdotibus commorantibus in aliena dioecesi, non obstante Ordinarii prohibitione; dummodo tamen observet praescripta Codicis. Quoad tempus, nisi speciales facultates, sive expresse sive saltem implicite acceperit a testatore, Missae videntur celebrandae omnes intra mensem, si moraliter fieri possit, ut dictum est num. praecedenti.

SEMPRONIUS recte agit, etiam cum mittit stipendia ad confratres commorantes in ecclesiis quae in Oriente sitae sunt. Quamvis enim ex art. III decreti *Recenti*, «si qui vel Episcopi vel sacerdotes velint in posterum Missas, quarum exuberet copia, ad Antistites aut presbyteros ecclesiarum quae in Oriente sitae sunt, mittere, semper et in singulis casibus id praestare debebunt per S. Congregationem Propagandae Fidei»; attamen, ex declaratione S. C. C. 9 sept. 1907, Superiores regulares possunt stipendia *suis subditis* etiam in Oriente commorantibus mittere directe, *i. e.* sine interventu S. C. de Propaganda Fide. Iam vero SEMPRONIUS mittit de licentia sui provincialis, quod idem est ac si ipse provincialis mitteret. Cfr. *Razón y Fe,* vol. 18, pag. 522; vol. 20, pag. 503.

* CASUS XI *ter*

DETRACTIO PARTIS STIPENDII

TITIUS, parochus, Missarum collectorem habet qui iuxta consuetudinem a tempore cuius memoria non exstat, sibi retinet duo pro singulis centenis ex omnibus stipendiis quae ipsi tribuuntur ex tertia quam vocant paroecialem. Verum TITIUS post decretum *Ut debita* anxius est.

HINC:

QUAER. 1.° *An haec praxis licita sit?*
2.° *An 2 °/₀ retinere possit etiam ex Missis quae Ordinario in fine anni tradendae sint?*

SOLUTIO:

354 *e.* — *R. ad* 1^m *Quaes. Per se negative,* sed videtur requiri indultum apostolicum prout in causa Tarraconensi, ubi consuetudo retinendi partem stipendii a collectore dicitur viguisse a diuturno tem-

(1) Cfr. Card. *Gennari,* Consultazioni, vol. 1, *Cons.* 92, nn. 6 et 7; *Il Monitore,* vol. 9, part. I, pag. 15, 16; *Vermeersch,* De religiosis, supplementa periodica, vol. I, pag. 48, n. 4; *Ferreres,* l. c., nn. 25, 26, 131 *g,* 131 *l.*

pore. Omnes enim contrariae consuetudines sublatae sunt per decretum *Ut debita,* ut apparet ex clausula finali. Cfr. *Ferreres,* Misas man., nn. 177, 184. Quod in casu agatur de Missis quae ex quasi iure dioecesano debeantur paroeciae, rem non videtur mutare, cum ex una parte revera agatur de Missis manualibus et ex alia collectio facilior sit, seu minus laboriosa.

An et quatenus licita sit haec praxis *tertiae* (vel quartae) *paroecialis* Missarum testamento aut legato relictarum, vide apud *Ferreres,* l. c., n. 132 seq.

354 *f.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Si petatur indultum, facile concedetur etiam pro Missis Episcopo tradendis, ut patet ex Indulto pro Congregatione S. Salvatoris. Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 173-175, 183.

CASUS XII

APPLICATIONIS PERMUTATIO

TITIANUS, parochus, a nobili et piissima femina aureum accepit, ut Sacrum in altari B. M. Virginis die sabbati pro ipsa offerret. Sed hac eadem die debet etiam Sacrum facere propter recens defunctum. Quid faciet? pergit ad TIBURTIUM, sacerdotem sibi amicitia coniunctum: «Visne, ait, celebrare Missam absque stipendio, ad meam intentionem, die sabbati proxima, et ego die lunae tibi vicem rependam, Sacrum ad tuam intentionem faciendo?» TITIANI votis annuit TIBURTIUS. Sic utrique oneri eadem die satisfecit parochus, et aurem nummum sibi retinuit.

HINC:

QUAER. 1.° *An licite egerit* TITIANUS *permutationem intentionis cum alio sacerdote faciendo, aureo sibi retento?*

2.° *Quid si pia mulier, quae aureum erogaverat, conditionem apposuisset ut ipse* TITIANUS *Sacrum ad suam intentionem faceret?*

SOLUTIO:

355. — *R. ad* 1m *Quaes. Probabiliter affirm.:* duplex enim datur sententia probabilis: I.a SENTENTIA *negat,* quasi hoc non possit excusari a specie turpis lucri. — Ita *S. Alph.,* n. 332, dub. 4, qui tamen addit, de *gravi* peccato damnandum id non videri. Item etiam *Marc,* Inst. mor., n. 1612; *Berardi,* Praxis, vol. 3, n. 401; *Constantini,* Inst. th. mor., n. 718; *Gasparri,* De Euch., n. 610; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 3, n. 537, not. 105. Innituntur praesertim decreto Innoc. XII, et sententia S. C. C., *in Volaterrana,* 6 maii 1865, apud *Acta S. Sedis,*

vol. 2, pag. 194-205. Cfr. etiam *Thesaurus resol. S. C. C.*, vol. 123, pag. 142 seq., et vol. 124, pag. 181 seq.

II.ª SENTENTIA *affirmat* cum *Lacroix*, n. 134, *et aliis*. Ita etiam *Ball.-P.*, n. 1018; *De Varceno*, cap. 3, a. un.; *D'Annibale*, 3, n. 190, not. 18; *Sabetti*, n. 712, q. 5; *Génicot*, n. 231, VIII; *Noldin*, De Sacram., n. 189, 4; *Many*, De Missa, n. 97; *Pezzani*, Codex, ad can. 817 et 818. Haec sententia probabilitatem retinet etiam post decretum *Ut debita*. Cfr. *Il Monitore*, vol. 16, pag. 468, q. 91, cui sententiae favere videtur praxis timoratorum. Huic adhaeret *Buccer.*, 2, n. 628, si commutatio fiat pro *occurrente quodam casu;* non autem si id fiat saepe, vel ex industria, studiosa nempe captatione pinguioris stipendii. V. **Comp.**, n. 479.

356. — *R. ad* 2m *Quaes.* Nihilominus TITIANUS obligationi suae satisfecisset. Ratio est, quia huiusmodi conditio minime afficit substantiam contractus, quae est ut missa celebretur ad altare B. Virginis tali die. Circumstantia enim celebrantis est mere accidentalis, et quidem levissima. Mulier igitur non censeretur voluisse ponere hanc conditionem, velut esset conditio *sine qua non*.

CASUS XIII

MODUS CELEBRANDI 1.°

Errans in Missa

FLORIMUNDUS, sacerdos, non mediocriter distractus, varios errores in celebratione Missae committit. 1.° Aliquando, dum devote orationem dominicam recitat, attonitus et obstupefactus advertit se iam huc usque advenisse, quin ullo modo de facta consecratione recordetur. Totus animo perturbatus, omnia a consecratione repetit. 2.° Alias dum pervenisset ad *Memento mortuorum*, admonetur ab alio sacerdote, in ecclesia praesente, se calicis consecrationem omisisse. Hanc illico supplet, et omnia ab ipsa repetit. 3.° Alias discooperto calice, facta genuflexione, accepta hostia, ad signa crucis de more ducenda, simulatione signorum deceptus eam frangit, et immissa in calicem particula, alacriter et fervide pectus tundendo, recitat *Agnus Dei*, etc. Sed ecce perterritus advertit ad nimiam festinationem, et ad notabilem omissionem; tantum enim ad orationem dominicam pervenerat. Nihilominus prosequitur, retrogredi coram assistentibus non audens. 4.° Alias etiam, dum intendit signare calicem cum hostia, ecce, nescio quo casu, haec in calicem integra decidit, totaque Christi sanguine perfunditur et imbibitur. Quid faciet miser? et quomodo signa peraget quae cum hostia peragenda sunt? Plane ignorat; quapropter haec omnia omittit.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quando repetenda sint verba aut signa, sive certo, sive dubie omissa?*

2.° *Quid dicendum de* FLORIMUNDO *in singulis casibus?*

SOLUTIO:

357.— *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Si dubium consecrationem ipsam afficiat, et videatur fundatum, sub conditione ea repetenda est Si vero dubium circa alia verba, signa, vel actus versetur, nihil est repetendum, quia ex una parte iis probabiliter satisfactum fuit, et ex alia parte haec ad actionis sacrae essentiam non pertinent, nec eam invalidam efficere possunt.

2.° Si de omissione verborum, vel rituum, extra consecrationem constet, repetenda erunt ea quae omissa sunt, si sint notabilis momenti, et facile absque incommodo et populi admiratione repeti possint; secus transmittenda sunt, et actio sacra prosequenda est.

358.— *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° *In primo casu,* si dubium sit prudens, potuit FLORIMUNDUS et debuit repetere consecrationem ab illis verbis: *Qui pridie quam pateretur,* absque hostiae elevatione, et absque aliis orationibus et ritibus, et prosequendum est ab eo loco ad quem iam pervenit.

2.° *In secundo casu* debuit repetere tantum consecrationem calicis ab illis verbis: *Simili modo, postquam cenatum est,* et facta illa consecratione secreto, quin populus, si adsit, ad errorem advertere possit, cetera omnia transmittenda sunt.

3.° *In tertio casu,* si privatim celebret FLORIMUNDUS, omnia omissa repetat, seu a signis et ritibus qui orationem dominicam praecedunt. Similitudine enim signorum deceptus, fregit hostiam, dum debuisset tantum cum ea calicem signare dicens: *Per ipsum et cum ipso,* etc. Si adsit populus, et ad errorem advertere possit, omissa transmittenda sunt, ne ansa obmurmurandi fidelibus praebeatur.

359.—4.° *In quarto casu,* sic in *Rubricis missalis,* De defect., § 10, n. 10: «Si hostia consecrata dilabatur in calicem, propterea nihil iterandum, sed sacerdos Missam prosequatur, faciendo caeremonias et signa consueta cum residua parte hostiae quae non est madefacta sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicet omittendo signa, et sumat pariter corpus et sanguinem, signans se cum calice, et dicens: *Corpus et sanguis D. N. I. Ch.,* etc.».

CASUS XIV

MODUS CELEBRANDI 2.°

Perplexus celebrans

LAMBERTINUS, neosacerdos, cum celebrando ad communionem sub specie vini pervenisset, aquam bibere sibi videtur. Obstupefactus quaerit ex ministro an erraverit in porrigendo debito urceolo? Aspicit hic urceolum, negatque se errasse. At LAMBERTINUS rursus calicem ori admovens, iudicat in eo non esse vinum, sed meram aquam. Idcirco iubet ministro, ut ex urceolo fundat aliquid in volam manus, exploretque quid in eo continetur. Mandato obtemperat minister, et fatetur se errasse, et aquam pro vino ministrasse. Quid vero faciet celebrans? Non est ieiunus, cum aquam licet modicam biberit. Ex alia parte inceptum sacrificium perfici necesse est. Sed quid supplendum, aut iterandum? Haec intra se diu revolvit LAMBERTINUS. Tandem iubet afferri vinum cum nova hostia; utramque consecrationem iterat, et populo adorandam hostiam denuo attollit, omnemque canonem a consecratione ad communionem repetit cum magna adstantium admiratione. Absoluto autem Sacro, postulat anxius LAMBERTINUS utrum recte egerit, vel quid sibi fuisset faciendum?

HINC:

QUAER. 1.° *An utraque consecratio fuerit iteranda?*
2.° *An omnia verba et omnes caeremoniae repetendae?*
3.° *Si celebrans adhuc habeat aquam in ore, an eam deglutire possit?*
4.° *Quid, si sacerdos in sacristia, absoluto Sacro, indagando deprehendisset se loco vino aquam consecrasse?*
5.° *Quid, si sacerdos stans ad altare dubitet an materia quam consecravit sit vinum vel aqua?*

SOLUTIO:

360.—*R. ad* 1m *Quaes. Controvertitur.* Affirmat *S. Thomas,* etc. Negant vero alii insignes theologi, quia videtur compleri prius sacrificium, potius quam inchoari novum. In praxi serventur *Rubricae missalis,* De defect., tit. 4, ubi praescribitur ut nova hostia etiam consecretur in hoc casu, si secluso scandalo fieri possit; secus vero ut solum vinum consecretur.

361.—*R. ad* 2m *Quaes. Neg.* Satis est enim repetere ea quae ad ipsam consecrationem pertinent, incipiendo pro priori consecratione a

verbis: *Qui pridie quam pateretur...*, et pro altera, a verbis: *Simili modo...* Sed oblatio hostiae et calicis mentaliter fieri debet ante primam consecrationem.

R. ad 3m *Quaes. Affirmat.* Ratio est, quia inconveniens foret quod sacerdos aquam reiiciat, praesertim si iam hauserit particulam consecratam, ad quam sollicite in tali casu attendere debet. Nec obstat quod hoc modo ieiunium naturale frangat, quia in illis circumstantiis id servatu moraliter impossibile factum est. Si particula adhuc sit in calice, aquam effundat in vasculo mundo, retenta particula in calice, vel eam reverenter sumat. Aquam vero effusam sumat post ablutionem, vel postea in piscinam mittat.

362. — *R. ad* 4m *Quaes. Controvertitur.* Alii cum *Suárez, Tamburino, Gobat,* dicunt defectum Missae non esse supplendum, quia non potest tunc haberi continuatio eiusdem actionis. — Sed *communior* sententia docet esse supplendum, si in sacristia sit locus aptus consecrationi; quia defectus substantialis corrigendus est, quoties continuo tempore corrigi potest: atqui tempus quo sacerdos ab altare revertitur ad sacristiam, censetur moraliter continuum cum sacrificio; ergo defectus supplendus est, modo sacerdos vestes sacras iam non deposuerit. Haec sententia sequenda videtur. Sic *Elbel,* n. 149.

363. — *R. ad* 5m *Quaes.* Si sacerdos prudenter dubitet utrum consecraverit vinum, vel aquam, et, omnibus perpensis, dubium vincere nequeat, tenetur consecrare aliud vinum certum, si, secluso scandalo, fieri possit. Ratio est, quia secus sacerdos se exponit periculo relinquendi sacrificium mutilum et mancum. Hoc autem nunquam faciendum est, quando sacrificium facile perfici potest. Ergo... *Elbel,* ibid.; *Lacroix,* n. 535, etc., contra *plures.*

CASUS XV

DE RUBRICIS 1.°

Quanta sit earum obligatio

PANCRATIUS, sacerdos, rubricistarum non primipilus, facile omnes difficultates in Sacro faciendo solvit, immo saepius servare caeremonias aut rubricas parum curat. Quare: 1.° Saepe celebrat sine amictu, manipulo, cruce, candelis cereis, quia haec non statim sub manu invenit. 2.° Item celebrat cum primo occurrente paramento cuiusvis coloris, etiam nigri, licet pro vivis celebret. Immo aliquando Missam *de Requiem* legit, eam vivis applicando. 3.° Sacrum adeo celeriter peragit, ut intra quartam horae partem illud absolvat. 4.° Facile omittit varia crucis signa, genuflexiones, orationes, seu commemorationes, *Gloria, Credo,* plura verba canonis, v. gr. Sanctorum nomina. 5.° Ordinarie

etiam omittit preces ante vel post Missam recitandas, seu in rubrica adnotatas pro praeparatione vel gratiarum actione, necnon preces singulas vestes induendo recitandas.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quomodo obligent rubricae quoad Missam?*
2.° *Quid in genere de* PANCRATIO *sentiendum?*
3.° *An vel quomodo in singulis peccaverit?*

SOLUTIO:

364. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Omnes rubricae quae servantur *intra Missam* sunt *praeceptivae,* iuxta communiorem sententiam, cum rem adeo sacram respiciant. Obligant autem sub gravi, vel sub levi, pro gravitate vel levitate materiae. Id confirmari videtur ex Codice: Reprobata quavis contraria consuetudine, etiam immemorabili, sacerdos celebrans: *a)* accurate ac devote servare debet *rubricas Missalis* proprii ritus, et *b)* cavere ne alias *caeremonias* aut preces proprio arbitrio *adiungat* (can. 818). **Comp.,** n. 513.

2.° Rubricae servandae *extra Missam,* id est, ante vel post Sacrum, communiter habentur ut mere *directivae:* tales sunt, v. gr. orationes pro praeparatione vel gratiarum actione. *Ephemerides liturgicae* plane admittunt «non esse obligantes Rubricas *(Missalis)* ante et post Missae actionem, ex communi doctorum sententia, quae non est mutanda, cum haec semper, acquiescente legislatore, interpretationem habuerint» (vol. 17, pag. 157, 158). — Hoc tamen non est indiscriminatim transferendum ad rubricam aliorum librorum liturgicorum, v. gr. breviarii, ritualis, etc. *Ephemer.,* l. c.

Controvertitur tamen quoad orationes quae recitandae sunt induendo vestes sacras; sed communis sententia tenet cum *S. Alph.* eas, secluso peccato veniali, ommitti non posse. Tenet autem *Suárez,* hanc omissionem omni culpa vacare.

365. — *R. ad* 2m *Quaes. In genere* PANCRATIUS a peccato mortali excusari nequit, ob maximam incuriam quam in rebus adeo sacris habere videtur. Sane merito censetur incurrere illud anathema: *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Ierem., 48, 10 (1).

366. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Non peccat graviter celebrando sine amictu, manipulo, cruce; secus, quando celebrat sine ullo lumine. Attamen, si unica sit candela cerea, veniale tantum erit, et, data causa, omni culpa carebit. *S. Alph.,* n. 394. — V. **Comp.,** nn. 500, 507, etc.

2.° Peccat venialiter *per se,* non servando colorem ritui convenientem. Satisfacit vero substantiae obligationis applicando vivis Missam cum colore et ritu defunctis consueto celebratam; sed peccato veniali non caret. *S. Alph.,* n. 378. — V. **Comp.,** nn. 483, 501.

(1) Ex Codice: «Clerici maiores, qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter negligant et moniti sese non emendaverint, suspendantur pro diversa reatus gravitate» (can. 2378).

3.° Peccat graviter Sacrum ita celeriter faciendo, ut illud intra quartam horae partem absolvat. Ratio est, quia in tam brevi tempore duos graves defectus committere debet: alterum gravis irreverentiae erga SS. Sacramentum, alterum gravis scandali erga populum. *S. Alph.*, n. 400. — V. **Comp.**, n. 490.

4.° *Per se,* venialiter tantum peccat omittendo seorsim varia crucis signa, genuflexiones, orationes, commemorationes, modo non omittat tres aut etiam duas orationes proprias Missae celebratae. Item, si pauca verba canonis, ut nomen unum vel alterum alicuius Sancti praetermittat, etc. Item, si omittat *Gloria* vel *Credo;* et idem dicendum de qualibet omissione orationum, vel eorum omnium quae sunt *extraordinaria* in Missa occurrente, seu quae non semper in Sacro peraguntur, ut symbolum nicaenum, si haec seorsim sumantur. *S. Alph.*, n. 409. — V. **Comp.**, n. 519.

5.° Minime peccat omittendo rubricas extra Missam servandas, exceptis probabilius orationibus quae induendo vestes sacras recitandae sunt, iuxta dicta supra in responsione ad 1m quaes.

* CASUS XV *bis*

DE RUBRICIS 2.°

De collectis ab Ordinario imperatis

Cum TITIUS, Episcopus, duas imperasset collectas habitualiter (permittente Rubrica) dicendas, quibus postea et tertiam addidit ad petendam pluviam, CAIUS sacerdos existimavit Episcopum nonnisi unam collectam posse imperare, immo dictitabat ex novis Rubricis nunquam fere esse locum tribus collectis dicendis, cum raro accidat unam vel duas non occurrere commemorationes, ideoque tertiae vel etiam secundae collectae non esse locum.

HINC:

QUAER. 1.° *An et quot collectas Episcopus possit imperare habitualiter dicendas diebus a Rubrica permissis, et an mandatum renovare debeat?*

2.° *An, quando et quot collectae dici possint?*

SOLUTIO:

366 *a:* — *R. ad* 1m *Quaes. Affirmative,* cum ius permittat Episcopo duas collectas imperare est, ut ex n. seq. patebit. Nec opus est mandatum innovare dum Episcopus sedem retinet. Cfr. *Van der Stappen,* Sacra Liturgia, vol. 2, q. 103 seq.

366 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Ex nov. *Rubr.* (Tit. VI, n. 4): *a)* Orationes seu collectae ab Ordinario imperatae *nunquam plures sint*

quam duae; b) eaeque ponuntur, et nunquam sub unica conclusione cum oratione Missae, *ultimo loco post orationes a rubricis praescriptas,* vel loco orationis ad libitum pro diversitate temporum assignatae, quoties nempe tertia Oratio ad libitum sit eligenda. *c) Omitti* tamen *debent,* propter respectivam Missam vel commemorationem, in omnibus duplicibus I et II classis, in dominicis maioribus, nisi loco orationis ad libitum prima ex iis eligatur, in feriis, vigiliis et octavis privilegiatis, in Missis votivis pro re gravi et publica simul causa vel ad instar sollemnium, ut supra, celebratis, et quoties in Missa, iuxta Rubricas, *iam quatuor dictae sint Orationes;* quinimmo collectae pro Defunctis (quae, secus atque aliae collectae, in Missis etiam de Requie tres admittentibus orationes, quovis anni tempore, locum habent) omitti insuper debent *tempore paschali,* et in omnibus Missis quae de officio duplici vel semiduplici aut cum alterius commemoratione celebrentur. *d)* Et, si iussa fuerit oratio contra persecutores Ecclesiae vel pro Papa, in diebus in quibus alterutra a Rubricis praescribitur, unica oratione utrumque adimpletur praeceptum.

e) Si tamen, iubente Ordinario, huiusmodi collectae fuerint pro re gravi dicendae, omittuntur tantum in Vigilia Nativitatis et Pentecostes, in Dominica Palmarum, et in omnibus duplicibus I classis. *f)* Quot si expresse eae ordinentur dicendae etiam in duplicibus I classis, tunc omittuntur tantum Nativitate Domini, Epiphania Domini, Feria V in Cena Domini, Sabbato Sancto, Dominica Resurrectionis, Ascensione Domini, Pentecostes, Festo Sanctissimae Trinitatis et Festo Sanctissimi Corporis Christi.

Igitur quoties non dicantur plus quam tres orationes a Rubrica praescriptae, si dici potest collecta, debent dici tot quot sint imperatae, dummodo orationes a Rubrica praescriptae simul cum collectis imperatis non excedant septenarium numerum (S. R. C., 22 mar. 1912, ad XI; 19 apr. 1912, ad VIII). Cfr. *Mach-Ferreres,* vol. 1, n. 574 seq., ed. 15.ª, 1920. Ergo in casu quamvis Rubrica praescribat tres orationes, adhuc locus esse potest tribus collectis ab Episcopo imperatis.

CASUS XVI

DE RUBRICIS 3.°

Celebrans abundans et deficiens

GENEBALDUS, sacerdos, dum Sacrum faceret, voluit iuxta praescriptum rubricarum vino consecrando aquam admiscere. Verum, praeter intentionem suam, tantum aquae effudit, ut dubitare licuerit an non superaret vinum calici prius infusum. Haeret anceps et dubius an novum vinum sit addendum, vel tota commixtio effundenda ad aliam

congruam iterandam. Attamen consecrationem peragere statuit. Alia autem die, ut praedictum vitaret excessum, cautissime procedens, unicam dumtaxat guttulam aquae cochleari haustam ex urceolo miscuit vino, sed ita ut rursus dubitarit an guttula illa revera vinum attigerit, an vero potius in cuppa calicis inhaerens permanserit. Idem GENEBALDUS, ut vino parceret, vel etiam ut purificatorium mundius servaret, sola aqua etiam in prima ablutione uti solet.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quomodo peccaverit* GENEBALDUS, *aquam nimiam vel permodicam effundendo in calicem, ut in casu?*

2.° *Quanta aqua vino immiscenda sit?*

3.° *An liceat cochlearis usus ad aquam in calicem infundendam?*

4.° *An vel quomodo peccaverit* GENEBALDUS *solam aquam in ablutionibus faciendis adhibendo? et an in hoc dari possint causae excusantes?*

SOLUTIO:

367. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° GENEBALDUS peccavit graviter *in primo casu* consecrando vinum, cui tantum aquae admiscuerat, ut dubitaret an non superaverit vini quantitatem. Ratio patet. Etenim vinum tanta aqua delibutum, erat materia dubia; porro citra peccatum grave non licet consecrare materiam dubiam, nisi in casu necessitatis, seu ad perficiendum sacrificium certo nullum, si materia certo valida desit. Ergo GENEBALDUS debuisset calicem omnino evacuare, et novum vinum infundere, vel saltem eidem materiae in calice contentae immiscere tantum vini, ut iudicare posset materiam esse certo validam.

2.° Etiam graviter peccavit *in secundo casu,* ubi dubitavit utrum vere guttula aquae vino admixta fuerit. Ratio est, quia sine causa se exposuit periculo transgrediendi praeceptum in materia graviter obligante. Etenim, hoc ipso quod GENEBALDUS dubitet an guttula vinum attigerit, pariter dubitat an aquam vino immiscuerit. Porro qui sine causa se exponit periculo transgrediendi praeceptum Ecclesiae graviter obligans, graviter peccat; ergo graviter peccavit GENEBALDUS. Igitur dubium suum dirimere debuisset, unam saltem guttam aquae calici infundendo, ita ut certus esset eam vino immixtam fuisse. *Lacroix,* n. 450; *Elbel,* n. 19; *Sporer,* etc.

368. — *R. ad* 2m *Quaes.* Sufficit ut modicissima quantitas aquae vino infundatur, ut dicit Conc. *Florent.* Una sola gutta sufficeret, si certo constaret eam fuisse vino immixtam; sed generatim convenit infundere saltem septem vel octo guttas, ut magis constet eas quantitati vini esse iunctas. Si *octava pars* aquae vino infunderetur, materia remaneret valida et licita, iuxta communem sententiam. Immo iuxta *Lacroix, Elbel, Gobat, Sporer* et alios non paucos, aqua infundi

posset usque ad *quintam partem;* et iuxta *S. Thomam* cum aliis valida est consecratio, modo aqua *tertiam* vini partem non superet. Quod si involuntarie nimiam aquam infuderis, iterum aliqua vini quantitas tibi adiicienda erit. *S. Alph.,* n. 210.

369. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.* S. enim R. C. die 6 febr. 1858, ad 4, respondit: «usum parvi cochlearis non esse prohibitum» *(Decr. auth.,* n. 3064).

R. ad 4m *Quaes.* Peccavit tantum venialiter GENEBALDUS in secundo casu, seu utendo sola aqua in calicis purificatione, iuxta communem sententiam. Posset aliquando in hoc sacerdos eximi ab omni peccato ex causa sufficienti, v. gr. si esset abstemius; vel si vinum esset rubeum, quo purificatoria evaderent indecenter maculata. *S. Alph.,* n. 408; *Lacroix,* n. 423.

CASUS XVII

DE RUBRICIS 4.°

Parum solers et infelix celebrans

ASCANIUS, neosacerdos, Sacrum faciens, dum vult amovere candelabrum quo missale impeditur, illud evertit et lumen exstinguit. Dum autem vult candelam exstinctam ad aliam accedere, celerius agendo etiam hanc restinguit. Nihilominus Missam prosequitur, dum minister ad ignem quaerendum discedit, licet iam canon Missae inceptus fuerit. Peracta consecratione, cum propius et citius calicem signaret, illum infelici casu tangendo evertit, ita ut una sola sanguinis gutta in eo remaneat. Quid faciet ASCANIUS in tantis constitutus angustiis? Dubitat an novam calicis consecrationem facere debeat. Eam tamen omittendam esse potius iudicat. — Nondum malorum finis! Facta communione, se accingit ad Eucharistiam fidelibus ministrandam. Sed heu! dum scalas altaris descendit, fallente pede, ciborium e manibus excidit et sparsas passim hostias colligere debet. Subinde accedit ad communicaturos; sed manu tremula hostiam porrigens, modo genas, modo mentum communicantium tangit, antequam ad os deveniat. Tandem dum Eucharistiam mulieri ministraret, sacra hostia labia tangens e manu excutitur, et in collum et intra vestes huius feminae decidit, ita ut a sacerdote minime accipi potuerit.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quomodo peccaverit* ASCANIUS *Missam sine lumine prosequendo; vel quid facere debuisset?*

2.° *An consecrationem vini iterare debuerit?*

3.° *An vel quomodo debuerit facere purificationem*

omnium rerum et locorum a SS. Sanguine, vel sacris hostiis tactorum?

QUAER. 4.° *Quid, si hostia decidat in vultum aut vestes communicantium?*

5.° *Quid faciendum, si hostia in sinum mulieris delapsa fuerit?*

SOLUTIO:

370. — *R. ad* 1m *Quaes.* Infelix ASCANIUS sane in praxi est omnino excusandus a culpa ratione simplicitatis, perplexitatis, et animi perturbationis. Sed, exstincto utroque lumine, consistere debuisset, praesertim incepto canone. Immo, si lumen haberi non potuerit ante consecrationem, vel diu exspectandum fuerit, debuisset sacerdos a Missa desistere. Si lumen post consecrationem omnino defecerit, debuit aliquantisper consistere; attamen, si candelae nequivissent statim accendi, melius fuisset pergere, ne deficeret sacrificii unitas. Saltem non fuisset diu exspectandum, v. gr. ad quadrantem. Non licet autem unquam Sacrum absque ullo lumine facere, nisi forte ad Viaticum moribundo deferendum. Sed in casu necessitatis licet celebrare cum sola una candela, etiamsi non esset cerea, immo, si nulla haberetur, cum sola lampade accensa, seu cum solo oleo.

371. — *R. ad* 2m *Quaes.* ASCANIUS recte iudicavit consecrationem non esse iterandam. Ratio est, quia cum remaneat pars aliqua sanguinis vere sensibilis, quae per modum potus sumi potest, satis est ut sacerdos sub utraque specie communicet. Constat etiam ex rubricis missalis in responsione ad quaesitum sequens referenda.

372. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Si hostia decidat in terram, locus est signandus, tegendus, et postea lavandus et radendus; si decidat in mappam, vel sacras vestes, locus notandus et postea abluendus.

2.° Si sanguis Christi effundatur in terram, vel in altare, sacerdos ore colligat, in quantum fieri potest, et postea lavet locum et radat, si terra vel lignum sit. Si triplex linteum altaris sanguine imbutum fuerit, triplex ablutio requiritur, et in omni casu aqua ablutionis in sacrarium proiicienda est. Sic enim *Rubricae missalis,* De defec., n. 15: «Si hostia consecrata, vel pars aliqua eius dilabitur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit mundetur, et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio huiusmodi in sacrarium mittatur. Si ceciderit extra corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum huiusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium mittatur».

Et n. 12: «Si aliquid de sanguine Christi ceciderit super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur, quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat sacerdos stillam, et locus ipse bene abluatur, et ablutio in sacrarium proiiciatur. Si super linteum

altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit, si usque ad tertium, linteamina abluantur ter, ubi stilla ceciderit, calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium proiiciatur; quod si in corporali, aut in vestibus sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra».

Et n. 13: «At, si contingat totum sanguinem post consecrationem effundi, siquidem aliquid vel parum remansit, iliud sumatur, et de effuso reliquo sanguine fiat ut dictum est. Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco: *Simili modo postquam cenatum est...*, facta tamen prius calicis oblatione, ut supra».

373. — *R. ad* 4m *Quaes.* Si hostia decidat in vultum aut vestes communicantium quorumlibet, omittenda est purificatio, quia melius est vitare admirationem et turbationem communicantium et aliorum quam servare rubricam, quae, cum sub levi tantum obliget, in his adiunctis recte omitti potest. *S. Alph.*, n. 250; *Lacroix.*

374. — *R. ad* 5m *Quaes.* Ipsa mulier debet hostiam extrahere et porrigere sacerdoti, ab illa eam recepturo. Sic *Benedictus XIV,* De sacrificio Missae. Digiti vero mulieris ablui debent. V. **Comp.,** n. 393; *S. Alph.*, ibid.

CASUS XVIII

DE RUBRICIS 5.°

Aranea in calicem delapsa

PANTALEO, iunior sacerdos, alacriter et fervide Sacrum faciebat, minime praesentiens quid sibi mox futurum esset. Cum ad sanctissimi sanguinis participationem devenit, discooperto calice, dum genuflecteret, ecce, mirabile visu! ingens et horrenda aranea desuper in calicem illabitur. Obstupefactus inhorrescit sacerdos! Sed quid miser faciet? An potus sacer cum invisa bestia absorbendus? An vero, amoto pestifero animali, exhauriendus solus Christi sanguis? Sed forte iam veneno fuit imbutus, et poculum vitae mortem afferet. Tandem, re diu perpensa, accepta ingenti spinula araneam pungit, et ad flammam candelae comburit; subinde, sacro sanguine in vas aliud effuso, postea in sacrarium proiiciendo, iubet novum vinum afferri, et consecrationem calicis solam iterat.

HINC:

QUAER. 1.° *An recte egerit* PANTALEO, *vel quid faciendum fuisset?*

2.° *Quid si musca in calicem decidat?*

SOLUTIO:

375.—*R. ad Quaesitum utrumque.* Sic ex *Rubricis missalis,* De defect., n. 5: «Si musca vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, proiiciat vinum in locum decentem, et aliud ponat in calicem, misceat parum aquae, offerat, et prosequatur Missam. Si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid eiusmodi, et fiat sacerdoti nausea, extrahat eam, et lavet cum vino; finita Missa, comburat, et combustio ac lotio eiusmodi in sacrarium proiiciatur. Si autem non fuerit ei nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum sanguine».

Et n. 6: «Si aliquid venenosum ceciderit in calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio calice, et aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum. Finita Missa, sanguis repositus in panno lineo, vel stupa, tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatae, et tunc stupa comburatur, et combustio in sacrarium proiiciatur».

376.—Ex his patet, in quibus erraverit PANTALEO: 1.° Non debuit araneam, sanguine Christi madefactam, comburere, quin prius eam vino lavaret. 2.° Non debuit bestiolam comburere tunc temporis, sed finita Missa. Potuit tamen eam statim enecare, ne abiret. 3.° Non debuit vinum consecratum, seu Christi sanguinem proiicere in piscinam, sed debuit curare ut prius exsiccaretur in stupa eo imbibita, ut in rubricis adnotatur.

Quid vero agendum celebranti, si, sumpto Christi sanguine, particula hostiae in calice remanserit, ut quandoque contingit? *Resp.* Sic statuitur in rubricis, ibid.: *Si, sumendo sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam abducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum, et sumat.*

* CASUS XIX

DE MISSA A COMMUNIONE IN NOCTE NATALIS DOMINI AC DE PRECIBUS POST MISSAM DICENDIS VEL OMITTENDIS

TITIUS, capellanus monialium Sanctae Clarae, Missam cotidie conventualem celebrare debet, et post ipsam, nunquam praescriptas a Leone XIII recitat preces, quamvis Missa non sit cantata. Cum vero hoc anno moniales velint tria Sacra audire nocte Natalis Domini, ipse statuit duo facere (tertium faciet mane hora consueta), et advocare alium sacerdotem, SEMPRONIUM, qui tertium statim post ipsum celebret Sacrum.

SEMPRONIUS vero capellanus est religiosarum votorum simplicium, quae ex constitutionibus cotidie recitant parvum officium B. M. V.

In ipsarum sacello faciet unum Sacrum eadem nocte, aliud in ecclesia clarissarum, tertium mane hora octava, ut assistant et communicent sodales mariani, qui cantant, etiam durante Missa, officium parvum B. M. V. Etiam SEMPRONIUS preces omittit post Missam communitatis cum aliqua sollemnitate celebratam, et omittere statuit in Missa illa, cui sodales mariani intersunt.

In omnibus Missis illius noctis communionem quibuscumque petentibus distribuere volunt.

HINC:

QUAER. 1.° *An, ubi et quot Missas celebrare liceat in nocte Natalis Domini, et an in ipsis Eucharistiam distribuere liceat?*

2.° *Quid sit Missa conventualis, et quibus in Missis dicendae aut omittendae sint preces praescriptae a Leone XIII?*

3.° *Quid ad singulos casus?*

SOLUTIO:

376 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes.* Iure communi in nocte Nativitatis Domini inchoari media nocte potest sola Missa conventualis, vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indulto (can. 821, § 2) (1).

In omnibus Missis quae hac nocte licite celebrantur potest distribui Eucharistia quotiescumque, iudicio saltem Ordinarii, adsit rationabilis causa id faciendi. Comm. Cod., resp. ad Episc. Tuguegaroan. Cfr. **Comp.,** n. 394.

376 *b.* — Verum ex speciali privilegio a Pio X concesso 1 aug. 1907, «in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis Institutis, piis domibus et clericorum Seminariis, publicum aut privatum oratorium habentibus cum facultate sacras species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. Ch. tres rituales Missae vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum cotannis celebrari sanctaque communio omnibus pie petentibus ministrari» potest. Cfr. *Ferreres,* La Comunión, n. 273. Sed hoc intellige clausis ianuis et in oratoriis tantum, non in ecclesiis. S. Off., 26 nov. 1908. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 280 seq.

376 *c.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Missa conventualis est quae cotidie in ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus celebratur secundum ordinem officii. *De Herdt,* Sacrae liturg. praxis, vol. 1, n. 13. Igitur ubi non adest officiatura choralis, quamvis cotidie cantetur officium parvum B. M. Virginis, Missa non est conventualis.

---

(1) Qui licite celebrare possunt Missam in sacellis navium Societatis Transatlanticae Barcinonensis, in nocte Natalis Domini, celebrationem incipere possunt statim post mediam noctem, ex privilegio concesso ex Audientia SSmi., die 20 april. 1916, *ad decennium.* **Comp.,** n. 485.

376 *d.* — Preces omitti debent in omnibus Missis cum cantu celebratis, itemque in omnibus Missis conventualibus etiam si celebrentur sine cantu (S. R. C., 7 dec. 1888, n. 3697); in Missa votiva lecta de S. Corde Iesu (8 iun. 1911, n. 4271) necnon in similibus Missis lectis, ex. gr. occasione primae communionis, aut communionis generalis, sacrae confirmationis vel ordinationis aut pro sponsis, si Missa cum aliqua sollemnitate celebretur, vel Missam, quin celebrans ab altari recedat, immediate ac rite subsequatur aliqua sacra functio seu pium exercitium (S. R. C., 20 ian. 1913: *Acta,* V, pag. 311). Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 36, pag. 509. Quod si duae vel tres Missae ab eodem sacerdote dicuntur quin hic discedat ab altari, ut in festo Natalis Domini, in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum), preces dicendae sunt in fine ultimae Missae tantum (S. R. C., 30 apr. 1889); et omnino omittendae, si haec ultima fuerit cantata.

376 *e.* — Dicendae vero sunt in reliquis omnibus Missis sine cantu, etiamsi paroeciales fuerint (S. R. C., 28 maii 1897).

376 *f.* — *R. ad* 3m *Quaes.* Titius optime facit omittendo preces post Missam, quia illae Missae monialium Sanctae Clarae utpote quae divinum officium cotidie recitant in choro, vere sunt Missae conventuales; nec male omittit Sempronius, ut ex dictis patet. Quoad communionem, bene Titius potuit eam distribuere in Missis legitime celebratis. Potuit etiam Titius illas duas Missas celebrare nocte et tertiam mane; sed Sempronius illa nocte non potuit Missam celebrare in ecclesia in qua iam Titius celebraverat. Decretum Pii X permittit in casu ut celebrentur quidem tres Missae (et consequenter vel duae) sed *rituales,* i. e. permittit ut *unus idemque* sacerdos celebret tres Missas, aut duas, aut unam prout *ritus* illius diei, uni eidemque sacerdoti permittit; non autem concedit ut illa nocte duo aut tres sacerdotes in eadem celebrent ecclesia. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 289 seq.; *Vermeersch,* De religiosis, suppl. period., vol. 3, pag. 170.

CASUS

DE SACRAMENTO PAENITENTIAE

DE NATURA PAENITENTIAE

SEU

De materia sacramenti paenitentiae; de eius forma absoluta; de forma conditionata

CASUS I

MATERIA PAENITENTIAE 1.°

GERMANA, senicula, sic confitetur: «Pater, inquit, paenitentiam in ultima confessione mihi iniunctam peregi. Singulis diebus interfui Missae. Nemini male volui. Divinis inspirationibus non sat fidelem me praebui. Fortasse distractiones habui inter orandum, quibus forsan consensi; sed quoties ad illas adverto, quantum possum, repello. Aliud, quod confitear, non habeo. Sumus omnes peccatores et filii Adae, hoc verum est. Promitto emendationem. Timeo iudicium divinum et aeternam damnationem. Humiliter peto paenitentiam peccatis meis proportionatam, et sanctam absolutionem. *Mea culpa, mea maxima culpa*». Rogat et urget confessarius, ut GERMANA peccatum aliquod vitae praeteritae in specie exprimat; sed nullum prorsus ab ea emungere potest, nec aliud responsum obtinet praeter istud: *Pater, nihil mihi superest dicendum*. Confessarius, non parum intricatus, eam absolvit et a se dimittit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit materia sufficiens et necessaria sacramenti paenitentiae?*

2.° *An* GERMANA *valide et licite absolvi potuerit; vel quid fuisset confessario agendum?*

3.° *An peccata iam remissa sint materia huius sacramenti?*

QUAER. 4.° *An necesse sit, vel expediat peccatum vitae praeteritae a paenitente exquirere, ubi materia dubia vel levis tantum ab eo offertur?*

SOLUTIO:

377. — *R. ad* 1m *Quaes.* Materia *necessaria* paenitentiae, ratione praecepti confessionis, sunt omnia peccata mortalia post baptismum commissa, nec unquam vi clavium *directe* remissa. Ratione vero sacramenti, materia necessaria et *sufficiens* est peccatum aliquod etiam levissimum inter venialia, modo sit offensa Dei, et quamvis iam sit confessum et directe remissum, ut postea dicetur. Omnia autem venialia (vel mortalia iam directe remissa) quaecumque sint, sigillatim sumpta, materiam *liberam* constituunt. Conc. *Trid.*, sess. 14, c. 5. — V. **Comp.**, n. 525.

378. — *R. ad* 2m *Quaes.* GERMANA beneficio absolutionis ex illa confessione donari non potuit, deficiente sacramenti materia. Proinde peccavit graviter confessarius eam absolvendo, nisi aliqua bona fide, aut potius simplicitate excusatus fuerit. Ratio est, quia praesumere sacramentum conficere, deficiente materia, est velle sacramentum nullum efficere, quod sacrilegum est. Caveant igitur confessarii ne, dum benefacere volunt devotulis absolutionem petentibus, absque sufficiente materia clavibus subiecta, ipsi poenam aeternae damnationis ob sacramenti profanationem incurrant. Quid igitur fuisset in casu confessario cum GERMANA faciendum? Dimitti debuisset bona mulier cum sola benedictione, facta ei licentia ut ad communionem accederet, siquidem nullum peccatum, neque de vita praesenti, neque de vita praeterita, ab ea emungi potuit.

379. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.* Hoc est certum, inquit *S. Alph.*, n. 427. Ratio est, quia peccatum iam remissum potest adhuc remitti *per se,* et *per accidens* fit ut non remittatur, cum iam sit remissum; immo est materia remissionis plenioris et abundantioris, quae sufficit ut sacramentum miris effectibus non careat, scilicet, remissione poenae, augmento gratiae, etc. V. **Comp.**, n. 525, 1.°-3.°

380. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Non est necessarium exquirere vitae praeteritae peccatum, si materia sit moraliter certa, licet levissima, ut mendacium officiosum, etc. Hoc tamen expedit ratione tutioris contritionis, cum paenitens difficilius de levissimis culpis dolorem concipiat. 2.° Quando materia dubia est, generatim exigenda est alicuius peccati certi vitae praeteritae declaratio, vel paenitens absque absolutione dimittendus est. Dixi *generatim,* quia in casu necessitatis, vel si paenitens a longo tempore absolutus non fuisset, et difficile ab eo obtineri posset declaratio alicuius peccati praeteriti, iuxta *S. Alph.,* liceret eum absolvere sub conditione, nempe, *si tu es capax... Voit,* n. 9.

CASUS II

MATERIA PAENITENTIAE 2.°

IUSTINUS, pietate ac fervore insignis, frequenter confiteri cupit, ad beneficium absolutionis reportandum. Sed, cum saepius nullam noxam voluntarie admissam in conscientia deprehendat, ita se accusare solet: *Accuso me de omnibus peccatis, quibus offendi Deum in vita anteacta, in primis de peccatis olim commissis contra castitatem.* Si apud ordinarium suum confessarium confiteatur, dicit tantum: *Accuso me de peccatis totius vitae, praesertim de gravioribus, quae alias iam confessus sum.* Immo quandoque tantum ait: *Accuso me de peccatis in tota vita mea commissis, et postulo sanctam absolutionem.*

HINC:

QUAER. 1.° *An peccatum in genere sit materia valida sacramenti paenitentiae?*
2.° *An sit materia licita?*
3.° *Quid de confessione* IUSTINI? *an absolvendus?*

SOLUTIO:

381.—*R. ad* 1m *Quaes.* Peccatum in genere seu peccatum ratione malitiae communis in omni peccato, est, *per se,* materia valida sacramenti paenitentiae. Ratio est, quia rationem peccati habet; quidquid autem habet rationem peccati est materia absolutionis. Insuper valida est illa materia licet indeterminata, in articulo mortis quando moribundus alio modo confiteri nequit, ut aiunt communissime theologi: atqui, si confessio illa valet in morte, in omni casu valet; quia materia Sacramentorum non mutatur pro variis circumstantiis, sed semper eadem est; ergo... *S. Thom.,* in 4, dist. 21, q. 1; *Lacroix,* n. 620; *Reuter,* n. 303; *Bonac.,* et alii communissime.

Dixi *per se*, id est, si peccata mortalia deficiant, aut accusari nequeant.

382. — *R. ad* 2m *Quaes.* Peccatum *in genere* est etiam materia licita, secluso praecepto peccata *in specie* accusandi, quod sola mortalia afficit. Ratio est, quia, ubi desunt peccata mortalia, nulla est obligatio cetera peccata in specie accusandi, cum venialia omnino omitti possint. Concilium enim Trid. nihil prorsus hac de re determinavit, nisi quod sola mortalia essent materia necessaria confessionis.

Generatim tamen expedit venialia in specie confiteri ratione directionis a confessario accipiendae, etc. Quod spectat ad accusationem generalem de peccatis vitae anteactae quam paenitentes pii subiicere solent in fine confessionis, ad materiam sacramenti certiorem redden-

dam, satis est sane ut quis dicat: *Accuso me de peccatis vitae praeteritae, vel totius vitae.*

383. — *R. ad 3m Quaes.* Bonus IUSTINUS sane beneficio absolutionis donari potest, qui, cum peccata mortalia non habeat, ad nihil aliud tenetur. Attamen inducendus est ad aliqua peccata venialia, saltem *in specie,* declaranda, ut cum maiori fructu sacramentum paenitentiae recipiat.

Cum paenitentibus qui non tantum peccatis letalibus carent, sed etiam levissimam materiam ad sacramentum paenitentiae afferunt, utiliter confessarius subiiciet hanc vel similem interrogationem: *Praeterea, nonne te accusas de omnibus culpis olim admissis contra talem virtutem?* Satis enim erit tunc ut paenitens *affirmative* respondeat. — Imprudenter tamen interrogationem praedictam faceret confessarius nominando virtutem castitatis. Talis interrogatio subinde paenitentibus molestissima accidit.

CASUS III

MATERIA PAENITENTIAE 3.°

AGRIPPINUS, homo ruri natus, immo rudissimus, confitetur se peccasse cogitationibus, verbis, et operibus; simulque conqueritur quod, ob senium et memoriae labilitatem, nullius prorsus peccati in specie vel in particulari amplius recordetur. Interrogatus a confessario, nihil dicit, nisi se non recordari quid in particulari egerit. Dubitat autem confessarius quid cum tali paenitente agere debeat.

HINC:

QUAER. *An* AGRIPPINUS *valide et licite absolvi possit? vel quid cum eo agendum?*

SOLUTIO:

384. — *R. ad Quaes.* Sic *Elbel* ad hunc casum, quem ipse iisdem fere verbis proponit: AGRIPPINUS *potest* et *debet absolvi.* Licet enim, *per se loquendo,* quivis teneatur sua peccata quoad numerum et speciem exprimere, quia tamen paenitens supponitur esse adeo rudis et labilis memoriae, ut nullum prorsus peccatum in specie possit explicare; hinc ob moralem impossibilitatem excusatur, aeque ac alii infirmi qui, ob defectum virium, sua peccata specifice nequeunt exponere. Tenetur tamen tunc confessarius supplere defectum paenitentis, ob integritatem sacramenti procurandam, non quidem petendo ut ipse enarrent unum aut alterum peccatum in specie, quia hoc modo frustra et se et paenitentem vexaret; sed proponendo eidem nonnulla peccata specifica, in quae olim incidisse prudenter suspicari licet, v. gr. hoc modo: *Numquid, bone vir, doles de omnibus peccatis tuis olim commis-*

sis, vel confessis, puta, de negligentiis in Dei servitio admissis, de ingratitudine erga Deum, de iuramentis imprecatoriis et mendaciis, etc., etc. Et si paenitens respondeat se dolere de omnibus, absolvatur. Etsi enim, *per se loquendo,* tam generalis et nimis confusa accusatio non sufficiat, ob impotentiam tamen moralem excusatur. Nec ullatenus de valore sacramenti dubitandum est, quandoquidem certo praesumere licet hunc paenitentem in unum vel alterum ex peccatis iam in specie propositis olim incidisse. *Elbel,* n. 15.

385. – Sic *Reuter* pro istis rudibus qui *in genere* tantum confitentur, et nesciunt peccata neque *in individuo* neque *in specie* declarare: «... Si nullum delictum, saltem in specie determinatum, nec ab ultima confessione, nec in vita praecedenti commissum, elici possit, spectandae sunt circumstantiae, an nempe persona illa diu non sit confessa, an speretur brevi melius instructa reditura, an sit in periculo mortis, an ruditas eius proveniat ex naturali stupiditate, vel senio, aut defectu instructionis. Ex his perpensis, statuat confessarius quod melius factu videbitur. Si sit persona infirma et in periculo mortis, praemissis actibus fidei, spei, caritatis et contritionis, absolvat eam. Si sana, et diu non confessa sit, nec speretur fore ut brevi melius sit instructa, exploret an sciat scitu necessaria, iubeat ut curet se melius instrui, et dein, excitatam ad dolorem, praemissis actibus fidei, etc., eam absolvat, quia est quaedam necessitas et impotentia; dumque dicit in genere se peccasse, implicite confitetur se aliquando fuisse leviter impatientem, dixisse mendacia, verba laesiva caritatis, etc. Quis enim est qui in eiusmodi non offenderit? In hoc casu cognoscitur status paenitentis in confuso, et modo quo fieri potest, materia sacramenti est determinata». *Reuter,* n. 303.

CASUS IV

FORMA PAENITENTIAE 1.°

1.° CELERINUS, confessarius, affluente magna paenitentium turba, sic per compendium absolutionem impertire solet: *Te absolvo a peccatis tuis,* adiecto vel etiam saepe omisso signo crucis; attamen, si occurrant maioris notae peccatores, praesertim aliqua censura ligati, addit: *et a censuris tuis.* Idem saepe negligit manum attollere, formae verba proferens.

2.° LIBAVIUS, missionarius, ex naturali distractione, vel ex aliqua negligentia, et in primis ex nimia defatigatione, saepe dubitat an paenitentibus absolutionem impertierit, aut recte verba formae protulerit. Hinc magna torquetur anxietate. Si absolutionem ad tutius impertire velit, saepe audit paenitentes qui dicunt: *Sed, Pater, iam me absolvisti.* Si, contra, eos in pace dimittat, non raro reponunt:

Sed, Pater, non me absolvisti. Si ab eis inquirat num absolutionem ipsis contulerit, cernit mirantes. Quare nescit iam quid consilii in tantis angustiis sibi capessendum sit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sint verba formae essentialia in sacramento paenitentiae?*

2.° *An invalide, vel illicite in his egerit* CELERINUS? *et an graviter, vel leviter tantum peccaverit?*

3.° *Quid faciendum in dubio an verba absolutionis prolata fuerint, necne?*

4.° *Quid* LIBAVIO *faciendum fuisset?*

SOLUTIO:

386. — *R. ad* 1m *Quaes.* Verba essentialia formae sunt: *Te absolvo a peccatis tuis;* immo probabilius: *Absolvo te;* aut etiam, speculative loquendo, probabilius, ut videtur: *Absolvo a peccatis tuis.* Cetera ad formam rubricarum tantum. *S. Alph* , n. 430. — V. **Comp.,** n. 532, I.

R. ad 2m *Quaes.* 1.° CELERINUS valide absolvit; sed illicite, ut videtur, omisit orationem: *Dominus noster Iesus Christus...* extra casum necessitatis. Attamen haec omissio peccatum *veniale* non excedit. Cetera vero sunt de mero consilio, licet ordinarie non conveniat omittere ultimam orationem: *Passio Domini nostri,* qua bona opera paenitentis *probabiliter* ad meritum satisfactionis sacramentalis elevantur. *S. Alph.,* ibid. V. **Comp.,** n. 533.

2.° CELERINUS venialiter peccavit absolvendo a peccatis, priusquam absolveret a censuris. Immo peccavit *graviter,* si revera iudicavit paenitentes *excommunicatione* irretitos esse (non autem si suspensione tantum vel interdicto fuerint innodati), et eos prius a peccatis quam a censura absolvere voluerit. *S. Alph.,* n. 430. V. **Comp.,** n. 537.

387. — *R. ad* 3m *Quaes.* Si paenitens mortalibus caruerit, nihil est faciendum. Si peccata mortalia accusaverit, et dubium sit prudens, absolutio sub conditione repetenda est. Posset etiam confessarius obtinere declarationem alicuius peccati praeteriti, imponere novam (quamvis hoc necesse non sit: V. **Comp.,** n. 598) paenitentiam, levem tamen, et novo contritionis actu a paenitente ad tutius obtento, eum monitum absolvere, etiam absolute, siquidem aderunt omnia ad novam absolutionem validam et licitam necessaria. — Recole dicta in casu VI de Sacramentis in genere.

388. — *R. ad* 4m *Quaes.* Iam provisum est, responsione ad casum CELERINI. Commendanda est LIBAVIO magna attentio quoad absolutionem conferendam, ita ut, si quando ignoret utrum paenitentem absolverit necne, saltem casus ille raro vel rarissime recurrat. Occurrente vero casu, potest generatim absque nimio incommodo petere a

paenitente utrum paenitentiam ipsi imposuerit, et postea superaddere, an absolutionem ipsi impertierit? Si nesciat paenitens, potest conditionaliter absolvere, ut supra dictum est.

CASUS V

FORMA PAENITENTIAE 2.°

1.° REMIGIUS, confessarius, audita TITII confessione, dum eum pie adhortabatur, motivaque contritionis efficacia ipsi proponebat, postulabatque num esset paratus ad peccatum effugiendum, advertit obstupescens illum nullum dare responsum. Respicit, sed neminem cernit: abiit paenitens, sane se reputans absolutum. Quid faciet REMIGIUS? Numquid absentem absolvet? Sed ecce, dum haec intra se resolvit, hominem aspicit in media fidelium turba, genibus flexis orantem, et laetabundus confestim eum absolvit.

2.° HERCULIUS, sacerdos, dum, ponti innixus, navim secundo amne transeuntem spectaret, subito videt eamdem ponti illisam crepuisse mediam, nautas vero cum reliquis in navi contentis iam iam in aquis immersos. Illico manum attollens et vocem elevans, HERCULIUS clamat: *Paenitemini; ego vos absolvo a peccatis vestris, in nomine Patris,* etc.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam praesentia subiecti requiratur ad absolutionem?*
2.° *Quid de absolutione a* REMIGIO *impertita?*
3.° *An plures simul absolvi possint?*
4.° *An valida sit absolutio naufragis data?*

SOLUTIO:

389. — *R. ad* 1m *Quaes.* Talis requiritur, ut verba: *Absolvo te,* censeantur cadere in paenitentem. Hinc dicitur moraliter praesens ille, qui censetur posse confessarium, communi voce licet *altiori* loquentem, audire, quamvis ab eo distet. Multi eam extendunt ad 20 passus, praesertim si paenitens non extra confessarii conspectum abierit.

Absolutio per **telephonium** probabilissime invalida est, sed *certo* invalida non videtur dicenda. Interrogata S. Paenit., an in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per telephonium, censuit sibi nihil esse respondendum (1 iul. 1884). Cfr. *Ball.-P.,* n. 1154; *Génicot,* 2, n. 267; *Casus Romae ad S. Apollin.,* pag. 89; *Noldin,* l. c., n. 236, *d.*

390. — *R. ad* 2m *Quaes.* Absque dubio valet, quia paenitens est adhuc moraliter praesens; immo fuisset valida absolutio, licet confessarius paenitentem non amplius vidisset, v. gr. si in media fidelium

turba permixtus fuisset. Attamen, si sacerdos absque scandalo, sub aliquo praetextu, hominem ad se revocare potuisset ut eum convenientius absolveret, id recte fecisset. Stante autem gravi incommodo, licite distantem absolvere potuit.

R. ad 3m *Quaes. Affirm.*, modo sacerdos dicat: *Ego vos absolvo a peccatis vestris*. Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad sacramenti validitatem. V. **Comp.**, n. 535.

391. — *R. ad* 4m *Quaes.* HERCULIUS potuit et debuit ex caritate illos miseros naufragos absolvere sub conditione. Ratio est, quia moribundi illi sunt moraliter praesentes, et supponi possunt velle confiteri et dare signa doloris in casu quo a sacerdote cernerentur. Saltem inter omnes unus vel alter potuit esse vere dispositus, et praebere omnes conditiones requisitas ut sacramentum paenitentiae in tanta extremitate valere et applicari possit. Attamen sacerdos alta voce eos acclamare, et uno verbo adhortari ad contritionem eliciendam, vel potius eam ipsis suggerere debuit. *Elbel,* n. 37.

Quid vero, si sacerdos post naufragium nullum amplius ex submersis vidisset? Nihilominus absolutionem conditionalem adhuc eis impertire potuisset, modo eos adhuc moraliter praesentes prudenter existimaverit; quia poterat adhuc in eo casu apparere spes validitatis, et fructus inde percipiendi. Secus autem dicendum est, si, ob impetum fluminis, adeo usque dilapsi essent, ut iam sacerdotem ipsis acclamantem non amplius percipere possent.

CASUS VI

ABSOLUTIO CONDITIONATA 1.°

ALBINUS, confessarius, absolvit conditionaliter, iusta de causa, IACOBUM dubie dispositum. Hic autem iam iam recessurus, nescio quo fato quaerit a confessario utrum absolutus fuerit. Attonitus ille respondet titubans affirmative, non audens declarare se conditionatam tantum absolutionem dedisse. Possum igitur communicare? iterum interrogat paenitens. En nova difficultas; et iterum titubans ALBINUS respondet negative. Miratur IACOBUS, et rationem negationis indignabundus sciscitatur. Confessarius autem, ut sese a tantis angustiis expediat, consentit ut paenitens sacram synaxim suscipiat. In posterum, experientia doctus, si ipsi contingat quempiam dubie dispositum absolvere, sive expressa, sive tacita vel implicita conditione, quae in tali casu semper habetur, confestim monet eum ad sacram mensam accedere posse.

HINC:

QUAER. 1.° *An oporteat, vel conveniat ut paenitentes absoluti conditionaliter moneantur?*

QUAER. 2.° *An confessarius in tali casu debeat eos a communione prohibere, vel possit eam negative vel positive permittere?*

3.° *Quid de* ALBINO *dicendum?*

SOLUTIO:

392. — *R. ad* 1m *Quaes. Neque oportet, neque expedit* ut confessarius paenitentem moneat eum conditionaliter tantum absolutum fuisse, quia ex hac admonitione nullum bonum et incommoda plurima subsequi possunt. Numquid paenitens rerum theologicarum ignarus satis intelliget quid sibi velit conditionata absolutio? Quid proderit huiusmodi admonitio? nonne inde anxietas et perturbatio paenitentis, et ambages ipsius confessarii? Sed dices: paenitens non confitebitur amplius peccata haec quae non sunt forte remissa, et in aeternum peribit? — *Resp.* Si postea alias confiteatur, haec peccata indirecte in ipsa confessione remittentur. Si non iterum confiteatur, saltem recurrente confitendi obligatione, ipse sibi procurabit pereundi occasionem. Ergo nunquam peribit ob conditionatam absolutionem. E contrario, si a te dimittatur absque absolutione, licet forte sit dispositus, cum res dubia sit, nonne maiori periculo interitus obiicietur?

393. — *R. ad* 2m *Quaes.* Confessarius qui paenitentem conditionaliter absolvit, neque eum ad communionem impellere, neque ab ea retrahere debet. Taceat ipse, et paenitens faciat quidquid libuerit. Etenim, si bona fide accedat ad Eucharistiam, potest etiam primam gratiam communicando accipere; si mala fide, nempe quia se indispositum sentit, ipse in periculum voluntarie se iniicit. *Gousset,* Iustific. de S. Alph., q. 8, et *Lettres a M. le Curé***,* lettre 8.

394. — *R. ad* 3m *Quaes.* Quid de ALBINO, confessario? 1.° Ad primam paenitentis quaestionem respondere debuisset *affirmative,* absque ulla haesitatione, cum reapse absolvit in quantum ferebant dispositiones paenitentis. Quod si is forte misericordiam a Deo non consecutus fuerit, id non defectu absolutionis, sed internae dispositionis, factum est. Etenim, si etiam modo absoluto fuisset absolutus, non ideo magis cum Deo reconciliatus fuisset. 2.° Ad secundam quaestionem debuisset respondere, rem totam arbitrio paenitentis relinqui, et ipsum, *si vellet, posse communicare;* sic enim omnibus incommodis se subduxisset, nec praeterea sacrilegae communioni, si talis futura esset, positive cooperatus fuisset, sed se mere passive habuisset. *Gousset,* ibid. — Ceterum non raro dantur rationes extrinsecae ad denegandam communionem, quas confessarius, saltem per modum consilii, allegare poterit.

CASUS VII

ABSOLUTIO CONDITIONATA 2.°

PAMPHILUS, parochus, dubie dispositos, *adiecta conditione,* absolvit in sequentibus casibus, scilicet: 1.° aegrotos graviter de vita periclitantes; praesertim moribundos, *licet multo probabilius* indispositos; 2.° milites in exercitum vel pugnam profecturos, et nautas vel alios iter maritimum quodlibet suscepturos; 3.° sponsos consuetudinarios, iam iam matrimonio iungendos; 4.° viros extraneos, qui vix aut ne vix quidem ad ipsius tribunal reverti poterunt, et sunt statim discessuri; 5.° paenitentes, qui certo vel probabiliter praevidentur non reversuri, etsi reverti possint; immo etiam iuvenes qui minantur se non reversuros, si non absolvantur; 6.° pueros septennes, et etiam decem annorum, aut semifatuos, qui probabiliter peccaverunt graviter, nec praebent nisi signa dubia dispositionis vel rationis.

HINC:

QUAER. 1.° *An absolutio conditionata concedi potuerit a* PAMPHILO *in praefatis casibus?*

2.° *An etiam conditionaliter absolvi possint paenitentes pii, qui materiam dubiam aut plane insufficientem afferunt?*

SOLUTIO:

395.—*R. ad* 1m *Quaes.* Quoad singulos casus, *supposita* PAMPHILI *diligentia in paenitentibus disponendis meliori quo possit modo:*

1.° PAMPHILUS recte egit in primo casu, seu absolvendo *conditionaliter* omnes periculose decumbentes et dubie dispositos, urgente vitae periculo; hoc ultro concedit etiam ipse *Concina.*

2.° Recte egit eodem modo absolvendo milites vel nautas dubie dispositos, sed ad multa pericula subeunda statim profecturos. Numquid enim tutius erit pro ipsis, ut absque absolutione dimittantur, et periculis vitae obiiciantur? Nonne *Sacramenta propter homines?*

3.° Recte egit etiam cum praedictis sponsis; fuit enim ratio gravis eos *conditionaliter* absolvendi, quia sunt *probabiliter dispositi,* vel non constat eos esse indispositos, cum emendationem promittant. Numquid consultius erit eos non absolutos dimittere, ut matrimonii sacramentum in statu certo peccati mortalis suscipiant, atque ad confitendum forte nunquam redeant? Quid igitur proderit?

396. — 4.° Recte pariter egit, peregrinos statim discessuros absolvendo *conditionaliter;* quia ex una parte de eorum indispositione non constat, et insuper, si non absoluti discedant, forte longo tempore in statu peccati perseverabunt, et in ipso tabescent. Quid iterum proderit?

5.° Male egit absolvendo viros vel iuvenes adeo dubie dispositos, ex eo quod minati fuerunt se non esse reversuros, licet facile reverti possint. Hoc enim indispositionis signum indubium videtur. Quoad eos autem qui, seclusis minis, reapse praevidentur non reversuri, si dimittantur absque absolutione, maior datur difficultas. Solutio ex variis personarum circumstantiis pendet; generatim in indulgentiam propendendum esse videtur.

6.° PAMPHILUS conari debuisset eos disponere in quantum fieri poterat; perseverante autem dubio, paenitentes huiusmodi *conditionaliter* absolvi possunt, saltem urgente praecepto annuae confessionis, iuxta *S. Alph.*, n. 432.

397. — *R. ad* 2^m *Quaes. Affirmat S. Alph.* tales paenitentes posse absolvi *conditionaliter* interdum, immo semel in mense; sed prius confessarius conari debet ut declarationem alicuius peccati vitae praeteritae obtineat, si possit, quia non urget ratio gravis absolutionem conditionatam impertiendi: quod si talem declarationem obtineat, *absolute* eos absolvere debet.

CASUS

DE CONTRITIONE ET PROPOSITO

SEU

De contritione in sacramento, et extra sacramentum; de intensitate doloris; de proposito

CASUS I

CONTRITIO EXTRA SACRAMENTUM

Getulius, patrato peccato mortali, per tres menses in hoc infelici statu permansit. Tandem, remordente conscientia, ad confessarii pedes provolvitur. Eum interrogat confessarius, an statim post commissum peccatum contritionis actum elicuerit? Cum negative respondisset, propterea de novo peccato mortali arguitur. Postulat subinde pater spiritualis, an saltem intra hebdomadam contritus fuerit. Respondet paenitens, se huc usque paenitentiam distulisse. «Pessime egisti, ait confessarius; sic enim peccata mortalia multiplicasti, siquidem toties peccasti graviter quoties ad statum animae attendens, seu de peccato tuo recordans, actum perfectae contritionis eliceri omisisti.»

Hinc:

Quaer. 1.° *An sit obligatio gravis eliciendi actum contritionis statim post peccatum mortale patratum?*
2.° *Quaenam dilatio peccatum grave inducat?*
3.° *An requiratur votum explicitum confessionis ad remissionem mortalium extra sacramentum?*

Solutio:

398. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* contra *paucos* antiquiores, quia praeceptum contritionis est affirmativum, seu est obligatio agendi paenitentiam. Ergo non obligat singulis momentis; ergo non statim urget post patratum peccatum; secus enim peccata multiplicarentur quoties peccator, advertens obligationem et potens eam implere, per actus moraliter distinctos id negligeret: quod sensui communi fidelium et praxi confessariorum adversatur. *S. Alph.,* n. 437; *Medina, Navarrus, Sylvius, Billuart, Pontas,* etc., *contra S. Antonin., Collet,* etc. V. **Comp.,** vol. 1, n. 247.

399. — *R. ad* 2m *Quaes. Non conveniunt theologi:* admittitur quidem communiter dari gravem contritionis dilationem independenter a praecepto confessionis annuae; quanta autem debeat esse haec dilatio, ut gravis censeatur, *determinari certo non potest:* alii illam producunt ad annum; alii ad sex menses; alii, cum *S. Alph.,* ad mensem; nulla tamen ratio sive auctoritas huic ultimae sententiae favet. Quin ipse S. Alphonsus peccatores, praesertim rudes, ab hoc peccato dilatae paenitentiae, ob inadvertentiam ut plurimum, immo fere semper excusare posse addit n. 437.

Unde de hac omissione paenitentiae extra sacramentum «non oportet interrogare paenitentem nec eum admonere in particulari». *Lugo,* De paenit., d. 15, n. 55. — V. **Comp.,** vol. 1, n. 301; vol. 2, n. 545.

400. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.* cum sententia *communi,* quia sufficit ad remissionem ut quis iungatur cum Deo per contritionem perfectam; porro fieri potest aliquando ut peccator talem actum perfectae contritionis eliciat, quin de confessione cogitet; ergo... *S. Alph., ut probabilius,* n. 437. — V. **Comp.,** n. 556.

CASUS II

CONTRITO IN SACRAMENTO 1.°

CLAUDINUS, bonus senex, a confessario interrogatus quomodo actum contritionis de peccatis eliciat, respondet: «Sic dico: Diligo te, Deus meus, super omnia, quia summe bonus es; parce, Deus meus, parce peccatis meis». Confessarius, audita responsione, anxietate quidem laborat circa valorem huius contritionis. Attamen, putans esse scrupulum, CLAUDINUM absolvit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam contritio requiratur in sacramento paenitentiae?*

2.° *An fuerit valida contritio* CLAUDINI?

3.° *Quomodo paenitentes rudes sint ad contritionem excitandi?*

SOLUTIO:

401. — *R. ad* 1m *Quaes.* Contritio requisita in sacramento paenitentiae, talis esse debet qualis in eius definitione exprimitur, siquidem definitio ab ipso Conc. *Trid.* traditur. Hinc debet esse:

1.° *Dolor animi,* quia dolor ille est essentialis in affectu rationali seu in voluntate; dolor enim in appetitu sensitivo, licet laudabilis, si a voluntate imperetur, non est necessarius, immo saepe impossibilis, cum a nobis non semper pendeat.

2.° *Detestatio* seu *odium peccati* efficiens, ut paenitens om-

nino vellet se non peccasse. Haec detestatio verum animi dolorem arguit, et in ipsa praecipue ratio contritionis consistit.

3.° *De peccato commisso,* non vero de sola poena peccati, quia contritio veram voluntatis mutationem, seu veram cordis conversionem omnino importat; secus enim contritio indirecte tantum peccatum afficeret.

4.° *Cum proposito non peccandi de cetero,* quia nemo dolere potest ex eo quod aliquod fecerit, nisi sincere ex intimo corde proponat se id non amplius facturum esse; secus enim sibi contradiceret.

402. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Non esset valida, iuxta *communiorem* sententiam, si attenderetur tantum ad haec verba: *Deus meus, diligo te super omnia, quia es summe bonus.* Ratio est, quia haec proferendo CLAUDINUS fecit quidem actum amoris, non vero doloris: atqui, iuxta hanc sententiam, in sacramento paenitentiae poni debet a paenitente doloris actus *verus* et *formalis;* caritas enim perfecta, licet sufficiat ad remissionem peccatorum extra sacramentum, non sufficit in sacramento, ut eius materiam constituat, nec proinde ut illud validum efficiat. Constat ex definitione contritionis, atque ex doctrina Conc. *Trid.* Ergo contritio in sacramento paenitentiae debet esse *formalis,* nec sufficit ut *implicite* in actu caritatis contineatur. *Voit,* n. 491; *Concina,* c. 9, n. 6; *Reuter,* n. 247; *Suárez,* etc.

Alii tamen, ut *Lugo* (d. 4, n. 99, d. 5, n. 92 seq., d. 14, n. 55 seq.); *Esparza,* (l. 10, q. 80, a. 4); *Ball.-P.,* vol. 5, n. 52 seq., dicunt sufficere contritionem *virtualem* inclusam in actu caritatis, sicut, iuxta communem sententiam, sufficit propositum virtuale inclusum in contritione.

2.° Valida tamen videtur, etiam iuxta priorem sententiam, contritio CLAUDINI, si attendatur ad verba quae subiunxit, scilicet; *parce peccatis meis;* etenim in praxi, si quis eliciat vere actum caritatis perfectae, memor peccatorum, censeri debet simul elicere actum contritionis *formalis:* est enim moraliter impossibile ut quis memor peccatorum amet Deum super omnia, quin sua peccata *formaliter* detestetur, quatenus Deo summe dilecto opposita. *Reuter,* ibid.

Attamen in casu nostro CLAUDINUS sedulo interrogari debet a confessario, ut hic sciat utrum revera de dolore peccatorum cogitaverit, aut protulerit meram formulam, cuius sensum forte non satis callebat. Insuper, debuit confessarius paenitentem de modo eliciendi actum contritionis ante confessionem edocere.

403. — *R. ad* 3m *Quaes.* Cum tales paenitentes non soleant duci nisi motivis naturabilus et sensibilibus, eo ipso per motiva naturalia, velut magis sensibilia, primo inducendi sunt, sensimque magis disponendi et elevandi ad motiva supernaturalia apprehendenda, v. gr.: *Doles de iactura pecuniae, animalis,* etc., *et de iactura propriae animae non dolebis? Doles de separatione parentum morte peremptorum, et aeternam separationem ab ipsis et praesertim a*

Deo, cuius est infinita erga te bonitas, non reformidabis? etc., etc.

404. — Hoc proponit *P. Elbel,* n. 72: «Dicito, carissime, numquid non audisti peccatores post mortem gravissime puniri in inferno, vel in purgatorio? et quid ibi patiuntur? nonne poenam ignis? Nunc posses sufferre ignem, vel ardorem unius dumtaxat candelae? Certo non. Quanto minus ergo poteris cum iliis ardoribus sempiternis habitare? numquid ergo iam detestaris et deinceps fugies peccata quibus offenditur Deus, qui adeo severe ea punit? etc».

CASUS III

CONTRITIO IN SACRAMENTO 2.°

ALBERTUS, peracta confessione, interrogatur a confessario quonam motivo ad dolendum de peccatis moveatur. Respondet paenitens: «Doleo de peccatis, quia timeo ne Deus me puniat in hac vita aerumnis, vel morte subitanea, et post mortem aeternis cruciatibus. — Numquid, mi bone, ait confessarius, eodem modo doluisti de peccatis in antecessum, quando ad confitendum accedebas?» Affirmat ALBERTUS. Quapropter iudicat confessarius invalidas fuisse illius confessiones, utpote amore divino destitutas et solo timore peractas. Quare iubet illum discedere absque absolutione, et se parare ad confessionem generalem totius vitae instituendam.

HINC:

QUAER. 1.° *An attritio sufficiat?*
2.° *An vel qualis amor in ea requiratur?*
3.° *An dolor ob poenas temporales sufficiat?*
4.° *Quid de casu?*

SOLUTIO:

405. — *R. ad* 1m *Quaes. Attritio* sufficit, nec requiritur *contritio perfecta* ad iustificationem in sacramento paenitentiae. Ratio est: 1.° quia attritio est vera conversio ad Deum, et vera aversio a peccato, et proinde gaudet omnibus conditionibus ad verum dolorem in definitione requisitis; 2.° quia certum est peccata interdum remitti per sacramentum paenitentiae; ad hoc enim a Christo institutum est, et ab ipso traditae sunt Apostolis et eorum successoribus, seu Ecclesiae ministris, claves regni caelorum: atqui peccata nunquam per sacramentum delerentur, si contritio perfecta requireretur; paenitens enim semper ad sacramentum accederet iustificatus, cum contritio perfecta semper iustificet *per se* extra sacramentum; et proinde nudum ministerium exerceret sacerdos, quod a Conc. Trid. damnatum est. Eruitur etiam ex verbis Conc. *Trid.,* sess. 14, c. 4, ubi dicit *attritionem disponere ad iustificationem in sacramento.*

406.—*R. ad* 2m *Quaes.* Nullus amor, nec eius *initium,* requiritur, si per initium amoris intelligatur aliquis gradus caritatis perfectae, qua Deus super omnia diligitur.

Concedi autem potest, initium aliquod amoris requiri, quatenus attritio, ut ad sacramentum disponat, excludere debet (ut sancta Synodus loquitur) peccandi voluntatem; alioquin autem, ut ait *S. Thomas* (2, 2, q. 17, a. 8), *aliquis introducitur ad amandum Deum per hoc, quod timens ab ipso puniri, cessat a peccato, ut Augustinus dicit.* Cfr. *S. Alph.,* n. 440, ubi dicit esse *moraliter certum.*

407. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.,* modo sit supernaturalis. Idque *moraliter certum* videtur. Ratio est: 1.°, quia in hoc metu omnes conditiones verae attritionis esse possunt; 2.°, quia id erui videtur ex verbis *Tridentini,* ubi (sess. 14, cap. 6) dicit: *attritio ex gehennae et poenarum metu concipitur;* distinguit enim inter gehennam et alias poenas. *S. Alph.,* n. 443; *Ball.-P.,* vol. 5, n. 65 seq.; *Berardi,* Praxis confessar., vol. 4, n. 17; *Buccer.,* Inst. theol., 2, n. 687; *Génicot,* 2, n. 273, cum *communi* sententia. V. **Comp.,** n. 553.

408. — *R. ad* 4m *Quaes.* Plura in agendi ratione confessarii reprehendenda sunt: 1.° Multo nimis praecipitanter iudicavit insufficientem fuisse ALBERTI attritionem *ex metu gehennae elicitam;* bene potuit enim paenitens illo motivo supernaturali impulsus vere dolere, et sufficientem concipere attritionem in ordine ad iustificationem in sacramento obtinendam; debuisset igitur confessarius, antequam pronuntiaret confessiones fuisse invalidas, diligenter inquirere utrum attritio ALBERTI fuerit *serviliter servilis,* aut *servilis* tantum. In hoc ultimo casu confessiones iterandae non erant, validae essent, ut patet ex dictis.

2.° Imprudenter etiam statim declaravit confessarius, praefatas confessiones fuisse invalidas ratione attritionis *ex metu poenarum temporalium* elicitae. Ratio est, quia, ut dictum est, talis attritio non modo *probabilius* sed etiam *moraliter certo* valida est, si ex motivo supernaturali habita fuerit; licet autem forte in praxi tutius sit dolorem excitare ex motivo poenarum post mortem subeundarum, attamen, post factum, de obligatione iterandi confessiones minime constat; ergo paenitens ad illud onus subeundum non est obligandus.

CASUS IV

CONTRITIO IN SACRAMENTO 3.°

ELEONORA, a pluribus annis ad sacramentum paenitentiae accedens, sic agere solet: 1.° Die sabbati sub nocte examen conscientiae instituit, et de omnibus peccatis sincere dolet. Die autem dominica, summo mane, confessionem peragit quin novum contritionis actum

eliciendum curet, licet quandoque aperiat peccatum mortale quod memoriae in examine pridie non occurrerat. 2.° Quondam, cum in peccatum letale lapsa fuisset, statim de eo se conterit, sine ordine tamen ad confessionem. Post tres vel quatuor horas pergit ad ecclesiam ut oret. Cernens vero parochum e sede confessionali exeuntem, ei obviam occurrit, et statim confitetur absque novo contritionis actu. 3.° Aliquando, accepta absolutione, meminit peccati alicuius quod antea memoriae non occurrerat, illud confessario aperit, et de illo absolvitur quin iterum se conterat.

HINC:

QUAER. 1.° *Quando eliciendus sit actus doloris ratione sacramenti?*

2.° *Quid sentiendum de singulis in casu positis?*

3.° *An* ELEONORA *confessiones iterare debeat?*

SOLUTIO:

409. — *R. ad* 1m *Quaes.* Sufficit ut absolutionem praecedat, seu ut quis sit vere contritus dum absolvitur; sed ille qui voluntarie actum contritionis remitteret ad ultimum istud tempus, magno se exponeret periculo recipiendi absolutionem deficiente dolore requisito. *S. Alph.*, n. 445. — V. **Comp.**, n. 548.

410. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Saltem *probabilius* fuit *valida* contritio ELEONORAE pridie confessionis elicitae, quia *virtualiter* perseverare videtur, praesertim si magnam habuit intensitatem; nec obstat quod mulier peccati gravis oblita fuerit, quia peccatum illud in contritione generali de ceteris implicite continebatur; *adhortanda* est tamen ELEONORA, ut in posterum actum contritionis eliciat immediate ante confessionem.

2.° Saltem *probabilius* fuit etiam *valida* contritio ELEONORAE, licet non fuerit elicita in ordine ad sacramentum. Ratio est, quia ex *Trid.* illa attritio dicitur *disponere ad iustificationem* in sacramento, quae voluntatem peccandi excludit cum spe veniae; porro omnia haec in casu nostro verificantur; ergo... Insuper, licet dolor non fuerit ordinatus ad confessionem relatione antecedenti, ordinatur tamen relatione consequenti, eo quod adhuc verificatur dolorem patefieri per confessionem. Attamen opposita sententia non caret sua probabilitate, et ideo in praxi contritio ante confessionem ad tutius renovanda est. *S. Alph.*, n. 447.

411. — Adhuc *probabilius* in hoc tertio casu valida fuit contritio mulieris. Etenim minime erat necessarium novum actum contritionis elicere, ad novam absolutionem obtinendam, quia certo perseverabat prior contritio, quae, ut universalis, extendebatur ad omnia peccata, etiam ex oblivione omissa. Adde quod non requiritur ut contritio *explicite* ordinetur ad sacramentum, ut supra dictum est. Insuper videtur manifestari dolor explicitus in actu ipso peccatum illud accusandi. *Ita*

communiter. Cum vero plures theologi contradicant, licet in levi fundamento innixi, in praxi opposita sententia *ut tutior,* eligenda est. V. **Comp.**, 549.

412. — *R. ad* 3m *Quaes.* Minime est inquietanda ELEONORA ratione defectus contritionis; probabilius enim vel *moraliter certo,* in omni casu fuit sufficiens ad sacramenti valorem. Ante confessionem tutior quidem sententia sequenda est, quia agitur de valore sacramenti certiori reddendo; facta autem confessione, non agitur amplius nisi de praecepto confessionis, cui probabilius satisfactum est. Hinc bene potest applicari haec regula: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.*

CASUS V

DOLORIS INTENSITAS

CLODOMIRA, matrona pia, de dolore ad confessionem requisito valde anxia, conqueritur coram sacerdote: 1.° quod intensiorem dolorem de morte filii sentiat, quam de peccatis suis; ac proinde dolet quod non doleat satis de tot et tantis peccatis, quibus divinam maiestatem offendit; 2.° quod non sibi videatur parata ad omnia mala sufferenda, v. gr. ut viva comburatur, potius quam peccatum committere; 3.° quod magis abhorreat a monstruo, a bellua feroci, vel a publica calamitate, v. gr. incendio, peste, strage, quam a peccato. Quapropter putat se nunquam validas confessiones fecisse, et generalem totius vitae confessionem peragere postulat.

HINC:

QUAER. 1.° *An requiratur aliqua certa intensitas et duratio doloris?*

2.° *An satis sit, si paenitens doleat se non satis dolere?*

3.° *An statim credendum sit paenitenti se accusanti quod sufficientem dolorem non habuerit? an vice versa?*

4.° *Quid de querimoniis* CLODOMIRAE *dicendum? et quomodo cum ea agendum?*

SOLUTIO:

413. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Ad valorem contritionis non requiritur certa intensitas doloris, sicut ad peccandum non requiritur certa intensitas voluntatis; intensitas enim est aliquid mere accidentale; siquidem gradus doloris, vel conatus maior vel minor ad essentiam contritionis non pertinet; praeterea innumeris anxietatibus et perplexitatibus ansam praeberet.

2.° Neque magis requiritur duratio in contritione, seu longum tempus; sed per se sufficit minimum, seu unicum instans. Sufficit enim ut peccator a peccato avertatur, et ad Deum convertatur: atqui hoc in unico instanti fieri potest, sicut in unico instanti a Deo per peccatum averti potest. Tutius tamen est actum contritionis intensiorem et productiorem elicere. *S. Alph.*, n. 433. — V. **Comp.**, n. 551.

414. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg. per se;* ratio est, quia ad valorem sacramenti requiritur dolor de peccatis; at si dolorem non sentias, hoc peccatum non est, nec contritionem supplere potest. Attamen in praxi ordinarie paenitentes qui dolent ex eo quod non satis doleant, verum concipiunt dolorem de peccatis, et vere ea detestantur, conqueruntur enim ex eo quod dolorem sensibilem, vel intensum non experiantur. Plerumque igitur circa dolorem inquietandi non sunt, sed ad fiduciam adhortandi. *Elbel,* n. 80.

415. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° *Quoad primam partem. Neg.* Sequitur ex dictis; non pauci enim reperiuntur paenitentes timorati, vel scrupulosi, aut pusillanimes, qui anxietate frequenti laborant circa dolorem de peccatis et recantant se contritione carere, dum sincere a peccatis abhorrent et Deum vere amant. Animus igitur eis faciendus est, sed ad circumstantias varias paenitentium et confessionum est sedulo attendendum.

2.° *Quoad secundam partem,* seu an vice versa, etc., quaestio difficultate non caret, praesertim si agatur de pueris, de rudibus, vel de iis qui instructione christiana ex magna parte carent, licet in aliis scientiis versati sint. Attamen generatim credendum est paenitenti asserenti se dolere, postquam sedulo a confessario ad dolorem excitatus fuerit, si adhortatione indigere videatur. Iterum ad circumstantias paenitentium attendere debes, sed non statim interrogandi sunt an doleant. Multi enim, praesertim rudiores, prompte respondebunt: *Ita Pater.* Sed saepe nesciunt quidem cur dolendum sit. Quot confessiones, defectu doloris, sacrilegae, aut saltem nullae evadunt! Caute igitur, confessarie, caute tibi procedendum est cum paenitentibus qui raro confitentur, praesertim cum rudibus et pueris.

416. — *R. ad* 4m *Quaes.* Clodomira iubenda est bono esse animo et anxietates circa dolorem sufficientem de peccatis procul mittere. Etenim: 1.° Concludere nequit se vero dolore carere, ex eo quod dolorem intensiorem experta fuerit de morte filii quam de offensa Dei; quia homines, sensibus praediti, *vividius* afficiuntar iis quae naturam et *sensus* movent.

2.° Neque rationabiliter iudicat se vera contritione carere, ex eo quod omnia martyrum tormenta sufferre nolit. Nam illa persuasio potius in imaginatione, quam in voluntate consistit. Insuper huiusmodi tormenta Deus ab ea minime requirit, nec proide gratiam ad ea, bona animi dispositione acceptanda, concedit. Imprudenter igitur, o Clodomira! haec et alia similia in mente volvis! Quid enim a te petit

Deus in praesentibus? Nihil aliud, nisi ut sis parata ad vitanda ea omnia quae hic et nunc te in peccatum inducere possunt, non obstante quocumque praesenti incommodo. Si unquam velit Deus te glorioso martyrum coetui adnumerare, ingruente v. gr. dira perversorum hominum persecutione, tibi sane uberrimas concedet gratias, quibus tolerare valeas ea quae nunc intolerabilia tibi videntur. Abiice igitur, o CLODOMIRA! abiice inanes curas, atque periculosa phantasmata procul mitte.

3.° Neque valet ultima ratio deducta ex eo quod CLODOMIRA videatur abhorrere magis a monstro vel bellua feroci quam a peccato, quia *phantasia* et *sensilibitas naturalis* id efficiunt, ut maiori horrore terreni mali, magnae calamitatis v. gr., vel dirae mortis, quam peccati sensibiliter corripiamur. Sed hoc nihil probat, ut supra dictum est.

* CASUS VI

DOLOR ET PROPOSITUM

1.° CAELESTINUS, confessionem peragendo, inter alia declarat quod in ultima confessione, dum intentus fuisset dolori eliciendo, minime de proposito non peccandi de cetero cogitaverit, sicque absolutus fuerit; quapropter circa hanc confessionem magna anxietate laborat. Confessarius, eo audito, statuit confessionem reapse invalidam fuisse, ideoque iterandam esse.

2.° TITIUS, pius iuvenis, qui semel in hebdomada apud eumdem confessarium confiteri solet, hoc absente, confessionem apud alium instituit. Peracta accusatione suorum peccatorum, et addita clausula illa, qua uti in fine solet: *accuso me praeterea de omnibus peccatis vitae anteactae,* interrogatur a confessario an elicuerit iam actum contritionis. — Pater, respondet, ego semper elicio actum contritionis postquam recedo a confessionali, absolutione suscepta. — Cur ita te geris? ait confessarius. — Quia in catechismo dioeceseos hoc ordine recensentur conditiones adimplendae a paenitente, nempe: 1.° examen conscientiae; 2.° confiteri omnia peccata; 3.° de ipsis dolere, etc. His auditis, confessarius dubitat an omnes priores TITII confessiones sint invalidae ac repetendae. Interea TITIO imperat ut in posterum semper eliciat dolorem ante susceptam absolutionem.

HINC:

QUAER. 1.° *An requiritur propositum explicitum in confessione?*

2.° *An* TITIUS *iterare debeat omnes praeteritas confessiones?*

SOLUTIO:

417. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.*, saltem *probabilius*, quia propositum necessario includitur in contritione, si vera sit. Ergo propositum implicitum sufficere debet. *Ita communiter.* Quare CAELESTINUS non tenetur iterare suam confessionem. V. **Comp.,** n. 563.

418. — *R. ad* 2m *Quaes.* Si revera TITIUS, nullo praecedenti dolore, suscepisset absolutionem, confessiones omnes essent repetendae, utpote invalidae. Et certe videtur in casu adesse motivum sufficiens ut ipsi saltem *permittatur* confessio generalis totius vitae.

419. — Existimamus tamen *probabiliter* praeteritas confessiones non esse *necessario* iterandas.

Etenim 1.° cum TITIUS elicuerit explicitum et formalem actum doloris post praeteritas confessiones, ille dolor perseveravit quoties non fuit postea retractatus per peccatum grave. Iam vero, cum TITIUS pius sit iuvenis, pluries debuit accedere cum solis venialibus. Tunc per accusationem generalem totius vitae, factam apud confessarium ordinarium, cui satis cognita erant peccata TITII, et perseverante illo dolore non retractato, valida fuit saltem *probabiliter* absolutio; et *directa* quoad omnia peccata vitae anteactae. Cfr. *Diana,* tom. 1, tr. 3, res. 94, n. 1; *Lugo,* d. 14, n. 35; *Ball.-P.,* n. 136 seq. V. **Comp.,** n. 548 Ergo iteratio confessionum, quae hanc praecesserunt, non est necessaria. Ergo si constet cum solis venialibus accessisse ad confessarium ordinarium in ultima apud ipsum facta confessione, iam nihil erit repetendum.

2.° Praeterea probabile est semper TITIUM suscepisse sacramentum cum *formali* actu doloris, licet forte non habuerit actum *reflexum.* Vix enim credi potest *in praxi* iuvenem pium cogitare de suis peccatis, ea confiteri, velle ab iis liberari, absolutionem quaerere, et tamen non dolere de ipsis.

«Quinimmo in casu dolor et detestatio peccati est causa, cur quis velit ope sacramenti ab eo liberari. Quocirca, re bene perpensa, dolor, qui dicitur eliciendus formaliter, reipsa ut plurimum nihil est aliud, nisi actus reflexus, qui oritur ex dolore et detestatione, quae iam in corde residet. Quem tamen actum reflexum (ut alias diximus agentes de intentione ministri in conferendis Sacramentis, De Sacram. in gen., n. 16), in aliis rebus non solemus quaerere. Ita v. g. satis aversari morbum eos dicimus, qui recurrunt ad medicum, licet de morbo detestando *(formaliter* quidam dicerent, nos dicemus *reflexe)* nihil cogitent». *Ball.-P.,* n. 93.

Pro praxi nunc satis erit in confessione apud confessarium ordinarium facta, cum explicito et formali dolore, addere consuetam TITII clausulam: praeterea accuso me de omnibus peccatis vitae anteactae.

* CASUS VII

PROPOSITUM 2.°

CORNELIUS, consuetudine peccati turpis laborans, a confessario interrogatur utrum firmiter proponat haec pravae consuetudinis peccata non amplius committere. «Propono quidem, ait paenitens, sed praevideo me certo propositum hoc violaturum esse. Alias enim similiter proposui, et semper infeliciter sum relapsus. Tanta est in me vis consuetudinis, ut me alliciat et pertrahat. — Sed proponisne a lapsu praecavere? reponit confessarius. — Ita, pater, ait CORNELIUS, sed sum certus de futuro relapsu». Confessarius, huiusmodi responsis intricatus, nescit an paenitentem hunc absolvere possit. Tandem eum absolvere statuit.

HINC:

QUAER. 1.° *An censeatur firmum propositum habere, qui dicit se esse certum de relapsu futuro?*
2.° *Quid dicendum de consuetudinario qui cito post absolutionem in peccata consueta relabitur?*
3.° *Quid de casu?*

SOLUTIO:

420. — *R. ad* 1m *Quaes.* Res difficultate non caret, sed voluntas actualis non amplius peccandi bene stare potest cum timore vel morali persuasione de futura voluntatis mutatione, modo haec persuasio non transeat ad desperationem. Cfr. *Lacroix,* n. 1822. In praxi horum paenitentium animus erigendus est spe auxilii divini, quod petentibus praesto omnibus est.

421. — *R. ad* 2m *Quaes.* Ex tali relapsu post confessionem colligi *per se* nequit propositi insufficientia, sed sola voluntatis mutabilitas. — Attamen *suspicionem aliquando praebere potest,* quod paenitens proposito vere firmo caruerit. V. **Comp.,** n. 561.

422. — *R. ad* 3m *Quaes.* CORNELIUS videtur satis *probabiliter* validam confessionem fecisse, cum vere et sincere propositum habuisse appareat; quamvis simul moralem relapsus praevisionem, in propria fragilitate fundatam habuerit. Si enim sincere non proponeret, vix apparet cur iis in adiunctis confiteatur. Cfr. *Buccer.,* Casus, n. 347.

CASUS

DE CONFESSIONE

SEU

De obligatione confessionis; de eius integritate, sinceritate; de peccatis dubiis; de circumstantiis peccatorum; de manifestatione complicis; de peccatis ex oblivione omissis; de confessione per interpretem; de confessione moribundorum sensibus carentium; de examine conscientiae, et de confessione repetenda, necnon de confessione generali.

* CASUS I

OBLIGATIO CONFESSIONIS

In haeretico ad fidem converso (1)

CHRYSANTUS, ab haeresi lutherana ad fidem catholicam conversus, ob dubium in sua secta susceptum baptismum, sub conditione rebaptizandus est. Hoc quidem summopere exoptat, sed peccatorum confessionem quam maxime reformidat. Est quidem animo dispositus ad futura peccata rite accusanda; verum a praeteritis declarandis excusari vellet. Anxietate pressus, interrogat ROGERIUM theologum. Obligationem confitendi urget ille: 1.° quia hoc exigit obligatio tutiorem partem amplectendi, ubi agitur de re ad salutem necessaria, seu de peccatorum remissione; 2.° quia statuit Christus Dominus nullum peccatum remittendum in lege nova, nisi per paenitentiae sacramentum; 3.° quia sic fert generalis consuetudo; 4.° quia secus periculum foret abusus, si neo-conversi ad confitendum non tenerentur; difficulter enim legi confessionis postea subiicerentur. *Ad tutius* CHRYSANTUS interrogat HILARIUM, alium theologum. Hic autem negat prorsus dari in pari casu ullam obligationem confitendi, siquidem, inquit, lex certo obligans ostendi nequit. His hinc et inde auditis, CHRYSANTUS in perplexitate permanet.

---

(1) Circa totam controversiam, quae in hoc *casu* agitatur, Disquisitionem theologico-moralem omnibus numeris absolutam scripsit cl. *Mannajoli,* Episcopus Tit. Pomariensis, sub titulo «De obligationibus christianorum propriis». Romae, 1913.

HINC:

QUAER. 1.° *An reapse haereticus ad fidem conversus et sub conditione baptizandus, confiteri teneatur?*

2.° *An confessio, si fiat, baptismo praemittenda sit? aut, vice versa, baptismus sit praemittendus?*

3.° *Si confessio sit necessaria, an integra esse debeat, et quomodo paenitens sit absolvendus?*

SOLUTIO:

423. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirmandum* videtur, quamvis controversum hucusque inter scriptores fuerit. I.ª SENTENTIA *probabilis negabat,* quia (inquiebant), posita probabili prioris baptismi invaliditate, peccata ista probabiliter non sunt materia capax sacramenti paenitentiae; ergo etiam probabiliter non sunt clavibus subiicienda: obligatio enim confitendi peccata, sequi non potest nisi consequentur ad baptismum rite collatum. Hinc si forte haec peccata non remittantur per secundum baptismum invalidum ob prioris validitatem, remitti poterunt sive per contritionem perfectam, sive *indirecte* per absolutionem cum attritione. *Lacroix,* n. 323, De baptismo; *P. Gury,* hic; *et alii.* Probabilitatem huius sententiae tuentur inter recentiores *Ball.-P.,* vol. 5, n. 22; *D'Annibale,* 3, n. 301, not. 3; *Bucceroni,* Inst. Mor., 2, n. 672 (ed. 5.ª), et Casus, n. 348; *Génicot,* 2, nn. 259 et 488 (ed. 2.ª); *Casus Romae ad S. Apollin.,* pag. 79 seq., qui responsa S. Officii huic sententiae contraria dicunt valere tantum pro neo-conversis *in Anglia.* **Comp.,** n. 527.

424. — II.ª SENTENTIA, saltem *multo probabilior,* affirmat, quia urget obligatio confitendi peccata, quoties non constat, ea ante baptismum validum commissa fuisse; etenim qui per baptismum ingreditur Ecclesiam, societatem visibilem, fit eius subditus eiusque subest iurisdictioni, donec certo probetur baptismum fuisse nullum. Ergo Ecclesia divino iure, quo ipsa constituta est et regitur, cogere eum potest ut subditorum obligationibus satisfaciat (1). Aliunde dubium tenuissimum, quod (intra fines dubii rationabilis) sufficit ad iterandum sub conditione baptismum, non semper est sufficiens et solida probabilitas, quae excusare possit a confessione peccatorum, de quibus hic quaerimus. Hanc sententiam tuentur *Reuter,* p. 4, n. 118; *Lehmk.,*

---

(1) Secus dubie baptizatus eximendus esset ab omnibus obligationibus christianorum propriis; unde, ex magno periculo hallucinationis, periclitaretur firmitas status tum baptizatorum in genere, tum clericorum et regularium in specie, cum maxima perturbatione ipsius Ecclesiae: facillime enim etiam qui certo baptizati sunt dubia conciperent de valore sui baptismatis.

Hanc igitur obligationem adstruere debemus quando *baptismus* certo possidet, i. e. «vel quando factum collationis baptismi certo constat, et dubitatur tantummodo de huius valore; vel quando documenta aut testimonia specialia desunt de collatione baptismi olim peracta; verumtamen peculiaria concurrunt adiuncta, quibus collatio olim facta baptismi tamquam certa praesumitur». *Mannajoli,* l. c., n. 170.

n. 320; *Zitelli,* Apparatus iur. eccles., pag. 347 (ed. 2.ª); *Sabetti,* n. 775, q. 3; *Tanquerey,* De paenit., n. 33; *Haine,* vol. 3, pag. 208; *Card. Vives,* n. 590; *Noldin,* De Sacram., n. 225; *Instr. past. eystetten.,* nn. 83, 355; *Bulot,* n. 435; *Mannajoli,* l. c., et *alii,* eamque confirmant responsa S. Officii 27 (1) iun. 1715 et 17 dec. 1868 *(Collect. P. F.,* nn. 286 et 1338), quorum primum statuerat quemdam haereticum germanum neo-conversum «esse rebaptizandum sub conditione, et collato baptismo, *eius praeteritae vitae peccata confiteatur, et ab iis sub conditione absolvatur*»; alterum vero ad quaesitum «an debeat confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an debeat esse integra, *resp. affirmative;* et dandum esse decretum latum sub fer. V, 27 iun. 1715». Cfr. etiam Instructio S. Off. 20 iul. 1859; 2 dec. 1874; decr. S. Off. 17 dec. 1868 *(Collect. S. C. de P. F.,* nn. 1178, 1476, 1338, ed. 2.ª).

Postea vero *Analecta ecclesiastica,* an. 1899, vol. 7, pag. 489, vulgavit responsum S. C. de P. F., hucusque ignotum, quamvis datum iam fuerit 12 iul. 1869, in quo dicitur «responsum, elapsi anni, licet Episcopis Angliae tantummodo rogantibus datum, universalem legem continere, proindeque non solum in Anglia sed in aliis etiam regionibus obligare. Hinc patet quod nullatenus permitti possit ut praedictae decisioni contraria sententia edoceatur». Quod responsum reperitur etiam in *authentica* Collectanea S. C. de P. F., vol. 2, pag. 19 (ed. 2) ad calcem (Romae ex Typographia polyglotta S. C. de P. F., 1907) (2).

Quare *P. Lehmk.,* Casus, vol. 2, nn. 290 et 292; *Haine,* l. c.; *Tanquerey,* l. c.; *Noldin,* l. c., omnino *certam* dicunt hanc secundam sententiam.

Attamen *P. Bucceroni* adhuc in editione 5.ª ann. 1908 defendit decretum illud non esse generale his verbis: «Responsum illud, generale decretum non esse, publice declaravit ad S. Apollinaris Emmus. Card. S. O. Secretarius (3) ann. 1898, cum ex professo de hac quaestione in consueta Casuum conscientiae collatione disputaretur. Quod etiam *D'Annibale,* S. O. assessor et deinde Card., explicite affirmat ed 3.ª, part. 3, n. 301, nota 3. Ac Conc. Plen. **Amer. lat.,** eamdem agendi regulam adoptans, cum probe nosset illud responsum non esse generale decretum, scite in nota addit: *prae oculis habita norma* decr. S. O. 27 iun. 1715, et 2 dec. 1874 *(Collect. S. C. de P. F.,* nn. 644, 957), quae eamdem fere continent praescriptionem ac

(1) Hanc esse veram datam, non autem 17 iunii, ostendit *Mannajoli,* l. c., n. 154, ex tabullario S. Officii, nec ulla feria V incidit illo anno 17 iun. sed quidem 27.

(2) Hoc responsum non esse S. C. de P. F. sed tantum ex ipsius *congressu* indicat *Mannajoli* (l. c., n. 206 seq.), ideoque non habere vim quam ius tribuebat decretis S. Congregationis *generalis* de P. F. (Cfr. *Ferreres,* La Curia Romana, n. 569). Unde insertum non fuit in *Collectanea* S. C. de P. F. in prima editione, et in 2.ª appositum est ut nota historica. Ita *cl. Mannajoli,* l. c.

(3) De vi huius declarationis Cardinalis Secretarii (Parochi) vide *Mannajoli,* l. c., 191 seq., ibique etiam de auctoritate adducta Cardinalis *D'Annibale.*

laudatum responsum S. O. 17 dec. 1868, cuius decreti mentio revera omittitur et citatur loco ipsius aliud adhuc magis particulare decretum 27 iun. 1715, ad quod se remittit responsum 17 dec. 1868. Ac illa verba *prae oculis,* etc., addita deinde fuere in nota, hac praecisa ratione, cum in priore schemate desiderarentur, ne locus esset falsae interpretationi mentis Concilii, circa universalitatem decreti citati». Hoc tamen non videtur cohaerere cum iis quae ipse *Buccer.* tradit in supp. ad Bibl. *Ferraris,* v. Baptismum, n. 15, iuxta Inst. S. Off. 20 iul. 1859.

Igitur dicendum est praedicta decreta S. Officii esse quidem formaliter particularia, aequivalenter vero esse generalia, cum innitantur rationibus intrinsecis, omnibus casibus communibus, non vero specialibus pro hoc vel illo casu. Cfr. *Mannajoli,* l. c., nn. 158 seq., 201 seq.

Unde secunda haec nostra sententia, cum decretum formaliter generale desit, et ius divinum saltem subiective dubium pluribus appareat, adhuc omnino certa dici posse non videtur quoad imponendam obligationem pro omnibus indiscriminatim regionibus. Cfr. *Mannajoli,* l. c., n. 242 seq.

In **Amer. lat.** et in Ins. **Philipp.** secunda sententia in praxi tenenda est ex praecepto C. P. **Amer. lat.,** n. 559; et C. **Manil.,** n. 661.

An et quatenus Concilia possint haec praecepta imponere, cum controversias inter theologos agitatas dirimere nequeant, exponit *Mannajoli,* l. c., n. 223 seq.

425. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Quamvis *per se* ordo parvi intersit, congruentius iuxta responsionem Cong. S. O. 27 iun. 1715, confessio et absolutio postponendae sunt secundo baptismo: «Poterunt etiam, ad maiorem functionis ecclesiasticae facilitatem, prius peccatorum accusationem apud designatum confessarium peragere; deinde, post collationem baptismi sub conditione, ab eodem confessario, reassumptis, per summa capita, iis, de quibus iam accusationem fecerint, absolvi sacramentaliter, pariter sub conditione». C. P. **Amer. lat.,** n. 559; C. **Manil.,** n. 661; S. Off., 2 dec. 1874 *(Collect. P. F.,* n. 1426). V. **Comp.,** n. 528.

426. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Confessio integra esse debet (S. Off. 27 iun. 1715), siquidem fit ex obligatione; paenitens sub conditione absolvendus est, quoniam per secundum baptismum forte peccatorum omnium iam remissionem accepit.

N. B. Quae in hoc casu diximus de haeretico ad fidem converso, eodem modo valerent de catholico dubie baptizato quoad peccata de quibus nondum confessus est ante baptismum sub conditione iterandum. Cfr. *D'Annibale,* 3, n. 352, not. 13; *Mannajoli,* l. c., nn. 144 seq., 194.

CASUS II

INTEGRITAS CONFESSIONIS 1.°

1.° CRISPINUS, iuvenis, sic confessionem instituit: «1.° Deditus fui intemperantiae, ludo et blasphemiis cum variis sociis. 2.° Saepius cogitationes impuras in mente volvi circa diversas personas. 3.° Semel cum puella tota nocte conversatus sum. 4.° Pluries inimicitias in mente nutrivi, de inimico detraxi, et ipsi malum optavi».

2.° ELODIA, querula mulier, se accusat quod *decies circiter* in maritum imprecata fuerit; postea vero detegit, se *undecies* vel etiam *quindecies* fuisse imprecatam. Item confitetur peccatum aliquod detractionis, uti dubium, dicendo: *Credo quod detraxerim,* vel *de hoc dubito;* deinde vero reperit, peccatum illud certo a se patratum fuisse; proinde dubitat utrum in utroque casu confessio horum peccatorum iteranda sit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid requiratur ad integritatem confessionis?*
2.° *Quid dicendum de confessione* CRISPINI *in primo casu?*
3.° *An* ELODIA *teneatur ad iterandam confessionem peccatorum ut dubie accusatorum, quando comperit ea fuisse certa, prout dicitur in secundo casu?*
4.° *Si quis erraverit, numerum peccatorum notabiliter exaggerando, an id in confessione postea declarare debeat?*

SOLUTIO:

427. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Requiritur ad integritatem confessionis, ut omnia peccata mortalia post baptismum commissa et menti occurrentia accusentur iuxta numerum et species, quantum fieri potest. V. **Comp.,** n. 570.

428. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Confessio CRISPINI caret integritate in omnibus, quia neque numerum peccatorum, neque eorum species declarat, nec aliquando satis exprimit utrum materia sit gravis vel levis. Confessarius igitur supplere debet interrogando sequenti modo:

«1.° Quomodo violasti temperantiam? an excedendo in cibo, vel in potu? an usque ad crapulam vel ad plenam ebrietatem? et quoties? Cuinam ludo vacasti? an ludo prohibito? iniusto? an cum magna prodigalitate? an pluries? Quoties blasphemasti? quomodo?» Haec ultima interrogatio saepe erit necessaria ad dignoscendum utrum revera paenitens blasphemaverit.

«2.° Quoties deliberate pravis cogitationibus assensum praebuisti? an etiam prava desideria fovisti? quodnam fuit tuae concupiscentiae obiectum? an personae liberae vel coniugatae? an cognatae, affines? an peccata consummata sint, vel non?»

«3.° An conversando tota nocte cum puella pluries et quoties peccasti, vel peccatum consummasti?»

«4.° Quoties vel quamdiu inimicitias fovisti? an, vel quoties mala gravia proximo tuo optasti?»

429. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Elodia non tenetur accusare peccatum *undecimum,* utpote comprehensum in hac accusatione *circiter decies. S. Alph.,* n. 466; *Voit,* n. 557. 2.° Tenetur vero exprimere numerum decimum quintum, utpote in praefata locutione non contentum. 3.° *Probabiliter* non tenetur iterum accusare peccatum detractionis, sicut non tenetur accusare illud *undecimum dubie* accusatum per verba *circiter decies;* praeterea iam fuit directe remissum vi absolutionis, cui ut erat in conscientia subiectum fuit. Ita *Lugo,* d. 16, n. 78; *Sporer, Elbel, Ball.-P., Lehmk.,* etc. Cfr. tamen *Berardi,* Praxis, vol. 4, n. 123 seq. V. **Comp.,** nn. 573, 582.

430. — *R. ad* 4m *Quaes. Nego,* si bona fide egerit, quia plene et integre obligationi confessionis satisfecit, siquidem numerus minor in maiori fuit comprehensus adeoque remissus. *Ita communiter. Reuter,* n. 313.

CASUS III

INTEGRITAS CONFESSIONIS 2.°

Venialia uni, et mortalia alteri declarata

Leocadia, confessario ut pia mulier nota, si quando graviter peccet, ne apud eum bonam existimationem amittat, extraordinarium confessarium requirit, cui mortalia confiteatur, et venialia tantum moderatori ordinario declarat. Quondam, cum in aliquod mortale lapsa fuisset, et copia confessarii extraordinarii deesset, recurreretque tempus pro confessione statutum, in magna versabatur perplexitate. Adstant undique ambages. Si accedere velit ad confessarium ordinarium, magna verecundia cohibetur; si exspectare statuat donec alium repererit, mirabitur solitus moderator, et postea de causa insolitae morae interrogabit. Quid igitur faciet misera? adit quidem solitum sacerdotem, sed, ne sacrilegio inquinetur, oblatam a confessario absolutionem recusat, praetextu insufficientis praeparationis, aut recollectionis, sed reapse ut alium confessarium interea adire queat.

HINC:

QUAER. 1.° *An valide confiteatur ille qui venialia uni confessario, mortalia vero alteri declarat?*

2.° *Quid de* LEOCADIA *dicendum?*

SOLUTIO:

431.—*R. ad* 1m *Quaes. Affirm., per se* loquendo, dummodo omnia mortalia alteri prius confiteatur, nec absolutionem recipiat unquam, celato aliquo peccato mortali. Ratio est, quia confessio est vere integra, si omnia peccata mortalia complectatur. Nec in praxi damnandi sunt qui hoc faciunt ne se exponant periculo sacrilege confitendi. S. *Alph.*, n. 471.—Pessime igitur aget confessarius curiose hac de re investigando et importunis interrogationibus, vel displicentiae signis, coarctando amplissimam libertatem, quam Ecclesia permittit. Cfr. supra, n. 71, et infra, n. 444. — V. **Comp.,** n. 578.

432.—*R. ad* 2m *Quaes.* LEOCADIA non est arguenda de integritatis defectu in confessione; sed timendum est ne, huc et illuc vagando, et frequenter confessarium de industria mutando, dispositione cordis sufficienti careat. Enixe etiam adhortanda est ut ad confessarium ordinarium non accedat, si nolit mortalia declarare, etiamsi absolvi nollet; quia facile fieri potest ut, urgente confessario, absolutionem sacrilegam recipiat.

CASUS IV

INTEGRITAS CONFESSIONIS 3.°

Peccatum recens ut antiquum declaratum

PAULINA, industria mulier, siquando gravius peccet, modum invenit peccatum cum minori verecundia confitendi, ut ex dicendis patebit.

1.° Quondam, cum peccati turpis rea evasisset, confessionem generalem summariam a pluribus annis instituit, et peccatum illud recens commissum, et nondum declaratum, cum aliis peccatis iam in praecedentibus confessionibus accusatis miscet et confundit.

2.° Alias, culpa letali recenti inquinata, accusatis peccatis venialibus, addit: *Me accuso etiam de tali peccato quod anno praeterito infeliciter patravi.*

3.° Alias, recurrente eodem casu, accusatis pariter venialibus sic concludit: *Accuso me de omnibus culpis in tota vita mea commissis, praesertim de tali peccato turpi.*

HINC:

QUAER. 1.° *An peccata nondum accusata, necessario sint*

distinguenda a peccatis iam declaratis, v. gr. si aliqua confessio generalis instituatur?

QUAER. 2.° *An satisfaciat integritati confessionis, qui peccatum recens ut antiquum accusat?*

3.° *Quid de variis industriis* PAULINAE?

SOLUTIO:

433. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.*, probabilius *per se*. Ita *S. Alph.*, n. 425, et clarius in Hom. apost., n. 4; *Lugo*, disp. 16, n. 46; *Tamb.*, Meth. conf., l. 2, c. 1, *et alii* contra *Billuart*, diss. 7, art. 2, § 5; *Lacroix*, n. 4181.

Ratio est, quia peccatum, quatenus commissum, idem est sive iam fuerit declaratum, sive non declaratum. Circumstantia enim temporis quo patratum fuit, non se habet ex parte peccati, sed mere ex parte paenitentis. Quapropter, illa circumstantia non explicata, totum tamen explicatur peccatum secundum suam specificam gravitatem, immo secundum circumstantias ipsum aggravantes.

Hinc: 1.° Qui confitetur peccatum in praecedenti confessione ex oblivione omissum, non tenetur hanc circumstantiam explicare, nisi per accidens hoc requiratur ut sciat confessarius an possit absolvere, necne. *Lacroix*, ibid.

2.° Qui confitetur generaliter, probabilius potest sine alia explicatione admiscere peccata nova cum antiquis, etiamsi id de industria faciat ad tegendum tempus quo peccatum commisit, quia utitur iure suo. Nec obstat quod dicat se velle confessionem generalem facere; per hoc enim non dicit se velle sola peccata antiqua confiteri, sed velle se etiam illa comprehendere; nam confessio omnia peccata usque ad hanc horam commissa complectitur. Nec refert quod mutetur iudicium confessarii qui forte putat peccatum iam esse deletum, dum non fuit adhuc declaratum, quia sufficit ut confessarius iudicium ferat de peccato ut in se est; malitia enim peccati non mutatur, sive remissum iam fuerit, necne. Nec refert etiam quod confessarius intelligat illud esse peccatum antiquum; paenitens enim id non dixit, nec intentio absolvendi pendet ab existimatione privata confessarii qui intendit absolvere ab omnibus peccatis ad iudicium delatis. Ita expressis verbis *Lugo*, ibid., n. 54. Hoc autem probabiliter valet, etiamsi paenitens praevideat confessarium putaturum esse peccatum recens iam fuisse alias declaratum, dummodo ex vi confessionis eum in hunc errorem non inducat, sed tantum errorem permittat. *Lugo, Bonacina, Suárez, et alii* apud *Lacroix*, n. 1181.

Dixi *per se loquendo*, quia aliquando necessario declaranda est *per accidens* temporis circumstantia, v. gr. si peccati speciem mutet, ut in coniugato, etc., vel si ipsi peccato adnexa sit *reservatio*, etc. In praxi tamen semper *suadendum est* ut discrimen illud fiat. *Lacroix*, n. 1182.

434. — *R. ad* 2m *Quaes.* Communior sententia negat, quia paenitens dupliciter mentitur, celando nempe peccatum commissum, et accusando aliud, quod non patravit.

Non desunt tamen theologi, qui hoc mendacium leve putant. Cfr. *Lugo,* ibid. Ita etiam *Ball.,* h. l. (edit. romana); *D'Annibale,* 3, n. 309, nota 60; *Buccer.,* Inst. Th. mor., 2, n. 715, et Casus, § 123, n. 3; *Génicot,* 2, n. 288; *Noldin,* n. 281. Unde probabiliter satisfacit obligationi confessionis, sicut ille qui accusat percussisse capuccinum cum percusserit carmelitam; vel detraxisse domi, cum detraxerit in via, etc. V. **Comp.,** n. 590.

435. — *R. ad* 3m *Quaes.* Seu quid de PAULINAE industriis?

In primo casu, videtur PAULINA integritati confessionis satisfecisse cum rigore loquendo, quia paenitens, significando se velle declarare peccata totius vitae usque adhuc, nihil excipit, nec confessarium in errorem necessario inducit. Nec obstat, quod peccata non adhuc declarata cum aliis iam confessis misceat.

In secundo casu, PAULINA probabilius non satisfecit integritati confessionis, quia negavit se recenter peccasse, quod falsum est, et proinde aequivalenter celavit peccatum, hoc ultimo tempore commissum; sed quia opposita sententia, ut diximus, *probabilis* videtur, nequit obligari ad confessionem iterandam illius peccati.

In tertio casu, defuit etiam probabilius integritati confessionis, quia peccatum recens, ut antiquum accusavit, sed probabilis quoque videtur sententia, quae stat pro validitate confessionis. Unde certo non constat de obligatione iterandi confessionem. V. **Comp.,** n. 590.

CASUS V

INTEGRITAS CONFESSIONIS 4.°

Confessio dimidiata ob infamiae periculum

1.° SIGISMUNDUS, parochus, sacrum Viaticum ad BARBARAM moribundam deferens, magna comitante turba, postulat ab ipsa de more, secreto, an quid conscientiam remordeat? Fatetur illa, se a 40 annis sacrilege confessam esse; timens autem parochus ne mirentur assistentes, si diutius cum aegrota sermonem protrahat, audito uno vel altero peccato, eam absolvit et sacra Eucharistia reficit.

2.° CLAUDINUS, puer, cum pro prima vice ad sacram mensam, multis stipantibus sociis, accederet, timore sacrilegae communionis correptus, statuit declarare peccatum grave a pluribus annis patratum, et hactenus in confessione celatum. Deficiente confessario ordinario, adit sacerdotem primum sibi obvium, et rem ei uno verbo aperit. Hic propter temporis angustiam et infamiae periculum puerum statim ab-

solvit, praecipiendo ut ad sacram Synaxim accedat, postea confessionem ratione integritatis completurus.

HINC:

QUAER. 1.° *An recte processerit* SIGISMUNDUS *in primo casu?*
2.° *An* CLAUDINUS *in secundo casu potuerit absolvi et Eucharistiam accipere, imperfecta confessione?*

SOLUTIO:

436. — *R. ad* 1m *Quaes.* SIGISMUNDUS recte processit, nec prudenter alio modo facere potuisset; etenim in tantis rerum angustiis non urget praeceptum integritatis confessionis, propter periculum famae quod incurrisset moribunda. Igitur in eo casu, auditis praecipuis peccatis, mulier absolvi debuit. Deinde confessario quamprimum ad aegrotam redeundum ad maiorem confessionis integritatem obtinendam, in quantum, spectatis circumstantiis, id fieri potuit. *S. Alph.*, n. 484; *Gousset.*

437. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Ratio enim eadem est ac in casu praecedenti, scilicet, quia urgebat periculum grave infamiae excusans hic et nunc a praecepto divino integritatis confessionis. Recte igitur egit confessarius erga CLAUDINUM. Ita *Gousset,* ibid.

CASUS VI

INTEGRITAS CONFESSIONIS 5.°

Virago

ROSAURA, nobilis matrona, omnibus confessariis civitatis notissima, cum non auderet cuipiam aperire sua peccata, nec alio facile divertere posset, induta virili veste, sub noctem ingreditur oratorium in quo soli viri admittuntur, virilique simulata voce integram et sinceram instituit confessionem omnium peccatorum, etiam cum personis sexus diversi commissorum, et absolutionem obtinet.

HINC:

QUAER. 1.° *An confessio* ROSAURAE *valida et integra fuerit?*
2.° *Si abortum in se procurasset, an satis fuisset dicere: abortum procuravi?*

SOLUTIO:

438. — *R. ad* 1m *Quaes.* Confessio ROSAURAE integritate *per se* non caruit, modo mulier omnes peccatorum species expresserit. Ratio est, quia confessarius audit et absolvit peccatorem praesentem cuius-

cumque status, conditionis aut sexus fuerit. Error enim ministri circa sexum paenitentis, est quid mere accidentale quoad confessionem et absolutionem; nam confessarius non debet iudicium ferre de sexu, sed de peccatis; peccata autem pro diverso sexu speciem non mutant. Hoc etiam valet, si mulier, confitendo sub specie viri, peccata cum sexu diverso commissa accusaret, quia iudicium confessarii essentialiter non mutaretur.

439. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.* Ratio est, quia mater non exprimeret quod proprio fetui necem intulisset, et proinde speciem gravissimam peccati contra pietatem reticeret. Ergo in eo casu confessio Rosaurae integritate careret.

CASUS VII

MENDACIUM IN CONFESSIONE 1.°

Dorothea, pia mulier, licet ut filia Adae humanam fragilitatem interdum experiatur, a confessario interrogata utrum ad sacram mensam de more accesserit, affirmavit, non audens declarare, se ob aliquod animi taedium semel iterumve communionem praescriptam omisisse. — Alias interrogata num peccatum aliquod veniale pluries olim ab ea commissum iterum admiserit, contra veritatem id negavit. — Tandem, cum generalem confessionem ex mera devotione instituisset, interrogata de aliquo peccato gravi contra castitatem, negavit se illius ream esse, quia illud in praeterita confessione debite declaraverat. Postea timet Dorothea, ne propter praefata mendacia, confessionem sacrilegam fecerit.

Hinc:

Quaer. 1.° *Quale peccatum sit mentiri in confessione?*
2.° *Quid de* Dorothea *iudicandum?*

Solutio:

440. — *R. ad* 1m *Quaes. Per se* datur tantum peccatum mortale quando mendacium versatur circa materiam necessariam confessionis sine iusta causa celatam, aut materiam gravem suppositam.

Hinc: 1.° Peccat *graviter* paenitens qui, non legitime excusatus, negat se commisisse aliquod peccatum *grave* quod scit se patrasse, quia iniuriam gravem sacramento irrogat.

2.° Peccat etiam graviter qui, mentiendo in confessione, accusat peccatum grave quod non commisit, v. gr. ad iactantiam, ad intricandum confessarium, ad curiositatem, ut eliciantur a confessario explicationes circa res ignotas et periculosas, ad complacentiam in interrogationibus a confessario faciendis habendam, etc. Ratio est, quia gravem iniuriam irrogat sacramento ipsi subiiciendo tanquam

materiam certam et necessariam peccata non exsistentia. Excusantur tamen a peccato gravi ob bonam fidem rudiores, qui putant melius esse *abundare* quam *deficere* in numero dubio peccatorum exponendo. Ita *communiter* cum *S. Alph.,* in Hom. apost., n. 28. Cfr. tamen supra, n. 434.

441. — 3.° Mendacium autem circa peccata *venialia* negata vel falso affirmata in confessione non est *per se* peccatum mortale, quia tale mendacium non est perniciosum, nec graviter sacramento iniuriosum, cum sit in materia levi et non necessaria. Ita *communiter, S. Alph.,* ibid.; *Billuart,* diss. 7, a. 2, § 5, contra *plures,* qui dicunt quod omne mendacium in confessione sit mortale circa materiam quamcumque confessionis versans.

4.° Non est peccatum mortale *per se* negare culpam gravem *confessam,* quia non est materia necessaria sacramenti, et responsio negantis, nisi circumstantiae aliud postulent, intelligenda est ab ultima confessione, vel de peccato non adhuc clavibus subiecto. *Excipe,* si confessarius ius habeat de peccato illo interrogandi, ad praesentem directionem, v. gr. ad differendam absolutionem, propter relapsum vel consuetudinem, ad iniungendam restitutionem vel satisfactionem, aut ad remedia praescribenda, etc. *S. Alph.,* ibid.; *Billuart,* ibid., et *alii communiter.*

5.° Mendacium circa res ad confessionem seu conscientiam paenitentis non pertinentes, *per se* non est mortale; quia nec est graviter paenitenti damnosum, ut supponitur, nec graviter sacramento iniuriosum, cum ad ipsum non referatur. Ita *communiter* cum *S. Alph.,* ibid.

442. — *R. ad* 2^{m} *Quaes.* DOROTHEA non fecit sacrilegam confessionem, non obstante triplici negatione veritatis, nisi forte ex conscientia erronea, nempe si graviter peccare existimasset.

Etenim: 1.° Non graviter peccavit mulier affirmando se Eucharistiam suscepisse, et negando se commisisse tale peccatum veniale, quia materia duplicis illius mendacii minime gravis est, ut patet ex dictis; nam mendacia illa non reputarentur mortalia extra confessionem; sed circumstantia confessionis non facit ut gravia evadant, cum ad materiam confessionis necessariam non pertineant.

2.° Neque mentita est graviter, immo neque venialiter *per se,* negando se ream esse peccati, quod reapse commisit, sed quod iam alteri confessa est; quia non habet peccati illius *conscientiam;* ergo illius rea non est. Immo potest dicere: *Non commisi illud peccatum,* id est, *ita ut confiteri debeam,* quia iam ad materiam confessionis necessariam non amplius pertinet.

Hoc tamen intelligendum est, nisi confessarius in aliquo casu iuste interroget ad noscendum statum paenitentis. *S. Alph.,* l. 6, nn. 496 et 497. — Sed, si paenitens non peccaverit mortaliter ab ultima confessione, confessarius sufficienter novit statum eius, neque tunc ius ullum habet de vita praeterita interrogandi.

CASUS VIII

MENDACIUM IN CONFESSIONE 2.°

VERONICA, confessario invito, aliquando alios confessarios adit, verecundiae causa, ut incognita incognito confiteatur. Has autem interpositas confessiones confessario consueto studiose tegit, sive tacendo, sive dicendo se a 15 diebus ad confitendum non venisse, licet pridie ab alio iam absoluta fuerit. Immo, interrogata a confessario rem suspicante, utrum alio confitendi gratia perrexerit, vel absolutionem receperit, verbis ambiguis primum respondet, sed pressius adacta, negat restrictione scilicet mentali utendo. Novit enim confessarium mussitare, irasci, increpare, si resciat aliquam suam oviculam alio fuisse peregrinatam.

HINC:

QUAER. 1.° *An* VERONICA *confessario mentita fuerit in circumstantiis supra enuntiatis? et an graviter dissimulatione peccaverit?*

2.° *Quid sentiendum sit de confessariis, qui, timentes ne forte paenitentes alium sacerdotem adeant, eos quaestionibus intricatis urgent et premunt, ut rem ab ipsis emungant?*

SOLUTIO:

443. — *R. ad* 1m *Quaes. Nego, per se loquendo;* etenim: 1.° VERONICA non mentita est dicendo: *a 15 diebus non veni, vel ad te non accessi ad confitendum,* quia reapse ad hunc confessarium non venit. Sensus verborum non determinat necessario audientem ad concludendum, nullam confessionem fuisse interpositam.

2.° Neque mentita est negando, se apud alium confessarium peccata sua deposuisse. Ratio est, quia, cum confessio ex institutione divina sit omnino libera ratione confessarii eligendi, ius habet paenitens confessarium quemcumque approbatum adeundi; atqui iure suo privaretur, et libertate careret, si fateri teneretur se alium confessarium adiisse; nam, inquisitione confessarii ordinarii molestatus, et timore futurae correptionis vel eius contristationis edoctus, iam a libertate exercenda moraliter impediretur; ergo paenitens non tenetur fateri se alium confessarium adivisse; ergo interrogationem confessarii declinare vel dissimulare potest, seu simpliciter negare, utendo restrictione mentali satis obvia in praedictis circumstantiis; ergo VERONICA de mendacio non est arguenda; ergo, nedum dissimulatione graviter peccaverit, ab omni peccato excusanda est.

444. — *R. ad* 2m *Quaes. Graviter corripiendi sunt.* Corripiendi

inquam, quia ius strictum fidelium in re gravissima violant et libertatem ab ipso Christo paenitentibus concessam tyrannico modo restringunt, ut eos iugo suo alligatos et concatenatos devinciant. Corripiendi, quia auctores sunt cur fideles libertate conscientiae carentes peccata tegant, et utrumque sacramentum, paenitentiae scilicet et Eucharistiae, multiplicatis sacrilegiis polluant. Corripiendi, quia hac agendi ratione id efficiunt, ut passim sacerdotes omnes vituperentur, et de zelotypia et perversa aemulatione arguantur.

Quid igitur est, o sacerdos imprudentissime! quod adeo alicui mulierculae adhaereas, ut, si alio semel divertat, eam velut infidelitatis ream reprehendas? Dic, quaeso, undenam tanta tibi debetur fidelitas? numquid sacro foedere cum devotula fuisti devinctus? Quid times? numquid reformidas ne haec ovicula tuum ovile deserat? Quid tanti foret mali? minime sane; nam onere eam dirigendi, et de ea in tremendo Dei iudicio rationem reddendi careres; dum ipsa probabiliter aeque pingui et etiam pinguiori pabulo nutriretur. Quod si vir paenitens aliquando apud alium sarcinam peccatorum deponat, parum ex hoc commoveris; unde discrimen? Numquid anima viri non tam tibi cara est, quam anima mulieris? Adhuc de una re te interrogatum volo: numquid tu ipse fidelitatem proprio confessario servasti? nonne quandoque ad alium sine scrupulo divertisti? Quare igitur beneficium quo uteris pro te ipso, paenitentibus negares? Quid rei respondendum in promptu haberes, si quondam tibi conquerenti et obiurganti mulier responderet, sicut novi aliquam reposuisse: Quare tu ipse aliquando confessarium mutas? Proterva quidem, sed non insana responsio! Recole dicta supra, n. 71, et praesertim verba gravissima *D. Thomae* ibidem relata.

CASUS IX

PECCATA DUBIA

Hubertus, vir neque timoratae neque laxae conscientiae, varia peccata dubia in confessione praetermisit, ratus se nulla obligatione ea declarandi obstrictum esse, scilicet: 1.° Olim dubitans utrum delectationi morosae consensum praebuerit, et utrum peccatum talis speciei vel in tali numero patraverit, illud reticuit, hoc principio innixus, nempe: *Nulla datur obligatio, nisi de ea certo constet.*

2.° Alia vice etiam peccatum aliquod omisit inter confitendum, quia causae aderant utrinque dubitandi utrum letaliter deliquisset, vel venialiter tantum.

3.° Alias sciebat quidem et certo se aliquod peccatum patrasse, nec ignorabat illud esse certo grave; sed graviter dubitabat an illud iam in aliis confessionibus accusavisset, necne; haesit anceps aliquandiu, modo in declarationem faciendam, modo in eam omittendam pro-

pendens. Tandem illud peccatum praetermittere statuit, ratus se posse hac in re uti sententia probabili sibi favente.

HINC:

QUAER. 1.° *An adsit obligatio confitendi peccata dubie commissa?*

2.° *An accusanda sint peccata dubie gravia?*

3.° *Quid de peccatis certo commissis et certo gravibus, sed iam probabiliter in confessione declaratis?*

4.° *Quid de* HUBERTO *sentiendum?*

SOLUTIO:

445. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg., probabilius,* nisi agatur de dubio mere practico, ex quo scilicet conscientia minime efformari potest, nec omissa fuerit seria diligentia ad dubium discutiendum. Ratio est, quia tunc agitur de lege dubia quae non obligat. Etenim, ex *Trid.,* accusari debent peccata mortalia quorum habetur conscientia: atqui non habetur conscientia peccatorum dubiorum, siquidem conscientia nihil aliud est quam cordis scientia, seu iudicium practicum de peccato commisso. *S. Alph.,* n. 473.

446. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.,* etiam *probabilius per se,* saltem *speculative loquendo*, ob easdem rationes ac modo supra. Etenim lex peccata mortalia tantum respicit; ergo, si non constat de peccato mortali, de obligatione legis non constat. Sed supponitur paenitens qui, in re de qua agitur, ordinarie discernere possit inter peccatum mortale et veniale, quia secus conscientiam suam efformare non posset. V. **Comp.,** n. 580.

R. ad 3m *Quaes.* Magis adhuc controvertitur in hoc casu, ac in praecedentibus. Plures doctores urgent obligationem confessionis, quia, ut aiunt cum *S. Alph.,* quando peccata sunt certa, requiritur etiam confessio certa; *non satisfit* enim *obligationi certae per adimpletionem dubiam.* — Attamen *sententia libertati favens vere probabilis* videtur, quia obligatio confessionis in hoc casu probari nequit. Ita *Suárez, Lugo, Lacroix, Noldin,* De Sacram., n. 267; *Constantini,* Inst. Theol. mor., vol. 3, n. 756, VIII, cum *communiori.* V. **Comp.,** vol. 1, n. 144.

Ceterum, in praxi, stante dubio, tutior pars aliquando *suadenda* est, praesertim ad conscientiae pacem et ad periculum hallucinationis declinandum. Immo, paenitentes laxae conscientiae ad hanc tutiorem partem sequendam adigendi sunt, quia praesumptio contra eos militat. V. **Comp.,** a nn. 579-582.

R. ad 4m *Quaes.* Quid igitur de HUBERTO? Rigorose loquendo non videtur inquietandus, quia, cum non sit vir laxae conscientiae, atque ex rationibus solidis iudicium suum efformaverit, *opinione sua probabili uti potest.*

CASUS X

CIRCUMSTANTIAE PECCATORUM 1.°

CLEMENS, sacerdos, docet publice in contionibus, et privatim confessiones excipiendo, *nullam* prorsus dari *obligationem* declarandi circumstantias *aggravantes,* immo et *inutiliter* atque *nocenter* eas declarari; hoc enim, ait, non inservit nisi ad terendum tempus ad confessiones protrahendas, ac paenitentes perturbandos; proindeque ab iis accusandis paenitentes retrahit et prohibet.

MINUTIUS autem, alius sacerdos, CLEMENTI publice contradicit et docet e suggestu circumstantias aggravantes esse in omni casu *necessario* accusandas iuxta Conc. Trid. et Catechismum romanum; hinc ipse minutatim paenitentes interrogat de omnibus circumstantiis etiam ad sextum praeceptum pertinentibus; immo cogit omnes paenitentes a confessario oppositae sententiae absolutos, ad confessiones iterandas, ob integritatis defectum. Hinc mirantur fideles et dictitant ne ipsos quidem sacerdotes ea quae sunt religionis callere, et ita de fide actum esse.

HINC:

QUAER. 1.° *An accusandae sint circumstantiae notabiliter aggravantes, quae tamen speciem peccati non mutant?*

2.° *Quid de ratione agendi utriusque sacerdotis?*

3.° *Quid in praxi faciendum? vel quid expediat?*

SOLUTIO:

447. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg., probabilius,* cum sententia *communiori* theologorum. Ratio est, quia datur tantum obligatio accusandi peccata cum eorum numero et speciebus, ut constat ex Conc. *Trid.:* atqui illae circumstantiae, licet notabiliter aggravantes, per se solas peccata non constituunt. Praeterea saepe impossibile est distinguere quaenam sint circumstantiae aggravantes et proinde, si daretur huiusmodi obligatio, tum confessarii, tum paenitentes iugibus scrupulis obruerentur et inter angustias et perplexitates perpetuo fluctuarent.

452 (1). — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Quid de ratione agendi utriusque sacerdotis? Errat uterque. Errat quidem CLEMENS asserendo, esse simpliciter inutile aut nocivum accusare circumstantias notabiliter aggravantes; hoc enim *per se* est falsum, quia *per se* utile est, si fiat absque scrupulo, seclusa obligationis persuasione, etc. Si vero hoc

(1) Quae hic dicebantur a P. *Gury,* nn. 448-451, brevitatis gratia, duximus omittenda.

quandoque nocivum sit, est mere *per accidens*. Perperam insuper agit haec e pulpito docendo, ut luculenter patet.

2.° Errat etiam, et multo magis, MINUTIUS, socio publice contradicendo, cum ingenti fidelium scandalo. Errat, docendo dari obligationem accusandi praefatas circumstantias. Errat quoque paenitentes imprudenter interrogando, contorquendo et vexando, ut minimas circumstantias ab eis exquirat. Errat *imprimis* de *sexto praecepto* minutatim inquirendo, absque ulla necessitate et cum paenitentium offensione.

453. — *R. ad* 3m *Quaes.* In praxi *expedit, ordinarie loquendo,* ut circumstantiae notabiliores in confessione declarentur; et id fidelibus valde *suadendum* est generatim ad eorum maiorem consolationem, humilitatem et fructum uberiorem ex sacramentis percipiendum; item ad impediendas animi anxietates, v. gr. ne forte circumstantiae speciales, praesertim enormes, sint reservatae, aut species peccati diversas constituant. Confessarius tamen communiter *abstinebit* a petendis circumstantiis tantum aggravantibus *peccatorum carnalium,* ne forte paenitenti et sibi ipsi creet scandalum, neque *permittet* ut *paenitens* eas minutatim *exponat,* nisi prudenter ad eius anxietatem sedandam aliquando expediat. Ita *communiter.*

CASUS XI

CIRCUMSTANTIAE PECCATORUM 2.°

1.° PASCHASIUS, iuvenis, in peccatum turpe semel lapsus est cum propria sorore, cum consobrina germana, et cum uxore fratris sui. Cum autem ad meliorem frugem sese recepisset, ad pedes confessarii provolvitur, et cum magna contritione declarat, se cum tribus mulieribus sibi coniunctis turpiter egisse.

2.° FLAVIA, mulier, pluries imprecata est patri, fratri, consobrino, avunculo, et ipsi confessario; et erga eosdem odium et desiderium vindictae fovit. Confitetur autem quod quoties imprecata fuerit, toties odium et desiderium vindictae habuerit erga varias personas, quin earum qualitatem exprimat.

HINC:

QUAER. 1.° *An* PASCHASIUS *integritati confessionis satisfecerit? vel an gradus consanguinitatis et speciem propinquitatis declarare debuerit?*

2.° *An* FLAVIA *satis peccata sua explicaverit? vel an debuerit dicere, imprecationes, odia et desideria vindictae spectasse ad patrem, ad fratrem,* etc.?

SOLUTIO:

454. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° PASCHASIUS integritati confessionis non satisfecit, quia tacuit circumstantiam *adulterii* cum uxore fratris sui patrati. Debuisset igitur saltem addere, unam e tribus mulieribus esse matrimonio ligatam.

2.° Debuit etiam saltem *probabilius* declarare incestum cum propria sorore, seu in primo gradu lineae collateralis. Ratio est, quia reverentia quae debetur sororibus et fratribus est diversae rationis, ac ea quae aliis consanguineis collateralibus tribuenda est. Id ex eo patet quod Ecclesia nunquam dispenset ab impedimento in illo gradu ad matrimonium contrahendum. Ita *communiter* cum *Lugo* et *Lacroix.* — Attamen *S. Alph.* habet *sententiam oppositam ut probabilem,* ex eo quod talis copula non sit vetita de iure naturali, ut patet, ait, exemplo filiorum Adae. Sed responderi potest copulam hanc prohiberi saltem de iure naturali lato, et magis quam prohibetur polygamia, cum unica exceptio ob necessitatem facta sit.

455. — 3.° *Probabilius* PASCHASIUS non debuit declarare gradum consanguinitatis quoad consobrinam, quia ceteri gradus videntur tantum circumstantiam aggravantem inducere. *S. Alph.,* n. 470, et *alii communius,* contra *Concina,* etc. Neque debuit exprimere gradum affinitatis quoad uxorem fratris sui, quia si excipiatur gradus primus in linea quasi recta, seu inter socerum et nurum (*suegro y nuera*), et inter privignum et novercam (*hijastro y madrastra*) probabilius peccatum luxuriae non mutat speciem pro variis gradibus; neque necesse fuit distinguere inter propinquitatem ratione consanguinitatis, vel affinitatis. *S. Alph.,* n. 470, ubi testatur esse doctrinam communem theologorum. V. **Comp.,** n. 588.

N. B. Ad praecavendas practicas difficultates, et anxietates paenitentium sedandas, usui esse poterit sententia, quam S. Alphonsus probabilem vocat, l. 4, n. 448, iuxta quam omnes gradus incestus, sive inter consanguineos, sive inter affines, sunt eiusdem speciei, excepto solo primo gradu lineae rectae *inter consanguineos.* Vide etiam lib. 6, nn. 469 et 470. Cfr. *Ball.-P.,* vol. 2, n. 1018, et vol. 5, n. 210.

Immo probabiliter nec primum gradum consanguinitatis in linea recta debet paenitens exprimere, sed satis est si dicat: *commisi* incestum. Ita *Suarez,* De paenit., d. 22, s. 3, n. 12; *Ball.-P.,* vol. 5, n. 210; *Ojetti,* v. Incestus; *Noldin,* De sexto, n. 21. — V. **Comp.,** n. 588.

456. — *R. ad* 2m *Quaes.* FLAVIA deliquit in integritate confessionis omittendo declarare imprecationes, etc., in patrem vel in fratrem in specie, ob strictum pietatis vinculum. Illae enim iniuriae graves declarandae sunt, saltem quando agitur de propinquitate priori, quia est defectus pietatis omnino specialis, cum opponatur amori reciproco quem sibi invicem debent proxime coniuncti. Hinc praefatae iniuriae

declarari debent: 1.° quoad parentes et filios, immo quoad avos et nepotes, in linea recta; 2.° quoad coniuges, quia, cum sint una caro, debent esse *cor unum et anima una;* 3.° quoad fratres, quia coniunctione omnino speciali uniuntur (1).

457.—Non autem necesse fuit ut FLAVIA designaret in specie alios quos iniuria gravi affecit, quia iniuriae etiam graves inter alios consanguineos et inter affines *probabilius* specialem malitiam non contrahunt, licet in gradibus pro matrimonio prohibitis versentur. Ratio est, quia, cum sit remotior coniunctio, non tantus amor prae ceteris extraneis, ipsis debetur, ut iniuriae istis illatae diversam malitiae speciem constituant. *Lugo,* d. 16, n. 508, cum *aliis* contra *plures,* qui volunt ut omnes gradus pro matrimonio prohibiti in confessione exprimantur.

Neque debuit FLAVIA circumstantiam confessarii exprimere *per se.* Attamen species in eo casu mutari potest ratione sacerdotii, nempe, si dignitas sacerdotis vel religionis graviter laederetur, aut eis persona male tractaretur, vel desiderium male illud tractandi haberetur.

CASUS XII

CIRCUMSTANTIAE PECCATORUM 3.°

ANATOLIUS, parochus, cum infeliciter in peccatum carnis lapsus esset cum ancilla sua, quae simul erat paroeciana et filia confessionis, seu paenitens, ac postea sacrilege celebrasset, induta laicali veste, ad locum dissitum tendit, confidenti gratia, seque accusat quod, ligatus voto castitatis, cum aliqua muliere peccaverit, et sacrilege communicaverit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* ANATOLIUS *integre confessus fuerit, omittendo circumstantiam peccati cum paenitente commissi?*

2.° *An omittendo circumstantiam ancillae?*

3.° *An omittendo circumstantiam paroecianae?*

4.° *An omittendo circumstantiam Missae sacrilegae?*

SOLUTIO:

458. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirm.,* probabilius *per se.* Non debuit enim necessario patefacere circumstantiam peccati cum propria paeni-

(1) NOTA. Iniuriae in bonis fortunae, parentibus vel aliis propinquiis irrogatae, minime speciem peccati mutant, si excipias casum in quo parentes, pro quantitate furti, amitterent id quod necessarium esset ad vivendum, et proinde id quod filius ex pietate ipsis dare teneretur.

tente patrati. Ratio est, quia confessarius ex officio stricte tantum tenetur ad rectam directionem in tribunali praebendam, neque ulla spiritualis cognatio inter confessarium et paenitentem ex confessione oritur. *Lugo, Lacroix, S. Alph.,* l. 3, n. 451, contra *alios non paucos.*

Dixi *per se,* quia circumstantia specifica daretur, si peccatum cum confessione relationem haberet, v. gr. si adfuisset sollicitatio in confessione, vel occasione confessionis, etc., ob sacrilegium et iniuriam maximam quae tunc sacramento paenitentiae irrogaretur. *Lugo,* n. 351.

459. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.,* etiam probabilius. Circumstantia enim famulatus speciem peccati non mutat. Ratio est, quia herus, ancillam admittendo ad famulatum, cum ea de re temporali tantum contrahit, nempe de tanto pretio, de servitio annuo vel menstruo solvendo, nec intendit se obligare tanquam ex officio ad spiritualem eius animae curam suscipiendam. Attamen in casibus particularibus facile obligatio specialis intervenire potest pro hero, v. gr. si puella iunior *ipsius custodiae* a *parentibus* committatur, quia tunc *quasicontractus* intercedit.

460. — *R. ad* 3m *Quaes. Negant plures.* Ratio est, quia circumstantia peccati cum paroeciana commissi speciem particularem deformitatis inducit. Ad pastorem enim ex officio pertinet oviculam suam sedulo custodire, et periculis avertere. Quid igitur, si pastor, repente in lupum mutatus, eam voraverit? Ita *S. Alph.,* l. 3, n. 451; *alii* tamen *oppositam* sententiam tenent.

461. — *R. ad* 4m *Quaes. Neg.* etiam; ANATOLIUS enim non satisfecit integritati confessionis praetermittendo Missam in statu peccati mortalis celebratam, quia, dicendo quod communicaverit sacrilege, tacet indignam celebrationem. Seclusa autem celebrationis circumstantia, probabiliter satisfecisset dicendo se voto castitatis ligatum esse. *Lacroix,* n. 1060, et alii graves theologi. Vide dicta supra, n. 164, 3.°

* CASUS XIII

MANIFESTATIO COMPLICIS

Et illius qui fuit occasio peccati

1.° BERTHOLDUS infandum incestus crimen patravit cum sua sorore unica, parocho notissima, huiusque nepoti proxime nuptura. Urget tempus paschale, nec miser alteri quam pastori suo confiteri potest. Haeret diu anxius et dubius, an possit vel debeat peccatum illud cum sorore sua commissum confiteri cum tanta sororis suae apud

parochum infamia. Iam iam peccatum erat omissurus, cum, secum cogitando et recogitando, modum invenit sese tantis ambagibus eripiendi, et sit confitetur: *Incestum semel cum consanguinea commisi.*

2.° Aegidius, advertens sororem suam a Caio, amasio suo, gravidam esse, actus in rabiem, eam graviter percutit, et sic eius abortum procurat. Facti paenitens, confitetur quidem gravem sororis percussionem, sed circumstantiam eius praegnationis et mortis fetus reticet, ne crimen illius detegat confessario, a quo tam ipse quam tota familia perfecte cognoscitur.

Hinc:

Quaer. 1.° *An accusandum sit peccatum quod declarari nequit sine complicis manifestatione?*

2.° *An peccatum declarari possit confessario complicem cognituro, si alius confessarius non desit?*

3.° *An sit obligatio declarandi peccatum mortale quod accusari nequit sine infamia alterius qui fuit occasio aut obiectum peccati?*

4.° *Quid ad utrumque casum?*

Solutio:

462. — *R. ad* 1m *Quaes.* In praxi datur *libertas (Buccer.,* 2, n. 720; *Génicot,* n. 499; *Casus Romae ad S. Apollin.*, pag. 86); duplex enim exsistit sententia. Prima, *communior* et *probabilior, affirmat.* Ratio est, quia nulla datur ratio legitima a peccato confitendo excusans. Incommodum enim illud quod sequitur ex manifestatione complicis, est ipsi confessioni intrinsecum. Secus enim locis bene multis, ubi fideles omnes a parocho vel etiam eius adiutoribus cognoscuntur, iam rueret ex magna parte confessionis praeceptum. Parentes enim, filii, coniuges, plerumque a peccatis declarandis excusarentur, quod absurdum est. Ita *communiter. S. Alph.,* n. 580; *Billuart,* diss. 7, a. 2, § 2; *Lugo*, d. 16, n. 420.

Altera, vere *probabilis, negat,* immo dicit *deberi omitti* circumstantiam, ex qua complex detegatur, donec alius confessarius inveniri possit, cui complex sit ignotus. Ratio, quia praeceptum *naturale* servandi famam proximi praeferendum est praecepto positivo integritatis confessionis; praesertim cum huius observatio tantum differatur. Ita *Busemb., Diana, Mazzotta, Navarrus, Medina, Elbel, Ball.-P.,* vol. 5, n. 257, etc. V. **Comp.,** n. 601.

463. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.,* si *facile* alius sacerdos adiri possit *(Lugo,* De paenit., d. 16, n. 394; *S. Alph.,* n. 489; *Ball.-P.,* l. c.; *Buccer.,* vol. 2, n. 720; contra *Casus Romae ad S. Apollin.,* pag. 86). Sed facile etiam dantur causae excusantes. Insuper, seclusa quoque causa excusante, generatim grave peccatum non esset, si confessarius ordinarius servaretur. V. **Comp.,** ibid.

R. ad 3m *Quaes.* In praxi datur *libertas.* Sequitur ex dictis ex resp. ad primum quaes.

464. — *R. ad* 4m *Quaes. Ad primum casum.* Cum BERTHOLDUS usus sit sententia, quam *S. Alphonsus* et alii probabilem habent, non videtur inquietandus. Vide dicta, n. 455.

465. — *Ad secundum casum.* Nec AEGIDIUS videtur inquietandus, ut apparet ex dictis.

Praeterea, iuxta plures, seorsim utrumque peccatum confiteri valeret, scilicet gravem sororis percussionem, et abortum mulieris procuratum. Nec dicas quod sic omitteret circumstantiam specificam consanguinitatis quoad fetum occisum; nam *probabiliter* mala tractatio cognatorum non inducit speciem novam peccati, nisi agatur de consanguineis lineae rectae in primo et secundo gradu, aut in primo gradu lineae collateralis, ut dictum est supra, n. 457. Porro infans occisus, seu filius sororis, est in secundo gradu consanguinitatis lineae collateralis, et proinde erga eum non specifice laeditur virtus pietatis. *Lugo,* d. 16, n. 208 seq.; *Salmant.,* etc.

CASUS XIV

INQUISITIO DE NOMINE COMPLICIS

1.° THERSILIA accedit ad RUFINUM, confessarium, et de peccato gravi consortii cum aliquo viro se accusat. Tum RUFINUS: «Estne cognatus tuus ille? Sane in Adamo. Estne proximus? Utique, de proximo meo. Est vicinus? Plus vel minus. Quis est igitur ille? Quomodo vocatur? Vocatur eo nomine quod in baptismo sortitus est. Insolescis, proterva mulier! Vade; te absolvere nequeo, quia assequi non possum quaenam et quanta sit occasio peccandi, in qua versaris.»

2.° IULIUS, vir in regione sua conspicuus, eidem RUFINO confitendo, se accusat de peccato turpi pluries patrato cum aliqua muliere. Audivit autem RUFINUS, IULIUM male olim versatum esse cum propria ancilla, quam propterea dimittere coactus est. Hinc suspicatur graviter, paenitentem cum nova famula peccasse et proinde adesse occasionem *proximam in esse.* Igitur interrogat: «Estne serva? Est libera, reponit alter. Estne famula? Est famula Dei, de genere filiarum Evae. Sed habitatne in domo tua? Sed, Pater, hoc ad confessionem pertinere non videtur», reponit iterum IULIUS. Confessarius autem, cum non potuerit plura a paenitente extorquere, eum, licet aegre, absolvit et dimittit.

HINC:

QUAER. 1.° *An liceat confessario petere nomen complicis?*

QUAER. 2.° *An id liceat saltem ad correctionem, vel bonum publicum?*

3.° *An vero liceat confessario inquirere de circumstantiis, ex quibus in notitiam complicis deveniet?*

4.° *Quid de* RUFINO *confessario in duplici casu?*

SOLUTIO:

466. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* Constat ex bulla Bened. XIV, *Ubi primum* (2 iun. 1746) necnon ex Const. *Ad eradicandum* (28 sept. 1746), immo ex Codice statuente: «Caveat (confessarius) ne complicis nomen inquirat» (can. 888, § 2). Vide etiam *S. Alph.*, n. 491. **Comp.**, n. 603.

467. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Non licet ad correctionem, quia prohibitio est generalis, severa et absoluta. Praeterea, illa correctio semper sacramentum paenitentiae odiosum redderet.

2.° Neque licet etiam ratione boni publici procurandi, ob eamdem rationem. Sed, ubi agitur de damno publico impediendo, potest et debet confessarius, omissa interrogatione de nomine complicis, obligare paenitentem ut ipse manifestet suum complicem alicui, a quo malum impediri possit. *S. Alph.*, nn. 491, 492. Liceret tamen petere nomen complicis, si revelatio esset necessaria, nec per alium quam per confessarium fieri posset. *Lugo*, De paenit., d. 17, n. 427 et seq. V. **Comp.**, n. 604.

468. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.* quoties interrogatio spectat ad integritatem confessionis, vel ad debitam paenitentis directionem. Immo saepe tales interrogationes facere debet, ut munus suum rite adimpleat; sic, v. gr. petere potest an persona de qua agitur sit voto ligata, an complex in eadem domo versetur, et alia similia, licet hoc modo in cognitionem complicis veniat. *S. Alph.*, n. 491.

469. — *R. ad* 4m *Quaes. Ad primum casum.* RUFINUS graviter peccavit *per se*, ut constat ex responsione ad 1m quaes. Attamen eius imprudens interrogatio a peccato mortali excusaretur, si non postulasset nomen sub poena denegandae absolutionis.

Ad secundum casum. Potuit et debuit RUFINUS, stante casu, IULIUM speciatim interrogare de qualitate occasionis, ut sciret an esset occasio *proxima*, vel occasio *in esse*, seu in eodem contubernio; quia ex his confessarius dirigitur ad absolutionem dandam vel differendam, aut ad paenitentem magis vel minus urgendum, ut statim occasionem etiam ante absolutionem dimittat. Ergo recte non egit RUFINUS absolvendo IULIUM, naturam occasionis patefacere nolentem.

CASUS XV

PECCATA EX OBLIVIONE OMISSA 1.°

ROSALIA, recordans de peccato gravi in confessione modo peracta omisso, nihilominus ad sacram Synaxim accedit, et in sequenti confessione casum SEVERINO, confessario, exponit. At ille: «Scito filia, inquit, horrendum esse si quis accedat ad sacram Synaxim, conscius peccati gravis in confessione non declarati, teque damnandam fore si tanto salutis discrimini te iterum committas, neque hac vice te absolvere valeo». — Obstupefacta mulier recta pergit ad alium sacerdotem, BENIGNUM scilicet, quaerens utrum revera casus damnationis foret: «Minime gentium, inquit ille, scias te in nullo casu teneri ad confitendum ante communionem quodlibet peccatum involuntarie omissum. — Velis igitur, ait ROSALIA, peccati huius absolutionem mihi impertire. Nequaquam, reponit BENIGNUS; absolutione enim minime indiges, quia iam dimissum est hoc tuum peccatum. Sis igitur bono animo, et perge ad sacram Eucharistiam statim suscipiendam».

HINC:

QUAER. 1.° *An peccata involuntarie omissa sint confitenda?*
2.° *An declaranda sint ante communionem?*
3.° *Quid in praxi tenendum, vel suadendum?*
4.° *An nova absolutio pro peccatis ex oblivione omissis impertiri debeat, sive eidem confessario, sive alteri confessio fiat?*
5.° *Quid de utroque confessario dicendum?*

SOLUTIO:

470. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia oblivio a divini praecepti obligatione excusare nequit. Constat ex proposit. 11 ab Alex. VII damnata. Immo confessio praedictorum peccatorum plurimum differri nequit, ut dicetur in casu seq. V. **Comp.,** n. 595 seq.

R. ad 2m *Quaes. Neg., probabilius*, quia iam remissa sunt indirecte. Remanet tantum obligatio ea confitendi, ad praeceptum divinum adimplendum. Proinde, ratione probationis, peccatum communioni faciendae non obstat. Insuper, cum remissum fuerit in sacramento paenitentiae, etiam legi Concilii tridentini satisfactum est. *S. Alph.*, *Collet* et nunc alii *communius*. V. **Comp.**, De Eucharist., n. 430.

471. — *R. ad* 3m *Quaes. Suadendum* est ut peccata haec ex oblivione omissa ante communionem declarentur, *si facilis aditus ad confessarium pateat,* ad maiorem animi consolationem. Praeterea, cum postea sint accusanda, sane praestat in praesentibus huic oneri satisfacere. Quod enim *debes facere, fac citius,* et in tuum maius

commodum cedet. Insuper, dum te accingis ad communionem faciendam, declaratio peccati tui minus gravis tibi erit.

472. — *R. ad* 4m *Quaes.* Sententia communis et tenenda *affirmat.* Ratio est, quia omnia peccata mortalia, ex institutione Christi, clavibus subiicienda sunt, ut directe remittantur. Peccata autem inculpabiliter omissa, licet iam *indirecte* remissa sint, non tamen vi sacramenti, seu vi absolutionis, sed tantum vi gratiae, et concomitanter cum aliis peccatis, remissa sunt. *Sporer,* n. 627, etc. V. **Comp.**, n. 597.

473. — *R. ad* 5m *Quaes.* Damnandus est SEVERINUS, qui sine causa ROSALIAM damnavit. Ex dictis enim nullus erat pro muliere damnationis casus. Tantum igitur suadere potuisset, ut confessio peccati oblivione omissi communioni praemitteretur, non vero sub gravi *nec sub levi* praecipere. BENIGNUS in doctrina nullatenus reprehendendus est; potuit enim ita ROSALIAM docere, et ei, omissa absolutione, communionem permittere; sed, quoad modum, nimis aperte agendi rationem alterius confessarii damnavit, et ei contradixit. *Est enim modus in rebus...* Immo ROSALIAM absolvere debuit, quia peccatum directe adhuc absolutum non erat, quamvis absolutio non erat ad communicandum necessaria. V. **Comp.**, n. 597.

CASUS XVI

PECCATA EX OBLIVIONE OMISSA 2.°

1.° FLAMINIUS, peracta confessione annua, recordatur peccati mortalis in ea involuntarie praetermissi. Statuit quidem quamprimum confiteri, ut integritati confessionis satisfaciat; sed subinde propositum ad proximum Pentecostes festum distulit. Hac autem accedente sollemnitate, FLAMINIUS confessionem iterum in aliud tempus remisit, et ideo invaluit mora, ut confessionem ad paschale tempus protraxerit. Quare graviter a confessario obiurgatus est, velut gravis culpae reus.

2.° BARBARA, celato in confessione peccato, cum id parocho declarare reformidet, alteriusque confessarii copiam non habeat, frequenter communicare solet, in horrenda consuetudine sacrilegii tabescens. Tandem, occasione apud alterum confitendi data, conscientiae sordes abstergit. Sed ecce postea ipsius memoriae occurrit peccatum mortale, in hac ultima confessione involuntarie praetermissum. Quid faciet misera? Undique ambages! Nec istud peccatum parocho aperire audet, et tamen a sacrilegio abhorret. Tantis pressa angustiis, BARBARA persuasum habet se posse de more confiteri et communicare, donec occurrat alia occasio mox adfutura alteri confessario hoc peccatum patefaciendi. Ita reapse peragit.

HINC:

QUAER. 1.° *An peccata involuntarie omissa, sint necessario alias quamprimum accusanda; vel quandonam urgeat haec obligatio?*

2.° *An possit interponi alia confessio, antequam declarentur?*

3.° *Quid de utroque casu?*

SOLUTIO:

474. — *R. ad* 1m *Quaes.* Peccata ex oblivione in confessione omissa, non sunt necessario quamprimum accusanda, saltem probabilius, sed sufficit ut eorum confessio ad tempus notabile non protrahatur, quia huiusmodi obligatio moraliter accipienda est; et peccata illa habentur instar debiti, cuius solutio non potest diu differri, licet non statim in rigore urgeat. Iuxta plures graves theologos, confessio horum peccatorum remitti potest usquedum urgeat alia confitendi obligatio, si nulla confessio alia libera intercedat. *Bonacina,* etc. V. **Comp.**, nn. 432 et 596.

475. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.,* quia ad integritatem confessionis requiritur ut paenitens declaret omnia peccata quorum conscientiam habet: atqui conscientiam habet peccatorum menti occurrentium, nec adhuc clavibus submissorum, quatenus ratione illorum obligationi confessionis non adhuc satisfecit; ergo... V. **Comp.,** ibid.

476. — *R. ad* 3m *Quaes. Ad primum casum.* FLAMINIUS optime fecisset, si ad confitendum pro sollemnitate Pentecostes accessisset, et peccatum ex oblivione omissum cum aliis nondum patefactis accusaret. An vero ei accusandum sit de peccato praesertim gravi, ex eo quod confessionem tamdiu distulerit? Ex dictis *probabiliter* negandum est. Proinde ipse confessarius, velut nimiae rigiditatis, est arguendus.

Ad secundum casum. BARBARA male fecit, quia peccatum nondum accusatum, dum confiteretur, voluntarie sine causa excusante reticuit. Si adeo abhorreat a peccato suo declarando, omittat totaliter confessionem, usquedum adveniat ille confessarius, qui exspectatur, et proxime venturus est. Nihil enim urgere videtur, quia non dicitur eam in statu peccati mortalis versari; insuper, non instat tempus annuae confessionis; proinde ex sola devotione confiteri et communicare statuit.

* CASUS XVII

PAENITENS LINGUAE CONFESSARII IGNARUS

ASCANIUS, natione germanus, linguae gallicae prorsus ignarus, nescio qua de causa, iter per Galliam agebat. Secum vero socium ducebat utriusque idiomatis probe scitum. Sed ecce interea, mox de-

currente paschali tempore, obligatio confitendi et communicandi instat. Quid faciet ille? Dubitat utrum confiteri debeat per interpretem, seu per fidelem suum Achatem. Diu haeret anceps, et in dies protrahit utriusque praecepti adimpletionem. Sed, elapso tempore paschali, ecce repentino morbo correptus, de vita valde periclitatur. Tunc recurrit et adaugetur difficultas. Metu mortis pressus et adactus, mandat, licet aegre, ut sacerdos requiratur; et per socium, velut interpretem, integram peragit confessionem.

HINC:

QUAER. 1.° *An ignari idiomatis regionis vel confessarii per interpretem confiteri teneantur?*

2.° *Quomodo confessio per interpretem fieri possit, quin hic peccata accusata cognoscat?*

3.° *Quid de casu?*

SOLUTIO:

477. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° *Neg*, si agatur tantum de praecepto *Ecclesiae,* quia confessio per interpretem est onus gravissimum, quod nullatenus sub lege ecclesiastica cadere censetur. Ita *omnes,* ait *Concina.*

2.° *Neg.* etiam, *probabilius*, de praecepto *divino,* etiam *in articulo mortis*. Ratio est, quia confiteri per interpretem est onus gravissimum et multis periculis obnoxium, v. gr. periculo revelationis, irrisionis, etc. Praeter quod nemo tenetur duobus confiteri. Constat enim ex Concilio *Later.,* c. Omnis utriusque sexus fidelis... solus peccata sua confiteatur.

478. — *R. ad* 2m *Quaes.* Sic fieri potest: 1.° interpres avertat faciem a paenitente; 2.° recitet ipsi in suo idiomate interrogationes generales a confessario alta voce factas, circa praecepta Decalogi et Ecclesiae; 3.° interea paenitens ad singulas interrogationes nutu significet confessario an peccaverit necne, simulque numerum peccatorum digitis promat, ubi se reum cognoscit. *Voit,* n. 574.

Haec methodus suadenda est peregrinis, qui aliter confiteri nequeunt; sed ex obligatione rigida imponenda non est, quia, licet sic peccata interpretem lateant, est medium extraordinarium, et huiusmodi praxis paenitenti valde repugnare potest, variisque scatet incommodis.

R. ad 3m *Quaes.* ASCANIUS non fuit obligatus ad confitendum *per interpretem,* etiam in morte, ne quidem ad solum veniale dicendum. Inducendus tamen est ad confitendum per interpretem, modo praedicto, ad tutius atque solatium maius, necnon ad fructum uberiorem percipiendum. Si vero possit unum mortale exprimere per se solum, ad id tenetur.

CASUS XVIII

CONFESSARIUS IDIOMATIS LOCI IGNARUS

NICOSTRATUS, sacerdos, magno desiderio saluti animarum se impendendi, in longinquas barbarasque regiones proficiscitur, ut aliis viris apostolicis se comitem adiungat. Sed ecce, mox, ita disponente Providentia, licet linguae regionis ignarus, solus ingenti provinciae praeficitur. Undique requiritur ut moribundis succurrat; sed neque intelligit quid dicant aegrotantes, neque ab ipsis intelligitur. Quid consilii capesset? Ostendit Christi crucifixi imaginem aegrotis deosculandam, signo eos inducit ad veniam a Deo postulandam, et ad pectus in signum doloris et confessionis percutiendum, eosdemque absolvit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo missionarius, ignorans linguam regionis, poterit saltem aliquatenus confessiones excipere?*

2.° *Quid de praxi* NICOSTRATI?

SOLUTIO:

479. — *R. ad* 1m *Quaes.* Sequens methodus praedicto missionario suadenda est: discat confessarius ex lingua regionis, si nesciat, nomina praecipuorum peccatorum et frequentiorum, eaque enuntiet coram paenitente, qui, ubi opus erit, nutu capitis, aut affirmatione significabit se deliquisse. Ex hoc colliget quaenam peccata, saltem in genere, a paenitente commissa fuerint. Ceterum satisfacient praedicti paenitentes, si confessario manifestent ea pauca peccata quae declarare possunt. Ita *communiter* auctores, agendo de moribundis qui non possunt integre confiteri, quod etiam ceteris casibus urgentis necessitatis convenire potest. *S. Alph.*, n. 480. — V. **Comp.**, n. 607. Vide etiam dicenda in casibus sequentibus.

480. — *R. ad* 2m *Quaes.* Valet quidem praxis NICOSTRATI, quando absolute alio modo facere non potest. Sed teneat methodum supra indicatam, et res facilius ipsi succedet.

CASUS XIX

ABSOLUTIO MORIBUNDI SENSIBUS DESTITUTI 1.°

1.° SIGEBERTUS, parochus, advocatur ad PAULINAM, vitae liberioris mulierem, graviter decumbentem. Cum eam invenisset penitus destitutam sensibus, iudicat absolvendam non esse, quamvis, teste

ancilla, sacerdotem desideraverit; monitisque adstantibus de iustitia Dei in hanc miseram, suae paroeciae scandalum, domum gemebundus se recipit.

2.° MARIUS, advocatus ad IUSTINAM moribundam, audiensque eam repente apoplexia correptam fuisse, declarat eam absolvi non posse, cum ne de confessione quidem cogitare potuerit. Sed contristatos consolatur parentes, eo quod, cum christiane vixerit, Deus infinite bonus misericordiam illi sit tributurus; mors enim, ait, vitae similis est.

HINC:

QUAER. 1.° *An absolvendi sint quilibet moribundi sensibus destituti, si sacerdotem desideraverint, vel signum doloris ante eius adventum ostenderint?*

2.° *An absolvendi, si christiane vixerint, non tamen signa doloris praebeant?*

3.° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO:

481. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Constat ex Rit. Rom. necnon ex variis Conciliis. Ratio est, quia per testimonium adstantium videtur tunc fieri veluti confessio per interpretem, cum moribundus censeatur continuare priorem confessarii petitionem. V. **Comp.,** n. 608.

482. — *R. ad* 2m *Quaes.* Absolvendi sunt etiam *conditionaliter* omnes moribundi sensibus destituti, qui christiane vixerunt, etsi nullum dent signum doloris, aut petitionis confessionis. Ratio esse potest, quia in istis aliquo modo praesumi possunt dolor et confessio peccatorum per suspiria, gemitus, varios motus corporis, per anxiam respirationem, etc. Qui enim christiane vivit, praesumitur velle christiane mori. *S. Alph.,* n. 482.

Immo eodem modo absolvendi sunt etiam illi qui parum christiane vixerunt. Ratio est, quia etiam in istis potest adesse paenitentia, et confessio sensibilis. Peccator enim qui male vixit, se ad extrema perductum sentiens, potest bene mori velle, et donec oppositum probetur, absolutio ipsi impertienda est. Ita recte *Collet* cum aliis.

N. B. Non caret difficultate assignare solidam rationem pro absolvendis moribundis sensibus destitutis. Huius difficultatis diversas solutiones vide in **Comp.,** n. 609.

483. — *Obiicies* cum *Concina* decretum *Societatis Iesu* quo damnatur sequens propositio recensita in catalogo propositionum quae in scholis eiusdem Soc. doceri non debent (in Ordinat. pro schol. sup.): *Moribundus etsi nullum signum det aut dederit contritionis, adeo ut sacerdos nec scit nec prudenter putare possit praecessisse aliquam sensibilem confessionem, absolvi potest.*

Resp. 1.° Societas prohibuit ne doceretur talis doctrina in suis scholis, quia tunc opposita sententia erat communior. 2.° Certum est iesuitas communiter etiam Romae absolvere praedictos moribundos,

non obstante Societatis decreto, nec reclamante eadem Societate.

484. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° SIGEBERTUS prorsus damnandus est, quippe qui tanta inclementia erga miserrimam Christi oviculam perditam usus est. Numquid cum Christo Domino fas ei erit dicere: *Ego sum pastor bonus?* Sane huic peccatrici succurrere debuisset, in quantum poterat, per conditionatam absolutionem. Etenim evidenter egit contra praescriptum Rit. Romani, quo iubemur absolvere omnes qui sacerdotem postularunt, antequam usu sensuum privarentur.

2.° Neque MARIUS muneri suo satisfecit. Etenim, cum agatur de muliere quae christiane vixit, facile fieri potest ut lucidum intervallum, praesente sacerdote, habuerit et aliquo modo confessa fuerit; ergo absolvenda erat IUSTINA. Bene quidem fecit, consolando parentes puellae, et eius christianam vitam recolendo; sed multo melius fecisset, et meliori modo afflictos parentes consolatus fuisset, si moribundam beneficio absolutionis donasset.

CASUS XX

ABSOLUTIO MORIBUNDI SENSIBUS DESTITUTI 2.°

BONIFACIUS, sacerdos, iter agens incidit in militem, qui, in duello confixus, moribundus et sensibus destitutus iacebat, eumque statim absolvit. Deinde iter prosequendo, in haereticorum regione moribundum offendit in via iacentem, penitus sibi incognitum, et iam iam ultimum spiritum efflaturum. Dubius an hic catholicus esset vel haereticus, eum tamen conditionaliter absolvit.

HINC:

QUAER. 1.° *An absolvi possit ille qui, in ipso actu peccati, sensibus destitutus est?*
2.° *Quid de* BONIFACIO?

SOLUTIO:

485. — *R. ad* 1m *Quaes.* Etiam illi qui in statu peccati mortalis, v. gr. adulterii, duelli, ebrietatis, furti, etc., sensibus sunt destituti, cum rigore loquendo eodem modo absolvi possunt, quia fieri potest ut isti lucidum intervallum habeant, Deo reconciliari velint, et suum desiderium ostendant per signa quae non satis percipiuntur, licet sensibilia sint. *S. Alph.*, n. 483.

486. — *R. ad* 2m *Quaes.* Quid de BONIFACIO? Ingens premit difficultas, et lis magna inter theologos hac de re agitatur. Quidquid sit, laudandus BONIFACIUS, quippe qui, in quantum poterat, misero peccatori subvenit; absolute enim fieri potest, ut dispositus fuerit et aliquo modo confiteri voluerit. Sed debuit primum ipsi acclamare ut eum ad

contritionem disponeret, necnon ad confitendum qualicumque modo adhortaretur, si forte ab ipso audiretur. V. **Comp.,** n. 609.

487. — *Obiicies:* Homo sensibus prorsus destitutus, est incapax sacramenti paenitentiae, quia nullo modo confiteri potest. Confessio enim debet esse sensibilis: sed ea confessio non est sensibilis, quae nullo modo apparet; ergo...

Resp. Licet moribundus destituatur sensibus externis, sensibus tamen internis, seu usu rationis gaudere potest. Constat ex multis exemplis hominum graviter decumbentium, qui sanitati restituti, testati sunt se intellexisse omnia quae dicebantur et agebantur circa ipsos, et conatos fuisse per signa et suspiria confiteri et dolorem de peccatis exprimere. Sic de se narrat theologus *Marchantius* apud *Elbel,* n. 212:

«Confirmor, ait, in hac ignotorum signorum declaratione, eo quod mihi semel, extremo periculo post extremam unctionem laboranti, et per omnia sensuum operatione destituto, contigit. Sensibus omnibus destitutus eram, excepto auditu; ratione autem et iudicio firmo et recto utebar intus, ita ut, cum me deficere et ex medico foris loquente et ipsius naturae debilitate perciperem, firmiter me Dei misericordiae commendabam, et pium aliquem affectum foris conabar praestare; quare mirum est, si forte gemitu aliquo vel respiratione, vel doloris nutu illud non ostenderim, quamvis adstantes illud non notarent, nisi forte ut erant signa naturae patientis. Ab illo tempore in animum induxi, quod, si quovis modo aliquem catholicum sic oppressum reperirem, nec signum aliquod mihi intelligibile dari posset, nihilominus sub conditione absolverem, ex eo quod forte aliquod signum paenitentiae edat, etsi mihi incognitum». Alios *casus* huic similes vide apud *Ferreres,* La muerte real y la muerte aparente, n. 44 seq.

CASUS XXI

ABSOLUTIO HAERETICI MORIENTIS 1.°

OLIVARIUS, sacerdos, iter agens per loca haereticorum, cum in hospitium divertisset, ecce! incidit in haereticum moribundum, sensibus destitutum et cum morte iam luctantem. Ignorat an fuerit haereticus materialis vel formalis, an usu rationis gaudeat necne; quid faciet? perplexitate primum torquetur, sed cum periculum sit in mora, mox insinuato et acclamato actu doloris de peccatis et desiderio confessionis, eum conditionaliter absolvit.

HINC:

QUAER. 1.° *An absolvi possit conditionaliter haereticus materialis sensibus destitutus?*

2.° *An recte egerit* OLIVARIUS?

SOLUTIO:

488. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm., probabiliter.* Ratio est, quia praesumi potest aliquatenus quod, hic et nunc veritatem agnoscens, velit in religione catholica mori, et consequenter confiteri et absolvi: hoc enim absolute fieri potest. Nonne unus talis inter centum millia potest reperiri? Deinde, in casu necessitatis licet uti opinione etiam tenuiter probabili in favorem hominis periclitantis. Iuxta alios, haereticus materialis absolvi potest, quia vult implicite sacramentum paenitentiae recipere, cum omnia ad salutem necessaria admittere velit. *Lacroix,* n. 1866; *Elbel,* nn. 212 et 216; *Reuter,* Neoconfessarius, n. 203.

Negant tamen plures cum *S. Alph.,* n. 483 in fine, nisi haereticus absolutionem expresse petat, quia talis homo nunquam praesumi potest dare signa doloris in ordine ad confessionem, a qua summopere abhorret. — E contra *Card. Gennari* (apud *Il Monitore,* vol. 6, p. 2, pag. 112) *probabiliter* docet posse absolvi sub conditione etiam haereticum publicum et *formalem,* schismaticum, apostatam, etc., sensibus destitutum.

489. — *R. ad* 2m *Quaes.* Laudandus OLIVARIUS, quippe qui, quo meliori modo potuit, saluti haeretici providit. Poterat enim haberi spes aliqua, licet tenuissima, valoris absolutionis ipsi conferendae.

CASUS XXII

ABSOLUTIO HAERETICI MORIENTIS 2.°

CAESARINUS, haereticus, homo bene morigeratus, et qui videbatur materialiter tantum errasse, morbo gravissimo correptus, iam ad extrema pervenerat, quin tamen rationis usu fuerit destitutus. Id inaudiens SYLVANUS, loci parochus, confestim se ad eum contulit ut eius saluti aeternae consuleret, et eumdem in hunc modum allocutus est: *Dic mihi, mi bone, nonne in religione lutherana permanes, quia illam veram existimas? Nonne illam statim relinqueres, si falsam putares? Nonne confiteris Deo te peccasse, et vis confiteri homini qui te possit absolvere? Nonne mihi confitereris, si scires te debere hoc facere?* Ad singula annuit aeger... et sacerdos ait: *Si est sufficiens ista confessio, ego te absolvo,* etc. Ex *Gobat* et *Elbel.*

HINC:

QUAER. 1.° *An absolvi possit haereticus materialis, sensibus adhuc gaudens, et bona fide recusans religionem catholicam amplecti?*

2.° *An recte egerit confessarius in proposito casu?*

SOLUTIO:

490. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Quamvis communius *negent* theologi cum *S. Alph.*, quia haereticus quilibet recipere nequit sacramentum paenitentiae, quod non vult, et cuius fidem nullam habet; attamen *affirmant Lacroix, Reuter, Elbel,* supra citati, cum nonnullis aliis, pro casu extremo necessitatis. Ratio est, quia requisita ad sacramentum paenitentiae absolute, aliquo modo implicite adesse possunt. Etenim haereticus ille potest vere de peccatis dolere et implicite velle confessionem, v. gr. si fateatur interroganti sacerdoti quod vellet confiteri si putaret religionem catholicam esse veram religionem. Haec sententia videtur in praxi tenenda, quia non apparet improbabilis, cum a theologis pluribus magni ponderis defendatur. Praeterea, probabilitas tenuis vel tenuissima valoris sacramenti in huiusmodi casu sane sufficit. Confirmatur ex praxi passim vigente in Helvetia et Germania, tales haereticos in articulo mortis absolvendi. Ita etiam *Casus Romae ad S. Apollin.,* pag. 99 seq.; *Génicot,* n. 298; *Noldin,* De Sacram., n. 295.

491. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Non videtur damnandus SYLVANUS, qui absolvit haereticum materialem adhuc usu rationis gaudentem. Prudenter enim egit, siquidem in tanta extremitate non suppetebat tempus haereticum instruendi et convincendi. Si autem sacerdos ei dixisset falsam esse religionem eius, incurrisset periculum moribundum a bona fide eruendi, absque certitudine eum ad veram religionem adducendi.

Obiicies: Ad absolutionem validam requiritur actus fidei: atqui in haeretico actus fidei supernaturalis supponi non potest; ergo haereticus absolvi non potest.

Resp. Dist. Actus fidei non potest supponi in haeretico *formali, conc.;* in haeretico *materiali, neg.* — Ratio est, quia haereticus *materialis* pertinet ad animam Ecclesiae, licet a corpore excludatur; ipse igitur habere potest supernaturales actus spei, dilectionis et contritionis in ea fide fundatos. *Lacroix,* ibid.; *Elbel,* n. 214; *Gobat,* etc.

CASUS XXIII

EXAMEN CONSCIENTIAE 1.°

BERNARDUS, plebeius homo, ad confitendum accedens, vix ecclesiam fuerat ingressus, cum ad sacrum tribunal properavit, et illud sine mora ingressus est. Confessarius, qui hoc animadverterat, interrogavit utrum examen conscientiae confessioni praemiserit. Negative respondit ille. Tunc confessarius cum indignatione eum repulit, mandans ut, conscientia prius debite excussa, denuo rediret. Abiit homo, et nunquam postea reversus est.

HINC:

QUAER. 1.° *Quale examen conscientiae requiratur?*
2.° *Quid de paenitente et confessario?*

SOLUTIO:

492. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Paenitens tenetur examen diligens conscientiae confessioni praemittere. Etenim omnia peccata, mortalia saltem, declarare debet; porro ad ea declaranda requiritur eorum cognitio; ad cognitionem autem examen serium et diligens praemittendum est.

2.° Obligatio illa examen ante confessionem agendi, *per se* gravis est, quia gravis est obligatio singula peccata secundum speciem et numerum declarandi; qui enim tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria ad finem hunc consequendum. Constat etiam ex Conc. *Trid.*, sess. 14, c. 5. — Dixi *per se,* quia fideles pii, qui frequenter confitentur, nec solent peccata mortalia committere, ad examen adeo accuratum, neque sub gravi tenentur. V. **Comp.,** nn. 610 et 611.

493. — *R. ad* 2m *Quaes.,* seu quid de paenitente et confessario? 1.° Paenitens merito potuit haberi ut suspectus de insufficienti examine conscientiae; homo enim plebeius, qui ab ingressu in ecclesiam mox properat ad confessionale, non praesumitur communiter domi vel in via se ad confessionem praeparasse; ergo recte a confessario fuit de examine interrogatus. Ille autem paenitens, si a multo tempore confessus non sit, vel peccata mortalia committere soleat, a noxa letali, ob examinis defectum, *per se,* minime excusandus est.

494. — 2.° Confessarius recte primum quidem egit rusticum de examine praemisso interrogando; sed postea male fecit, eum cum indignatione repellendo. Facile enim praevidere poterat id quod subsecutum est, scilicet paenitentem aegre laturum esse huiusmodi obiurgationem, nec amplius reversurum. Debuisset igitur indagare utrum ille plebeius homo, ex gravi negligentia, examen et animi dispositionem omiserit, vel ex negligentia, levi, ex simplicitate, memoriae labilitate, ut senibus frequenter contingit. Ratio patens est. Confessarius enim, ut doctor et medicus spiritualis, tenetur paenitentem instruere in his quae sunt necessaria ad debitam sacramenti susceptionem, praesertim quando paenitens sibimet sufficere nequit. Confessarius igitur in casu non adimplevit munus patris, doctoris et medici. Officium eius erat, ut defectus paenitentis suppleret eum interrogando, praeeundo, et cum caritate atque benevolo animo ipsum adhortando, ut alias accuratius se ad confessionem praepararet.

Confessarius enim, ut ait *S. Alph.,* n. 607, ordinarie ipsemet examinare debet rudiores, quia hi, sibi solis relicti, non melius se examinabunt; et si dimittantur, nunquam magis dispositi redibunt; immo absterriti difficultate examinandae conscientiae, facile a confessione abstinebunt.

Quod si, facta confessione, non adhuc videatur paenitens ille sufficienter dispositus, et facile reverti possit, tunc amanter ad revertendum alio die inducendus erit. V. **Comp.**, n. 728.

CASUS XXIV

EXAMEN CONSCIENTIAE 2.°

1.° ARNALDUS, qui a longo tempore non confessus fuerat, et in varia peccata mortalia inciderat, sine ullo examine conscientiae confessus est. Attamen, omnia peccata menti occurrentia declaravit.

2.° SILESIUS scit quod, si diutius conscientiam excutiat, probabiliter inveniet aliud peccatum clavibus subiiciendum. Cum vero se examinaverit per tantum tempus quantum communiter reputatur sufficiens pro hominibus suae conditionis, ulterius examen non protrahit, sed peccata quae menti occurrunt confitetur.

HINC:

QUAER. 1.° *An confessio* ARNALDI *valida fuerit?*
2.° *An* SILESIUS *examini conscientiae satisfecerit?*

SOLUTIO:

495. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg., per se.* Peccavit enim graviter, examen posthabendo, quia inquisitionem conscientiae sub gravi a Conc. Trid. praescriptam omisit. Non obstat quod omnia peccata menti occurrentia, et fortasse omnia mortalia declaraverit, quia se evidenter exposuit periculo omittendi accusationem alicuius peccati gravis; ergo graviter peccavit; ergo invalide confessus est; ergo iteranda confessio.

Dixi *per se,* quia, si ARNALDUS sit homo rudis minervae et bona fide ad confitendum, sine praevio examine, accesserit, valida erit confessio, praesertim si confessarius, ad examinis defectum advertens, interrogando suppleverit. *S. Alph.*, n. 471. — V. **Comp.**, n. 610.

496. — *R. ad* 2m *Quaes.* SILESIUS non debuit se diutius examinare, nec invalida fuit eius confessio. Nullibi enim invenitur praecepta discussio diligentissima, et talis, ut excludat formidinem quidquam aliud in examine ulteriori detegendi. Requiritur quidem discussio diligens, non vero summa. Non sufficit sane levis discussio conscientiae, sed debet esse seria, habito respectu ad qualitatem paenitentis, ad tempus quo hic confessus est, ad species et numerum peccatorum, ad peccandi consuetudinem, et alias circumstantias; sed non requiritur examen adeo productum, ut absit omnis timor etiam fundatus quidpiam omittendi. Hoc enim innumeris scrupulis et anxietatibus obnoxium esset, et talis discussio vera conscientiarum *carnificina* foret; quare non valet istud: *Si plus se examinaret, plus inveniret;*

ergo tenetur se plus examinare. Etenim non est tantum attendendum ad confessionis integritatem, sed etiam ad humanam conditionem, et Christi voluntatem, quae, interprete Ecclesia, est ut sacramentum illud nimis onerosum non reddatur. *Reuter, Elbel, Lugo,* d. 16, n. 190 et seq. V. **Comp.,** l. c.

CASUS XXV

CONFESSIO REPETENDA 1.°

1.° AGATHA, senicula, accedit lacrimabunda ad TIBURTINUM, confessarium: «Pater, inquit, agnosco nunc me nunquam habuisse sufficientem contritionem in praeteritis confessionibus, et defectu examinis multa omisisse peccata; insuper in ultima confessione de proposito eliciendo penitus oblita sum. Quid misera faciam, pater? Iube quod vis». — Mandat autem TIBURTINUS, confessarius, ut generalem totius vitae confessionem instituat.

2.° CANUTUS, senex, se accusat de duobus peccatis in pueritia contra castitatem commissis, et nunquam accusatis, quorum unius a iuventute oblitus est; alterius autem etsi memor, confessionem omisit, putans praeteriisse tempus accusationis. Confessarius vero haec audiens, dubitat an a CANUTO generalem confessionem exigere debeat, necne.

HINC:

QUAER. 1.° *Quandonam sit iteranda confessio? an in dubio de contritione, accusatione, vel propositi defectu?*
2.° *Quandonam exigi vel permitti possit confessio generalis?*
3.° *Qualis sit methodus opportunior in confessione generali sequenda?*
4.° *Quid de ratione agendi confessarii in utroque casu?*

SOLUTIO:

497. — *R. ad* 1m *Quaes.* Omnis et sola confessio *certo invalida* repetenda est: 1.° *Omnis invalida*, quia omnia peccata ita clavibus subiicienda sunt, ut vi absolutionis remittantur. 2.° *Sola invalida,* quia nulla est ratio cur valida repetatur. Non datur unquam praeceptum eadem peccata iterum accusandi, quando semel valide accusata sunt. Si adfuerit defectus in confessione valida, huic tantum supplendum erit. 3.° *Certo invalida,* quia, in dubio de validitate, ex regula iuris, *standum est pro valore actus*. Insuper non potest dari obligatio *certa* peccata denuo confitendi, nisi *certo de ea constet:* atqui in hypothesi non certo constat de obligatione, cum

dubium sit utrum valida fuerit confessio, necne; ergo, in dubio de contritione, de proposito sufficiente, vel de accusatione debita, confessio non est *necessario* repetenda. *S. Alph.*, n. 502 et seq. V. **Comp.**, n. 614 et seq.

498. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Confessio generalis a confessario nunquam *exigi* potest, nisi confessiones praecedentes paenitentis moraliter *certo* invalidae fuerint. Constat ex modo dictis. 2.° *Permitti* potest, aut etiam prudenter *suaderi,* quando, spectatis circumstantiis, paenitens *notabilem fructum* spiritualem ex ea percepturus est, v. gr. ratione humilitatis, devotionis, manifestationis conscientiae ad directionem perfectiorem, etc. V. **Comp.**, n. 620.

499. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Quoad ordinem confessionis. Plerumque via brevior et facilior est, si fiat declaratio peccatorum iuxta ordinem mandatorum Dei, et Ecclesiae, et postea circa status particularis obligationes, si quae particulares habeantur. Attamen, quoad paenitentes pios qui saepe confitentur et paucas culpas habent confitendas, nulla regula statui potest. Attendant ad officia sua quoad Deum, proximum vel seipsos; vel potius dicant primum id quod magis conscientiam suam remordet... etc. 2.° Quoad modum confessionis. Si paenitens sit *satis instructus* vel confessioni assuetus, inducendus est ut ipse peccata sua exponat, polliceatur tamen confessarius se eum subinde interrogaturum esse, ut omnia recte perficiantur. Si autem paenitens *sit rudis,* fere totum onus confessionis in se assumere debet confessarius, interrogando de praecipuis peccatis, quae a paenitentibus talis conditionis committi solent. V. **Comp.**, n. 622.

500. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° TIBURTINUS, AGATHAE confessarius, procul dubio iunior est et experientia caret. Nonne omnes circumstantiae casus suadent hanc seniculam in scrupulos vergere et contritioni plane satisfecisse? Nonne pleraeque devotulae de insufficienti dolore, examine et declaratione iugiter conqueruntur? Quod autem propositum ex oblivione non fuerit elicitum, non est ratio confessionem iterandi, ut saepe dictum est, siquidem *probabilissime* valida fuit. TIBURTINUS igitur incaute et nimis praecipitanter egit, praecipiendo ut AGATHA confessionem totius vitae institueret.

2.° CANUTUS non debuit confessionem generalem retexere ratione peccati illius, quod a iuventute memoriam latuit, quia confessiones ab illo tempore bona fide peregit, ideoque validae sunt. Repetendae igitur tantum sunt eae, quae factae sunt, dum memoria peccati occurreret. Neque confessio generalis instituenda fuit a CANUTO ob peccatum aliud non amplius accusatum, quia credebat tempus obligationis praeteriisse, *si reapse in bona fide versatus est.* Sola igitur confessio sacrilega iteranda foret in simili casu.

CASUS XXVI

CONFESSIO REPETENDA 2.°

POMPONIUS, confessarius, audiendis confessionibus addictissimus, ab omnibus novis paenitentibus generalem totius vitae confessionem exigit, quo melius eorum conscientiam cognoscere et dirigere valeat. *A fortiori* devotulas omnes confessionem generalem instituere aut iterare cupientes libentissime accipit, et per varios menses in ea conficienda detinet.

HINC:

QUAER. *Quid de ratione agendi* POMPONII?

SOLUTIO:

501. — *R. ad Quaes.* Quam *imprudenter* agat POMPONIUS nemo non videt; confessio enim generalis, ut supra dictum est, exigi non debet, nisi ad praeteritas confessiones reparandas; neque suaderi potest, nisi, spectatis hinc et inde incommodis et commodis, fructus notabilis pro anima paenitentis speretur. Tu vero, o POMPONI, quoties tempus et oleum perdidisti! Quoties in intricatissimas ambages te tuosque paenitentes coniecisti, confessiones totius vitae sine causa sufficienti permittendo vel etiam suadendo? Quare ad hebdomadas et ad menses protraxisti confessiones, quae facile brevissimo tempore perfici poterant? Caveto imprimis, o iunior confessarie, a quibusdam devotulis, quae velut infaustae harpyae, tuae benevolentiae insidiantes, confessiones generales indesinenter iterare et sine fine producere volunt.

CASUS

DE SATISFACTIONE

SEU

De impositione, obligatione, mutatione, et adimpletione paenitentiae sacramentalis.

CASUS I

IMPOSITIO PAENITENTIAE 1.°

PHILOMETOR, neoconfessarius, semper anxius est paenitentias sacramentales imponendo, timens ne peccatorum gravitati non sint proportionatae, prout a Conc. *Trid.* requiritur. Illi adstat TITIUS, consuetudinarius, a tribus mensibus non confessus, cui viginti ieiunia iniunguntur facienda, scilicet, ieiunium unum pro singulis peccatis mortalibus. Accedit BERTHA materfamilias, quae iubetur ter ieiunare in pane et aqua pro triplici adulterio. Sed cum domi paenitentiam peragit, indignabundus eius maritus exclamat: «ergo maxima commisisti peccata, cum tanta tibi fuerit paenitentia imposita?» Accedit etiam PHOTINUS, iuvenis, consuetudine blasphemandi et turpia proferendi obstrictus. Huic praescribitur ut ter singulis diebus per mensem lingua crucem in terra efformet, et etiam in posterum quoties similia proferet, toties id faciat.

HINC:

QUAER. 1.° *An semper imponenda sit paenitentia in confessione?*

2.° *Qualis imponenda sit, sive pro levibus, sive pro gravibus peccatis?*

3.° *Quid de ratione agendi* PHILOMETORIS *in variis casibus?*

4.° *Quid de confessariis qui operum species multiplicant, aut ad longissimum tempus, etiam ad vitam, paenitentias imponunt?*

SOLUTIO:

502. — *R. ad* 1m *Quaes.* Paenitentia in omni casu a confessario imponenda est, nisi a paenitente nulla impleri possit. Ratio est, quia

confessarius, ut minister sacramenti paenitentiae, eius integritatem, licet accidentalem, in quantum fieri potest, procurare debet. Constat ex Conc. *Trid.*, sess. 14, c. 8. Ad hoc autem tenetur confessarius *sub gravi,* si pro mortalibus iniungenda sit; *probabiliter* vero *sub levi,* si pro venialibus praescribi debeat. *S. Alph.*, n. 508, et Hom. apost., n. 47. — V. **Comp.,** n. 625.

503. — *R. ad* 2m *Quaes.* Nulla regula praecisa determinari potest. Ex Conc. *Trid.* confessarius imponere debet paenitentias *convenientes et salutares,* tum *vindicativas,* tum *medicinales,* aliquo modo numero et gravitati peccatorum proportionatas. Sed paenitentia pro peccatis mortalibus gravis in se esse debet, seu talis ut opus iniunctum reputetur obligans sub gravi, si ab Ecclesia praecipiatur. Hinc Missa audienda, ut materia gravis habenda est. V. **Comp.,** nn. 624 et 627.

504. — *R. ad* 3m *Quaes.* PHILOMETOR incassum proportionem mathematicam inter paenitentias imponendas statuere satagit; haec enim a Conc. *Trid.* non requiritur, et prorsus impossibilis est. *Debet* enim ex eodem Concilio *attendi ad vires paenitentis;* porro plerumque ii qui plus peccaverunt, generatim aliis debiliores sunt. Quod si paenitentia aliquatenus peccatis proportionata ipsis praescribatur, eam omnino vel ex magna parte omittent. Quid autem proderit? Imprudenter praesertim PHILOMETOR iniunxit BERTHAE, coniugatae et matrifamilias, ut paenitentiam in media familia publicam perageret. Imprudentius adhuc iniunxit PHOTINO, ut terram lingua toties cruce signaret; haec enim et alia similia plerumque praetermittuntur, et paenitentes a sacramentis avertunt. Quid igitur proderit?

505. — *R. ad* 4m *Quaes.* Carpendi sunt, quia iugum intolerabile paenitentibus imponunt, et causa sunt cur paenitentiae e memoria excidant, et plerumque omittantur. Quid facerent fideles, si quoties confitentur, paenitentia in totam vitam vel ad longum tempus imponeretur? Quot opera satisfactoria, decursu temporis, simul adimplenda forent! Quid igitur dicendum de illis confessariis? Similes paenitentiae ipsismet confessariis imponendae forent.

CASUS II

IMPOSITIO PAENITENTIAE 2.°

HOMOBONUS, benignioris ethices confessarius, sic in praxi peragit: 1.° aliquando nullas iniungit paenitentias pro peccatis venialibus, vel etiam pro mortalibus, si paenitentes valde contritos reperiat; 2.° levia opera iniungit peragenda iuvenibus, vel divitibus, licet mortalibus noxis et quidem bene multis graventur, ne a confessione deterreantur.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quomodo peccet* HOMOBONUS, *omittendo paenitentiam iniungere in praedictis casibus?*

2.° *An graviter peccet praescribendo tantum opera levia paenitentibus, peccatis gravibus inquinatis?*

SOLUTIO:

506.—*R. ad* 1m *Quaes.* HOMOBONUS peccat, saltem venialiter, si, seclusa iusta causa, nullam imponat paenitentiam pro venialibus; et mortaliter, si de mortalibus agatur, ut dictum est in casu pracedenti. Ratio autem excusans est impotentia paenitentis, nempe moribundi iam sensibus destituti. Alii infirmi aliquam paenitentiam, saltem levissimam, adimplere possunt, v. gr. deosculari crucifixum, pronuntiare nomina sanctissima Iesu et Mariae... etc. Plures theologi, cum *Busemb.*, dicunt confessarium excusari ab imponenda paenitentia, si paenitens sit vehementissime contritus. Sed merito illud reiicitur a *S. Alph.*, n. 507, quia non satis constare potest de tanta contritione, quae omnem peccati poenam diluat. Esset tamen ratio congrua *satisfactionem multo leviorem* imponendi.

507.—*R. ad* 2m *Quaes. Affirm., per se,* seu, si nulla sit ratio excusans, ut infirmitas corporis vel mentis, aut timor fundatus ne paenitens operi iniuncto non satisfaciat, etc. Ratio est, quia, ex praecepto Conc. *Trid.*, confessarii imponere debent paenitentias *convenientes* et *aliquo modo proportionatas* pro delictis gravibus, ne forte conniveant et fiant alienorum peccatorum participes. Secus vero dicendum, quoties adsunt rationes iustae levem paenitentiam pro gravibus peccatis imponendi. V. **Comp.**, n. 627.

Generatim, cum adest ratio leviorem paenitentiam pro peccatis letalibus imponendi, saltem curandum est ut eius materia sit *in se* saltem aliquatenus *gravis,* id est ut sit talis quae pro uno peccato mortali plurimum iniungatur, ut esset recitatio coronae B. M. V., seu tertia pars rosarii semel, vel quinquies *Pater* et *Ave* per hebdomadam, etc.

508.—Referre iuvat verba *S. Antonini* a *S. Alph.* relata et approbata, n. 510: «Est sat rationabilis causa non dandi paenitentias proportionatas, ipsa *indispositio paenitentium,* quia aliquando non sufficeret tempus vitae; nam *debet confessor dare talem paenitentiam, quam credat verisimiliter illum adimplere,* ne ipsam violando deterius contingat; quod si magna peccata commisit, et dicit se paenitere, sed non posse aliquam duram paenitentiam agere, animet eum confessor, ostendendo ei gravitatem peccatorum et per consequens poenarum, et sic tandem iniungat paenitentiam quam libenter suscipiat; et, si sacerdos non potest gaudere de omnimoda eius purgatione, saltem gaudeat quod liberatum a *gehenna* transmittit ad *purgatorium*. Inde

confessor non debet ullo modo permittere, peccatorem desperatum recedere a se; sed potius imponat ei *unum Pater noster,* vel *aliud quid leve,* et alia bona quae fecerit et mala quae toleraverit sint ei in paenitentiam, concordante *S. Thoma.* Hoc sane intellige, videlicet, quia, si alias ipsum paenitet et paratum se dicit facere quod debet, sed onus paenitentiae dicit non posse sufferre, tunc propter hoc, quantumcumque deliquerit, non debet dimitti absque absolutione, ne desperet».

Ceterum, ait *S. Alphonsus,* hic animadvertendum puto quod extra casum gravissimae infirmitatis, aut vehementissimae contritionis, non bene ageret confessarius, si pro culpis mortalibus iniungeret paenitentiam quae levem afferret obligationem; licet enim, si expedierit, imponi possit opus quod relative ad peccata sit leve, tamen regulariter semper iniungenda est aliqua paenitentia gravis, quae gravem inducat obligationem. *S. Alph.,* n. 510.

CASUS III

IMPOSITIO PAENITENTIAE 3.°

THEOPHILUS, confessarius: 1.° graves quidem imponit paenitentias pro gravibus peccatis, sed sub levi tantum, ne paenitentes graviter peccent, eas omittendo; 2.° saepe non alia praescribit opera, nisi ea quae iam sunt aliunde ex praecepto Ecclesiae peragenda, ut est, v. gr. auditio Missae die festo; 3.° paenitentiam, impertita tantum absolutione, iniungere solet; quod si prima vice paenitentem non absolvat, nullam ei paenitentiam praescribit faciendam.

HINC:

QUAER. 1.° *An possit confessarius imponere paenitentiam gravem quidem pro culpis gravibus, sed sub levi tantum obligantem?*

2.° *An imponi possit opus iam aliunde debitum?*

3.° *An eadem paenitentia pro nova absolutione iniungi possit?*

4.° *Quandonam paenitentia iniungenda sit?*

SOLUTIO:

509. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm., probabilius,* quia quilibet legislator potest materiam gravem praecipere sub obligatione levi; confessarius autem non tantum fungitur vicibus Christi, sed est vere legislator et iudex a Christo constitutus; quare obligationis gravitas non oritur ex vi sacramenti, sed ex praecepto confessarii. *S. Alph.,* n. 518, *et alii communius.* «Attamen, ait *S. Alph.,* ibid., non probarem, si confessarius vellet totam paenitentiam pro peccatis gravibus imponere

sub levi, excepto casu gravis aegritudinis, vel intensissimae contritionis, vel in alio rarissimo casu, in quo videretur omnino expedire, ad salutem paenitentis. Censeo enim, ex praecepto Trid., teneri semper confessarium iniungere aliquod grave opus sub obligatione gravi; praefata igitur sententia inservire potest ad hoc tantum ut confessarius, imposita aliqua paenitentia gravi, aliam graviorem iniungat sub levi, ita ut, si paenitens illam negligat, mortalis culpae reus non fiat».

510.—*R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* cum sententia communi. *S. Alph.*, n. 513. Ratio est, quia, cum opus illud sit satisfactorium, bene potest per claves ad meritum etiam satisfactionis sacramentalis elevari. Duplex igitur meritum habebitur in adimpletione illius operis, et duplex quoque peccatum in eius omissione; sicut fit in eo, qui voto sese obstrinxit ad audiendam Missam die dominica, ad quam praecepto Ecclesiae tenebatur. Hoc tamen non est faciendum, nisi spectata paenitentis fragilitate, vel eius magna negligentia in adimplendo opere praescripto. Censetur autem confessarius opus non aliunde praescriptum imponere semper in paenitentiam, nisi expresse paenitentem admoneat quod per opus iam aliunde debitum satisfacere possit. Hinc, si pro paenitentia auditio Missae tibi iniuncta fuerit, non satisfacies Missam semel die dominica audiendo, nisi id tibi expresse concessum sit. *S. Alph.*, n. 513.

511. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm., probabiliter,* quia tunc confessarius priorem paenitentiam aequivalenter mutat, quidpiam illi detrahendo, quod imponit pro nova absolutione. Ita *Lacroix,* l. 6, part. 2, n. 1239; *Struggl,* tr. 11, q. 2, n. 46; *Ball.-P.,* vol. 5, n. 293; *Génicot*, 2, n. 311.—*Contrarium* docet *S. Alph.*, n. 513, cum *Palao, Roncaglia,* etc., qui dicunt non posse imponi in paenitentiam opus iam debitum *ex eodem titulo satisfactionis sacramentalis.* V. **Comp.,** n. 598.

R. ad 4m *Quaes.* Paenitentia, generatim loquendo, imponenda est ante absolutionem, quia sic servatur ordo iudicii, qui exigit ut reus spondeat satisfactionem priusquam absolvatur. Si autem confessarius ex oblivione omiserit paenitentiam praescribere ante absolutionem, illam statim post absolutionem imponat. Non est tamen grave hanc inversionem facere; immo culpa vacat, si praesumatur paenitentem opus sibi iniungendum accepturum esse. *S. Alph.*, n. 514. Nulla autem necessario imponenda est paenitentia, quando absolutio non impertitur, quia nullum est sacramentum.

Ex dictis satis liquet quid de Theophilo dicendum sit.

CASUS IV

PAENITENTIA MEDICINALIS

AQUILINUS, confessarius, satagit ut semper paenitentibus *medicinales* paenitentias imponat, ut ipse praescripto Conc. *Trid.* satisfaciat. Quare: 1.° Occurrit ipsi EUGENIUS iuvenis, prava consuetudine peccandi contra castitatem inquinatus, et in eadem peccata a pluribus annis recidivus. Confessarius, in medicinalem paenitentiam, ipsi matrimonium intra annum ineundum praescribit. — 2.° Accedit EULALIA, puella ad pietatem valde proclivis, si cum personis devotis versetur, sed valde labilis et infirma, pravo occurrente consortio. Ut eius saluti aeternae prospiciat AQUILINUS, pro salutari paenitentia ingressum in religionem ipsi imponit, et, ut eam firmiori vinculo obstringat, iubet ut statim votum ingrediendi religionem emittat. — 3.° Accedit VERANUS, vino deditus, et saepe ebrius. *Contraria contrariis curantur,* ait confessarius, et ei iniungit ut, in posterum sola aqua contentus, a vino penitus abstineat.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quatenus imponendae sint paenitentiae medicinales ad mentem Conc. Trid.?*
2.° *An matrimonium vel ingressus in religionem in paenitentiam imponi potuerit?*
3.° *An prudenter imponatur bibulo ut aquam solam bibat?*
4.° *Quid de* AQUILINO *dicendum?*

SOLUTIO:

512. — *R. ad* 1m *Quaes.* Imponendae sunt paenitentiae *medicinales* peccatoribus in quantum *salutares* et *convenientes* esse possunt pro facultate paenitentium, iuxta verba Conc. Trid. Saepe autem excusantur confessarii ab illis iniungendis, quia difficile a paenitentibus acceptarentur, et difficilius adimplerentur; tunc enim non essent salutares, siquidem non prodessent nisi ad peccatores a sacramentis arcendos. *Nota,* ait *S. Alph.*, n. 509, verba Trid.: *pro paenitentium facultate,* id est utiles ad salutem paenitentium. Confessarius enim hoc solum ob oculos habere debet, ut paenitentis saluti consulat; salutares autem non sunt satisfactiones quibus prae gravitate vix pares esse paenitentes videantur, ita ut in eorum perniciem vertant.

513. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° *Neg.* quoad matrimonium, quia ex natura sua omnimodam libertatem requirit. *S. Alph.*, n. 511, *et alii communiter contra paucos.*

2.° Quoad religionem, *neg.* pariter ob eamdem rationem. Ingressus enim in religionem debet esse omnino liber et voluntarius. Deinde ad religionem amplectendam vocatio specialis requiritur, nec a confessario dari potest. *S. Alph.*, ibid.; *S. Thomas*, etc.

514. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.*, saltem generatim loquendo, quia nimium est periculum ne huiusmodi paenitentia omittatur. Satis igitur sit ut confessarius bibulum graviter et enixe adhortetur, vel etiam ad tempus aliquo modo ei praecipiat, ut saltem vinum non bibat nisi aqua delibutum, sed seclusa paenitentiae obligatione.

R. ad 4m *Quaes.* Quid igitur de AQUILINO? Maiorem *discat prudentiam* in paenitentia sacramentali iniungenda; ea enim summopere indiget, ne in posterum adeo turpiter erret cum maximo paenitentium detrimento.

CASUS V

OBLIGATIO PAENITENTIAE 1.°

HECTOR, de implenda sacramentali paenitentia parum sollicitus, facile praetermittit opera ipsi a confessario praescripta, sive pro peccatis mortalibus, sive pro venialibus. Alias non omittit quidem sacramentalem paenitentiam, sed ad tempus notabile eius adimpletionem protrahit, v. gr. ad plures hebdomadas, vel ad plures menses vel etiam ad annum. Porro ex illa dilatione saepe fit ut HECTOR paenitentiam peragat in statu peccati mortalis, cum non tamdiu in divina gratia perseverare soleat. Quapropter iubetur postea a confessario paenitentiam iterare, utpote invalide peractam.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo peccet omittens paenitentiam pro mortalibus aut venialibus impositam?*

2.° *An graviter peccet omittens paenitentiam quidem gravem, sed iniunctam pro peccatis venialibus? an vice versa?*

3.° *An vel quaenam dilatio paenitentiae sit gravis?*

4.° *An sit valida impletio paenitentiae in mortali?*

SOLUTIO:

515. — *R. ad* 1m *Quaes.* Paenitens tenetur sub gravi adimplere paenitentiam pro peccatis mortalibus impositam, quia materia gravis *per se* sub gravi obligat. *Probabiliter* autem sub levi tantum urget paenitentia pro levibus culpis imposita, quia materia levis non est capax obligationis gravis. *S. Alph.*, n. 517, cum *aliis communius.* Cfr. tamen supra, n. 509.

516. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° *Probabilius* non peccat graviter omittens paenitentiam gravem quidem in se, sed pro venialibus impo-

sitam, quia tunc satisfactio necessaria non est in quantum gravis; neque fuit, neque potuit esse intentio confessarii sub gravi paenitentem obligandi. 2.° Neque probabilius obligat sub gravi paenitentia levis in se, sed pro gravibus iniuncta, quia materia levis non est capax obligationis gravis. *S. Alph.*, n. 517, cum *aliis*. — Nec obstat quod haec levis materia locum operis gravis teneat, quia obligatio secundum materiam commensuratur, et magis attenditur ad paenitentiam in se spectatam, quam ad eius causam. Ita *communius*. *S. Alph.*, n. 521.

517. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Dilatio paenitentiae pro *venialibus* peccatis imposita nunquam gravis evadere potest, cum ipsa omissio probabilius veniale non excedat.

2.° Dilatio autem paenitentiae *gravis* pro peccatis mortalibus impositae, *probabilius* gravis reputatur, si ad duos vel saltem tres menses protrahatur. Quod tamen intelligendum tantum videtur de paenitentia *medicinali,* aut si adsit periculum oblivionis. Sed de hoc minime consentiunt theologi. *S. Alph.*, n. 521. Ergo non urgeas *sub gravi,* cum certo de gravitate non constet.

518. — *R. ad* 4m *Quaes. Affirm., probabilius,* quia ad satisfaciendum praecepto sufficit opus iniunctum ponere, licet finis praecepti non obtineatur. *S. Alph.*, n. 521. — An vero peccet, qui implet paenitentiam in statu peccati? Certum est eum non peccare *mortaliter*. Iuxta communiorem sententiam peccat *venialiter,* quia obicem effectui partiali sacramenti voluntarie ponit.

Plures tamen theologi *non improbabiliter* tenent cum *Lugo* illum ab omni culpa eximi, quia nulla est culpa soli poenarum remissioni obicem ponere. *S. Alph.*, n. 523.

CASUS VI

OBLIGATIO PAENITENTIAE 2.°

RUFINA iussa fuerat pro paenitentia sacramentali Missam audire, et certam eleemosynam pauperibus erogare. Ecce, die sequenti Sacro interfuit, immemor quod ex obligatione paenitentiae ei interesse deberet. Illi vero ex ecclesia exeunti occurrit pauper valde miserabilis, ut adiuvetur supplex postulans. Misericordia mota RUFINA eleemosynam largam ipsi erogavit, etiam quin de paenitentia cogitaret. Subinde ad haec animadvertens, dubitat an ad aliam Missam, et aliam eleemosynam teneatur. Alias cum pro paenitentia coronam B. M. V. recitare deberet, statuit primum eam recitare ex devotione, excludens intentionem satisfaciendi, ut eamdem iterum recitet ad paenitentiam implendam. Sed postea secundam hanc recitationem omisit.

HINC:

QUAER. 1.° *An satisfaciat, qui ponit opus praescriptum, paenitentiae immemor?*

2.° *An satisfaciat, qui memor obligationis excludit intentionem satisfaciendi?*

3.° *Quid de* RUFINA *tenendum?*

SOLUTIO:

519. — *R. ad* 1m *Quaes.* Satisfacit *probabilius,* quia paenitens, acceptando paenitentiam, habet animum eam adimplendi; ergo, quoties ponit opus iniunctum, illud ponit ex intentione saltem habituali paenitentiae satisfaciendi. Quisque enim, in quolibet opere satisfactorio quod ponit, semper intendit operi debito prius satisfacere quam operi supererogatorio. Ita *Lugo,* d. 24, n. 43, et *alii communius,* contra *alios* qui dicunt intentionem specialem requiri ad sacramentum integrandum. *S. Alph.* utramque dicit sententiam esse probabilem. Hom. apost., n. 58.

520. — *R. ad* 2m *Quaes. Saltem probabiliter* satisfacit. Ratio est, quia paenitentia est privata quaedam lex: atqui ad satisfaciendum legi sufficit quod opus praescriptum ponatur, etiamsi habeatur intentio legi non satisfaciendi; ergo...

Aliunde «per hoc praecise, quod fiat opus impositum a confessario nomine Christi, elevatur illud opus ad effectum sacramentalem causandum per voluntatem sacerdotis praecedentem». *Lugo,* d. 25, n. 34 seq., praes. n. 37. Ita etiam *Sánchez,* in Decal., l. 1, c. 13, n. 17; *Buccer.,* Casus, n. 355; *Génicot,* 1, n. 319, 6.°

521. — *R. ad* 3m *Quaes.* RUFINA in neutro casu est inquietanda. Sequitur ex dictis.

CASUS VII

MUTATIO PAENITENTIAE

FELICITAS, peracta generali confessione apud quemdam missionarium, pro salutari paenitentia iubetur tria ieiunia peragere. Ast, cum missionarius abiisset, ieiunia praescripta facere nequit, obstante infirma, quae supervenit, valetudine, necnon stricta medici prohibitione. Quid ergo misera! Ad GERARDUM confessarium tendit, paenitentiae mutationem obtinendi gratia: «Nescis quid petas, ait ille. Iudicium sacramentale, nisi ab eodem iudice, immutari nequit». Pergit subinde FELICITAS ad GALDINUM, alium sacerdotem, qui ait: «Ad nihil teneris, bona mulier; paenitentia impossibilis, qualis tua est, non obligat. Vade igitur in pace». Verum non adhuc ab omni scrupulo solvitur mulier, incidit enim in BASILIUM, qui imperat ut ex integro repetatur

generalis confessio, quia sententia sacramentalis nonnisi in sacramento, sive a proprio, sive ab alio confessario, immutari potest.

HINC:

QUAER. 1.° *An paenitentia mutari possit, vel a quonam? an ab ipso paenitente, si in melius fiat, ut in voto?*

2.° *An mutanda sit, si ex aliquo impedimento impossibilis evaserit?*

3.° *An in sola confessione, aut in sacramento mutanda sit, si casus mutationis occurrat?*

4.° *An ad hoc repetenda sit praeterita confessio, vel sufficiat cognitio status paenitentis, vel ipsius paenitentiae?*

5.° *Quid de variis confessariis et eorum sententiis?*

SOLUTIO:

522. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Paenitentia nunquam ab ipso paenitente commutari potest, nequidem in melius, quia paenitentiae obligatio non oritur ab ipso paenitente, ut in voto; et insuper, opus aliquod nequit ad satisfactionis sacramentalis meritum elevari nisi a ministro ipso paenitentiae impositum fuerit. 2.° Commutari vero potest a proprio confessario, quia legislator potest propriam legem mutare. 3.° Potest etiam mutari ab alio confessario, quia alius etiam potest esse eiusdem causae iudex, si paenitens ipsius tribunali se submittat. Excipe, *iuxta aliquos,* nisi paenitentia pro casibus reservatis imposita sit, quia inferior sententiam superioris mutare nequit, si hic facile adiri possit. Alii tamen non improbabiliter docent etiam in hoc casu posse inferiorem commutare paenitentiam, quia per priorem absolutionem ablata est ipsa reservatio peccati et aliunde recte praesumitur consensus superioris. Quod a fortiori infertur ex iis quae dicuntur in **Comp.**, n. 681.

Sed in omni casu iusta causa ad licitam paenitentiae mutationem requiritur.

523. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.* cum sententia communi et probabiliori. Ratio est, quia paenitens non amplius tenetur ad exsecutionem paenitentiae quae impossibilis facta est. *S. Alph.*, n. 520; *Lugo, Lacroix,* et alii innumeri contra *Bonacina,* etc.

524. — *R. ad* 3m *Quaes.* Non potest mutari paenitentia, nisi in confessione, si commutatio *ab alio* confessario fieri debeat; quia alius confessarius nullam potestatem habere potest, nisi in confessione sacramentali, iuxta omnes. Immo idem etiam videtur tenendum, licet commutatio ab eodem confessario fiat, qui extra confessionem non est iudex circa id quod ad integritatem sacramenti spectat. Ita *communius et verius,* ait *S. Alph.*, n. 529. Attamen confessarius potest hanc commutationem facere post absolutionem, quia praecedens confessarii iudicium adhuc moraliter perseverat. Non requiritur autem ut

paenitentia commutetur in ipso sacramento, seu ut paenitens in hac confessione absolvatur; quia confessio est vere sacramentalis, etiam deficiente sacramento, dummodo fiat *in ordine ad sacramentum, alias vel mox recipiendum,* si confessarius id opportunum iudicaverit.

Nec sua caret *solida probabilitate* aliorum sententia, quae tenet commutationem paenitentiae fieri posse ab eodem confessario extra confessionem etiam post longum tempus; quia tunc adhuc videtur moraliter uniri cum praecedenti iudicio sacramentali. Nam quemadmodum longius spatium non impedit quominus moraliter uniantur aut dolor, aut confessio, aut etiam impletio satisfactionis cum absolutione, ita et de mutatione paenitentiae iudicari potest. *Lugo,* d. 25, n. 112. Ita etiam *Ball.-P.,* vol. 5, n. 318; *Génicot,* 2, n. 315; *Noldin,* n. 299; *Voit,* n. 632.

525.—*R. ad* 4m *Quaes.* Si paenitens adeat eumdem confessarium, non erit necessarium confessionem repetere, dummodo confessarius recordetur adhuc *in confuso* status conscientiae paenitentis. Si vero alium adeat, vel eumdem non amplius peccatorum memorem, sufficit ut *summatim* confiteatur, ita ut confessarius confusam illius status notitiam acquirat.

Dixi, SUFFICIT *cognitio confusa status paenitentis;* an vero REQUIRATUR *illa confusa cognitio* ad paenitentiam commutandam, *controvertitur.* Affirmant *probabiliter Lacroix, Elbel,* etc., quia confessarius nequit paenitentiam commutare, nisi in iudicio sacramentali, quod absque illa notitia exerceri nequit.

Negant autem alii etiam *probabiliter* cum *S. Alph.,* etc., quia non agitur de iudicio circa peccata ferendo, sed tantum de paenitentia mutanda, ad quod sufficit prioris paenitentiae cognitio, ut alia circiter aequivalens imponatur. V. **Comp.,** n. 635.

526.—*R. ad* 5m *Quaes.* 1.° GERARDUS falso asseruit paenitentiam commutari non posse, nisi a confessario a quo iniuncta est; alius enim confessarius quilibet in foro sacramentali constitutus, et priori succedens relative ad eumdem paenitentem, eadem ac ille gaudet potestate, quia novum iudicium ferre potest.

2.° GALDINUS vero recte iudicavit mulierem ab omni obligatione liberandam esse, cum de morali impossibilitate paenitentiam adimplendi ipsi constiterit. BASILIUS vero sub omni respectu erravit, scilicet, tum quia commutavit paenitentiam quae commutatione non indigebat, tum quia mulierem ad confessionem generalem inutiliter adstrinxit, tum etiam quia iudicavit commutationem in solo sacramento fieri posse; sufficit enim ut paenitens in foro sacramentali constituatur, nec requiritur ut absolutionem recipiat.

CASUS VIII

PAENITENTIAE OBLIVIO

MARTHA, ingratae memoriae mulier, non raro paenitentiae sibi a confessario iniunctae obliviscitur, ideoque pluribus angitur perplexitatibus. Inter alios casus accipe sequentes:

1.° Quondam MARTHA, paenitentiae sacramentalis immemor, rediit ad confessarium, qui et ipse, iniuncti operis iam non recordans, aliud subrogavit.

2.° Eodem recurrente oblivionis casu, statuit mulier ad confessarium iterum recurrere, sed abierat et iam a paenitente amplius adiri non poterat. Quid igitur faciet misera? Pergit ad alium sacerdotem, a quo iubetur confessionem repetere, ut nova paenitentia praescribi valeat.

3.° Alias MARTHA, taedio et contristatione affecta propter recurrentem adhuc huiusmodi oblivionem, ipsamet sibi opus subrogatorium imponit, et ad tutius, paenitentiam in praecedenti confessione sibi iniunctam repetit.

4.° Alias nova contorquetur anxietate; postquam enim a confessario recessisset, advertit ipsum hac vice oblitum esse paenitentiam praescribere. Verum, ut ab incommodo illum iterum adeundi liberetur, ipsa aliquod opus adimplendum eligit.

HINC:

QUAER. 1.° *Si paenitens oblitus fuerit paenitentiae iniunctae, teneturne confessarium adire, ut eam resciat?*

2.° *Teneturne confessionem repetere, ut aliam accipiat?*

3.° *Si confessarius de paenitentia iniuncta non recordatur, debetne aliam subrogare?*

4.° *Quid de* MARTHA *in variis casibus?*

SOLUTIO:

527. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° *Affirm.* in duplici casu, scilicet, si confessarius merito praesumatur adhuc recordari de paenitentia, tali paenitenti imposita, et si confessarius facile, seu absque notabili incommodo adiri possit. Ratio est, quia tunc ignorantia paenitentiae non est neque physice, neque moraliter invincibilis; et insuper, non est ratio sufficiens ab obligatione excusans. Multo autem facilius excusatur paenitens ab illa obligatione adeundi confessarium ad paenitentiam resciendam, si de materia levi agatur. Hinc paenitentes pii, qui non solent graviter peccare, generatim non tenentur confessarium ea de causa adire, nisi, modo peracta confessione, adhuc iuxta sedem confessionalem maneant.

2.° *Neg.* autem in aliis casibus, *saltem probabilius,* cum sententia communi, contra plures. Ratio est, quia paenitentia, quae e memoria excidit, eo ipso impossibilis facta est, ut infra dicetur.

528. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.*, saltem cum sententia communi. Ratio est: 1.° quia ubi paenitentia tum a paenitente tum a confessario ignoratur, facta est impossibilis, nec obligare potest; 2.° quia nulla potest esse obligatio, ut peccata, semel accusata et directe absoluta, iterum clavibus subiiciantur. — Nec dicas esse repetendam confessionem, ut paenitentia iniungatur ratione sacramenti integrandi; nam praeceptum integrandi sacramenti non potest obligare cum tanto incommodo, ut communiter advertunt auctores. *S. Alph.*, n. 520.

529. — *R. ad* 3m *Quaes.* Nequaquam. Sequitur ex dictis. Paenitentia enim in eo casu facta est impossibilis, et proinde corruit eius obligatio. Neque tenetur confessarius *probabilius* novam paenitentiam subrogare pro alia oblivioni data, etiamsi de statu paenitentis sufficienter recordaretur, propter eamdem rationem. — Attamen, in praxi expedit ut aliquod opus saltem leve imponat, ad satisfaciendum devotioni paenitentis, vel ad eius anxietates compescendas.

530. — *R. ad* 4m *Quaes. In primo et secundo casu,* Martha non fuit obligata ad novam paenitentiam implendam, nec a fortiori ad confessionem iterandam. *In tertio casu* debuit adire confessarium, si facile potuit, et praesumpsit illum paenitentiae praescriptae memorem esse; secus in aliis casibus. Opus autem a seipsa susceptum, nunquam vim satisfactionis sacramentalis habere potest. *In quarto casu,* Martha non tenetur adire confessarium cum incommodo suo notabili. Immo, *iuxta plures,* non constat de obligatione redeundi ad confessarium, si absolute ab eo recessit; quia tunc est completum iudicium sacramentale, et deficit unio moralis inter illud iudicium et paenitentiam iniunctam.

CASUS IX

ADIMPLETIO PAENITENTIAE 1.°

Ubaldus, peracta confessione, pro salutari paenitentia iussus est audire semel Missam, semel coronam B. M. Virginis recitare, et SS. Sacramentum semel visitare; verum industrius homo, per compendium satisfacit: pergit enim ad Missam die dominica, eam audit, SS. Sacramentum simul adorando, et rosarium integrum eodem tempore recitando. Alias, cum duas Missas ex paenitentia audire deberet, tendit ad ecclesiam, advertit felici casu duas simul Missas in duobus altaribus esse iam iam celebrandas, easque eodem tempore audit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* UBALDUS *obligationi suae satisfecerit simul recitando coronam B. M. V., SS. Sacramentum visitando, et Missam audiendo?*

2.° *An satisfecerit obligationi paenitentiae, assistendo Missae die festo praeceptae?*

3.° *An duabus Missis iniunctis simul interesse potuerit?*

SOLUTIO:

531. — *R. ad* 1^m *Quaes.* UBALDUS obligationi suae satisfecit recitando coronam B. M. V. dum Missam audiebat, quia illae duae obligationes sunt sociabiles. V. **Comp.**, vol. 1, De leg., n. 175, et supra in hoc opere, cas. IX, De legibus, n. 100. Non autem satisfecit peragendo simul visitationem SS. Sacramenti et Sacro assistendo; quia evidenter confessarius voluit ut seorsim haec duo opera ponerentur. Quorsum enim praefatam visitationem iniunxisset? cui bono? Ergo supplere debet UBALDUS, denuo ecclesiam petendo ad SS. Sacramentum adorandum.

532. — *R. ad* 2^m *Quaes. Neg.* Ratio nota est. Licet enim opus iam aliunde debitum absolute imponi possit pro paenitentia, requiritur *expressa* confessarii voluntas, ut rationem satisfactionis sacramentalis habeat. In casu autem, nulla habetur circa hoc voluntas confessarii, immo ne implicita quidem est; confessarius enim nunquam aliquid simile intendit, quin illud formaliter manifestet.

533. — *R. ad* 3^m *Quaes.* UBALDUS minime potuit duas Missas ex paenitentia iniunctas simul audire, sed utrique successive assistere debuit. Etenim, quamvis possit quis uno tempore et actu pluribus obligationibus satisfacere, quando sunt sociabiles, et aliud non constat de mente superioris obligationem imponentis, quando tamen aliud constat, nonnisi diverso tempore et repetito actu pluribus obligationibus satisfaciendum est: atqui, in casu nostro, evidenter constat de intentione confessarii, scilicet, ut utrique Missae seorsim interveniat; talis enim est sensus notissimus et communis confessariorum, qui secus mallent unicum Sacrum imponere audiendum quam plura, si scirent haec simul audienda esse; ergo... *S. Alph.*, Homo apost., n. 57; *Lacroix*, n. 1281, *el alii communiter* contra *Busembaum*. V. **Comp.**, l. c., n. 176, et in hoc opere, vol. 1, n. 100.

CASUS X

ADIMPLETIO PAENITENTIAE 2.°

DIONYSIUS pro paenitentia sacramentali rosarium B. V. M. flexis genibus recitare debet; sedendo autem recitat. Re cognita, confessarius extraordinarius, quem occasione alicuius festi adiverat, iubet iterari recitationem, utpote invalide persolutam. — Alias, cum ieiunare debuisset in vigilia Nativitatis B. M. V. in ipsius honorem, ad specialem gratiam die festo impetrandam, id agere hac die impeditus fuit, et obligationem exstinctam existimavit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* DIONYSIUS *rosarium iterare debuerit?*
2.° *An ad ieiunium adhuc postea fuerit obligatus?*

SOLUTIO:

534. — *R. ad* 1m *Quaes.* Solutio huius quaestionis vix absolute dari potest, quia a variis circumstantiis et a voluntate confessarii maxime pendet. Generatim huiusmodi circumstantiae ut quid mere accidentale spectari debent. In praesenti autem casu, cum agatur de opere satis molesto; immo quod minus prudenter forte impositum esse ex obligatione censeatur viro, huiusmodi paenitentiae parum assueto, credibile non est circumstantiam illam sub gravi fuisse iniunctam. In praxi, post factum, inducendus est paenitens ad orandum identidem genibus flexis, ut paenitentiam aliquatenus suppleat, nisi malit rem ordinario confessario in proxima confessione subiicere. V. **Comp.**, nn. 631, 637.

535. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia circumstantia temporis non fuit praefixa *ad finiendam obligationem,* sed tantum *ad illam determinandam.* Confessarius enim minime intendit nullam imponere paenitentiam, si die determinata ieiunium omissum fuisset, vel fieri no potuisset.

CASUS

DE IURISDICTIONE ET APPROBATIONE

SEU

De necessitate iurisdictionis et approbationis; de defectu iurisdictionis incognito, seu de errore communi et titulo colorato; de iurisdictione dubia; de iurisdictione in casu mortis; de iurisdictione et approbatione regularium et erga moniales.

CASUS I

APPROBATIO

1.° DAMIANUS, sacerdos, Episcopi familiaris, commorans paschali tempore apud FLORINUM parochum, se offert ut in audiendis confessionibus ei auxilium praestet, licet approbatione episcopali careat, pro certo habens, fore ut hoc Episcopo non displiceat. Votis DAMIANI libenter annuit parochus.

2.° QUIRINUS, sacerdos, extra dioecesim suam ad breve tempus versans, ab Episcopo loci approbatur ad audiendas virorum confessiones, occurrente magna quadam sollemnitate. QUIRINUS excepit etiam confessiones plurium mulierum, et unius viri paroeciae extranei. Existimavit enim se id posse facere absque difficultate, cum in propria dioecesi approbatione gaudeat generali, absque ulla restrictione neque temporis, neque personarum.

HINC:

QUAER. 1.° *In quo approbatio et iurisdictio differant?*
2.° *Quando, et a quo Episcopo requiratur approbatio?*
3.° *An Episcopus sacerdotem extraneum approbare possit?*
4.° *An sufficiat approbatio tacita vel praesumpta?*
5.° *An validae fuerint absolutiones in singulis casibus?*

SOLUTIO:

536. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Approbatio est praecipue *iuridicum iudicium Episcopi, aut Superioris ecclesiastici, de idoneitate subditi*

ad audiendas confessiones; iurisdictio vero est concessio potestatis excipiendi fidelium confessiones cum determinatione subditorum, circa quos haec facultas exerceri potest. Iuxta Codicem canonicum non requiritur approbatio distincta a collatione iurisdictionis. Ordinarii vero locorum et Superiores regulares iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum concedere non debent, nisi iis, qui idonei **per examen** reperti fuerint (can. 877, § 1). — Excipe, si agatur de sacerdote cuius *theologicam doctrinam* aliunde compertam habeant (ibid.). V. **Comp.,** n. 649.

537. — *R. ad* 2m *Quaes.* Approbatio *ab ipso Episcopo loci, in quo audiuntur confessiones,* danda est; et sub poena nullitatis semper requiritur, nisi adsit casus extremae necessitatis, vel iurisdictio ordinaria erga paenitentem habeatur (can. 874, § 1). V. **Comp.,** n. 648.

R. ad 3m *Quaes. Affirm.* Constat ex praxi universali Ecclesiae, et sententia communi theologorum. V. **Comp.,** n. 650, q. 8.°

R. ad 4m *Quaes.* 1.° Non sufficit approbatio praesumpta, quia ex Codice requiritur ad validitatem ut sit *expresse* concessa *scripto* vel *verbis* (can. 879, § 1); ergo requiritur consensus actualis Episcopi, signis certo declaratus. 2.° Sufficit autem approbatio *tacita,* si certe ex circumstantiis colligatur: v. gr. si missionarius ab Episcopo advocetur ad missionem in aliqua paroecia agendam, eo ipso approbatus censetur ad confessiones illic excipiendas. V. **Comp.,** n. 650, q. 7.°

538. — *R. ad* 5m *Quaes. Ad primum casum.* DAMIANUS invalide absolvit, ob defectum approbationis, cum approbatio praesumpta non sufficiat, ut patet ex dictis. Graviter igitur erravit DAMIANUS *(Pontas,* v. Approb., cas. 8).

Ad secundum casum. QUIRINUS invalide absolvit mulieres, cum pro solis viris approbatus fuerit. Nec obstat quod in propria dioecesi approbatione illimitata gaudeat, quia ex sola delegatione Episcopi loci absolvere potest. *Pontas,* ibid., cas. 10. Quid vero de absolutione viri extranei? Valet, quia QUIRINUS approbatus fuit ad *confessiones virorum simpliciter;* ergo non fuit restricta approbatio ad solos paroeciae viros; extranei enim non solent ab aliis discerni. Secus enim QUIRINUS ab omnibus petere debuisset an de paroecia fuissent, et dimittere eos, qui negative respondissent, quod absurdum est. Nec obstat quidquid in contrarium dicat *Pontas,* ibid., si vir extraneus ex alia dioecesi venerit; nam ex praxi generali Ecclesiae, extranei, quicumque sint, fiunt sufficienter subditi, ex eo quod confessario in hoc loco approbato se subiiciant. *S. Alph.,* n. 569. — V. **Comp.,** n. 562, q. 16.

CASUS II

IURISDICTIO ET LICENTIA

1.° LEONARDUS, sacerdos in dioecesi approbatus, multos absolvit paenitentes, etiam tempore paschali, invitis parochis. Id etiam agere pergit, postquam Episcopus prohibuit ne fideles tempore paschali cuipiam extra paroeciam confiteantur absque parochi licentia.

2.° CYPRIANUS excipit aliquando confessiones in aliis ecclesiis sine licentia parochorum, vel in sacellis monasteriorum, non obtenta facultate eorum qui illis praesunt. Aliquando in paroeciam vicinam advocatus, confessionem aegroti cuiusquam excipiendi causa, petita quidem, sed non obtenta parochi licentia, nihilominus tendit ad domum decumbentis, et invito parocho, eum audit et absolvit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo iurisdictio et licentia inter se differant?*
2.° *An* LEONARDUS *valide absolverit invito parocho? an invito dioecesis Episcopo?*
3.° *An* CYPRIANUS *invalide vel illicite egerit, audiendo confessiones in aliis ecclesiis absque licentia, et an pro confessione aegroti extra ecclesiam licentia parochi indiguerit?*

SOLUTIO:

539. — *R. ad* 1m *Quaes.* Iurisdictio requiritur ad *validitatem* absolutionis, et proinde afficit ipsam rei substantiam. Licentia vero est tantum facultas ad rectum ordinem requisita, ex parte illius cuius interest; ideoque non reddit actum invalidum, sed tantum illicitum. Est igitur quid mere accidentale in ordine ad sacramenti paenitentiae administrationem. Sic v. gr. non potest *licite* confessarius religiosus excipere confessiones sine licentia sui Superioris religiosi; si id tamen faciat, *valide* absolvit. Cfr. **Comp.,** nn. 648, 649.

540. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° LEONARDUS *valide* absolvit, invito parocho, etiam tempore paschali; quia nullibi nunc praescribitur confessio facienda proprio parocho. 2.° Immo adhuc *valide* absolveret, quamvis Episcopus generali decreto statuerit, ut tempore paschali soli parocho paroeciani confiterentur; quia Episcopus nequit valide huiusmodi generale decretum ferre. S. C. Ep. et Reg., 5 apr. 1584. Cfr. *Buccer.,* Casus, § 129, 3.

541. — *R. ad* 3m *Quaes.* CYPRIANUS, utpote ab Episcopo approbatus, *valide* absolvit, etiamsi, invito ecclesiae aut sacelli superiore, confessiones excipiat, ut supra dictum est. Illicite autem agit quoties absque licentia eorum quorum interest, in ecclesiis aut sacellis sacra-

mentum paenitentiae administrat. Minime tamen peccavit confessionem aegroti in propria domo decumbentis excipiendo absque parochi licentia; quia domicilia privata eius iurisdictioni minime subiacent. Prudentia tamen admodum suadet ut in hoc casu caute agat, et curet, in quantum fieri potest, ne parochum habeat offensum, propter incommoda quae inde sequi possunt, praesertim si agatur de aegroto periculose decumbente cui a proprio parocho ultima Sacramenta erunt subinde administranda.

* CASUS III

CANDIDATUS MINUS HABENS

CANDIDUS, neosacerdos, vocatus fuit ad examen doctrinae subeundum pro audiendis confessionibus. Peracto examine, vota singulorum examinatorum scripta et signata traduntur Vicario Generali, qui, absente Episcopo, Concilii ecclesiastici praeses et director erat. Is vero non dubitans de sacerdotis idoneitate, statim illum misit velut alicuius parochi cooperatorem, ut, instante proxima festivitate, confessiones exciperet. Verum reseratis postea examinatorum votis in proxima Concilii sessione, CANDIDUS inventus est *minus habens,* seu ab examinatoribus reprobatus. Quamobrem illico revocatus, usquedum in doctrina morali magis proficeret, a munere confessiones audiendi suspensus fuit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* CANDIDUS *valide paenitentes absolverit?*
2.° *Quid, si ipse suum doctrinae defectum noverit, vel etiam se in examine defecisse probe sciverit?*
3.° *Quid, si post suspensionem adhuc plures absolverit?*
4.° *An fideles, detecto errore, teneantur confessiones* CANDIDO *factas apud alium repetere?*

SOLUTIO:

542. — *R. ad* 1^{m} *Quaes.* CANDIDUS *valide* absolvit antequam ab audiendis confessionibus prohiberetur. Ratio est, quia fuit simpliciter a Superiore approbatus, licet hic ex errore approbaverit; ergo, etc.

543. — *R. ad* 2^{m} *Quaes.* In hac hypothesi *peccasset* quidem ille graviter, suscipiende tantum munus, licet se incapacem cognovisset; attamen *validae* semper fuissent confessiones, quia approbatio Superioris eodem modo subsisteret.

R. ad 3^{m} *Quaes.* Etiam in hoc casu CANDIDUS *valide* absolvisset, si suspensio populo non innotuisset; quia adfuisset error communis. Error enim *communis* etiam *sine titulo colorato,* probabilius efficit

ut Ecclesia, pia mater, supplere velit, ne multi pereant. *S. Alph.*, n. 572. Cfr. can. 209 et **Comp.**, nn. 647, q. 6.°, et 651.

544. — *R. ad* 4m *Quaes. Neg. prorsus.* Ratio est, quia ex dictis confessiones illae validae fuerunt. Confessiones autem semel validae, nunquam necessario repetendae sunt. Etenim circumstantia erroris postea detecti, efficere nequit ut invalidum fiat id quod prius validum fuit; ergo, etc. *Elbel*, n. 320; *S. Alph.*, n. 572.—V. **Comp.**, n. 651 seq.

CASUS IV

SACERDOS IURISDICTIONE DESTITUTUS 1.°

SABELLUS, sacerdos, magna paenitentium caterva circumdatus, per aliquod tempus, expleto approbationis termino, primo quidem ignorantia invincibili laborando, deinde etiam mala fide, confessiones excipere perrexit. Ab Episcopo autem propterea a confessionibus suspensus, nonnullas mulierculas suspensionis ignaras nihilominus absolvit. Deinde, fuga arrepta, simulatisque ab Episcopo litteris, in alio loco consistit, ad quem fama suspensionis nondum pervenerat, et ibi ad audiendas confessiones in magna quadam sollemnitate a parocho admittitur.

HINC:

QUAER. 1.° *An valide absolverit* SABELLUS, *sive bona, sive mala fide, ante suspensionem?*

2.° *An valide absolverit mulierculas post suspensionem, et fideles post fugam?*

SOLUTIO:

545. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia adfuit error communis, ex quo fit ut Ecclesia *probabilius* suppleat, etiam deficiente titulo colorato. Nec obstat quod postea SABELLUS fuerit in mala fide, quia haec mala fides errorem communem non destruxit. Recole dicta supra in casu praecedenti. V. **Comp.**, nn. 651, 673.

Prae oculis etiam habeatur quod ex Codice Ecclesia iurisdictionem supplet cum in foro interno per inadvertentiam aliqui actus ponuntur elapso iam tempore, vel exhausto numero casuum, pro quo potestas in illo foro concessa erat (can. 207, § 2). **Comp.**, n. 648, q. 6.°

546. — *R. ad* 2m *Quaes.* SABELLUS *invalide* absolvit illas paucas mulierculas quae eius suspensionem ignorarunt, quia tunc error *privatus* tantum fuit; Ecclesia autem, iuxta sententiam communem theologorum, in errore privato iurisdictionem non supplet; quia Ecclesia, ut provisor generalis, non censetur supplere nisi ratione boni communis. — Post fugam autem SABELLUS *valide* absolvit, saltem probabiliter, quia adfuit error communis in loco in quem sese recepit. V. **Comp.**, nn. 647 et 651.

CASUS V

SACERDOS IURISDICTIONE DESTITUTUS 2.°

1.° PALUMBIUS, iunior vicarius, pridie maximae sollemnitatis, recordatur elapsum esse annum ab obtenta episcopali approbatione, seque omni iurisdictione carere ad confessiones excipiendas. Undique angustiis premitur. Quid faciet misellus? Propter temporis angustias, ad Episcopum recurrere nequit; attamen, in tanto paenitentium concursu, ab audiendis confessionibus abstinere non audet. Re secum diu perpensa, pro more in sacro tribunali sedet, absolvitque quoscumque rite dispositos reperit.

2.° LOELIUS, vicarius, advertit sabbato sancto effluxisse tempus pro quo fuerat approbatus. Nuntium igitur mittit ad Vicarium Generalem, cui notissimus et familiaris erat, prorogationem approbationis postulandi causa; persuasum vero habens gratiam postulatam certo sibi concedendam esse, ut reipsa concessa fuit, excipit confessiones pluribus horis ante nuntii reditum.

HINC:

QUAER. 1.° *An* PALUMBIUS *valide et licite egerit?*
2.° *An pariter* LOELIUS?

SOLUTIO:

547. — *R. ad* 1^m *Quaes.* PALUMBIUS male fecit, et *graviter peccavit*. Attamen confessiones illae, propter communem errorem, *validae* fuerunt, ut ex dictis in casibus praecedentibus sequitur.

548. — *R. ad* 2^m *Quaes.* LOELIUS *valide* quidem absolvit, licet iurisdictione destitutus, stante errore communi, iuxta superius dicta, sed *graviter peccavit* audiendo confessiones absque debita facultate, et cogendo Ecclesiam ad supplendum, quia non licet absolvere ex iurisdictione tantum praesumpta. Insuper fieri poterat ut Superior, ex aliqua causa ignota, postulatam facultatem esset denegaturus, vel ut esset absens, etc. Dicit *Pontas,* v. Approb., cas. 9, tum iterandas esse absolutiones sine iurisdictione impertitas, saltem ad tutius. Sed de validitate talium absolutionum minime dubitandum est, nec proinde iterandae sunt. Immo, neque iterandae viderentur, etiamsi invalidae essent, ob scandalum et magnam animarum perturbationem, quae ex hoc sequeretur; sed inducendi forent fideles omnes ad denuo confitendum quam proxime ex aliquo praetextu, v. gr. occasione alicuius magnae sollemnitatis, ut sic remissionem peccatorum indirecte obtinerent.

CASUS VI

IURISDICTIO DUBIA

CASIMIRUS, confessarius, dum alacriter ad excipiendas confessiones incumbit, dubitare coepit an tempus iurisdictionis sibi concessae iam expiraverit, necne. Dubium autem resolvere non potest, quia litteras episcopales amisit. Nihilominus indubius pergit confessiones audire et absolvere, hoc innixus principio: *In iurisdictione dubia, vel probabili, certo supplet Ecclesia.* Subinde vero, scrupulo motus, statuit a confessionibus abstinere, donec facultatis renovationem obtinuerit. Interea tamen, enixe rogatus, plures adhuc paenitentes absolvit, scilicet parochum die festo celebraturum et anxietate agitatum; mulierem partu difficili laborantem, et a parocho abhorrentem; virum cuius confessionem iam inceperat, et qui diutius in statu peccati mortalis, absque maxima molestia, perseverare non poterat, et alios similes.

HINC:

QUAER. 1.° *An liceat absolvere cum iurisdictione dubia vel probabili, extra mortis periculum?*

2.° *Quid de ratione agendi* CASIMIRI? *an licite egerit, saltem urgente gravi causa, ut in casibus praecedentibus?*

3.° *Quid, si quis dubitet an locus in quo versatur sit extra limites suae iurisdictionis, necne?*

SOLUTIO:

549. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Non licet absolvere cum iurisdictione proprie, id est, *practice dubia, excepto casu necessitatis;* quia Ecclesia, sapiens mater, non censetur tunc iurisdictionem supplere.

2.° Licet vero absolvere cum iurisdictione *probabili.* Ex Codice enim: «In errore communi, aut in dubio positivo et probabili, sive iuris, sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro, tum externo, tum interno» (can. 209). **Comp.,** nn. 647, q. 7.°; 651, q. 10.

550. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° CASIMIRUS male fecit *in primo casu* absolvendo cum iurisdictione *dubia,* cum nulla urgeret necessitas, seu gravis causa. Non enim verum est Ecclesiam certo supplere in iurisdictione dubia, seclusa causa gravi, siquidem hoc communius a theologis negatur. — Attamen *valide* absolvit, quia in tali casu Ecclesia iurisdictionem, saltem ob errorem communem, supplet. Licite etiam absolve-

re potuit, si, efformata conscientia, probabiliter putavit se iurisdictione non destitui, ut patet ex can. 209 (1).

2.° Valide autem et licite egit absolvendo *in casibus posterioribus,* quia causa gravis absolvendi urgebat, et proinde merito Ecclesia censebatur supplere iurisdictionem. Sic docet *S. Alph.,* ibid.

551. — *R. ad* 3m *Quaes.* Si quis dubitet an locus in quo hic et nunc versatur sit extra limites iurisdictionis suae, inquirere debet, si possit; si non possit, abstineat a confessionibus excipiendis, nisi causa gravi ad id inducatur, iuxta ea quae antecedenter dicta sunt.

* CASUS VII

CONFESSARIUS PEREGRINUS

1.° ANTONINUS, parochus, solet semel in anno, comitante HYDULPHO, vicario suo, tendere cum paroecianis non paucis in piam peregrinationem extra dioecesis fines. Cum ad pium sanctuarium pervenissent, tum ipse, tum adiutor audiendis suorum confessionibus alacriter vacant. Nonnullos alios peregrinos, ad eorum tribunal accedentes, etiam excipiunt et absolvunt.

2.° CARPOPHORUS, animarum pastor, in dioecesis confinibus degens, solet in maiori quadam festivitate parochos vicinos advocare ad confessiones in sua paroecia excipiendas, quibus et ipse quam libentissime vicissim idem quoque praestat officium.

3.° BENITIUS, sacerdos regularis, in collegio quodam moderator, vacationum tempore aliquando alumnorum turmam in dissitas regiones, recreationis causa, perducit, eorumque confessiones, licet extra dioecesim, excipit absque approbatione Episcopi illius loci.

HINC:

QUAER. 1.° *An* ANTONINUS *parochus, valide absolverit suos paroecianos extra paroeciam, vel etiam extra dioecesim? an eius vicarius suos paenitentes? an uterque alios externos?*

2.° *An* CARPOPHORUS *potuerit advocare alios parochos, etiam dioecesi extraneos, ad confessiones in sua ecclesia excipiendas?*

3.° *An* BENITIUS *valide absolverit alumnos suos extra dioecesim, absque approbatione Episcopi illius loci?*

---

(1) Iam antea P. Gury admittebat licitum esse absolvere cum iurisdictione *probabili* etiam si probabilitas esset *facti* tantum. Quam sententiam et alii plures tuebantur, v. gr. *Oietti,* Synopsis, n. 1453. Hanc quaestionem vide plene ac dilucide expositam a P. *Castillon* apud *Nouvelle Revue Théologique,* 1912, pag. 534, 673, 718, ubi sententiam Guryanam propugnabat.

SOLUTIO:

552. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° ANTONINUS, parochus, valide absolvit *suos paroecianos* extra paroeciam et etiam extra dioecesim absque Episcopi loci delegatione; quia parochus gaudet iurisdictione ordinaria: qui autem ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum (can. 881, § 2).

2.° HYDULPHUS, vicarius, absolvere non potuit suos paenitentes, utpote qui *approbatione* Episcopi loci, ubi audiuntur confessiones, indiget, cum beneficium paroeciale non habeat. Attamen, *stante errore communi,* reapse non invalide absolvit.

3.° Neuter, neque parochus neque vicarius, peregrinos extraneos absolvere potuerunt licite *per se,* ob dictam rationem, nimirum ob deficientem Episcopi loci approbationem (saltem in vicario) et iurisdictionem (in utroque). Attamen, stante errore communi, uterque valide absolvit.

553. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Quoad parochos dioecesi extraneos hodie *negative* respondendum est, cum iurisdictionem parochus communicare iam non possit neque pro suo territorio. Id probatur: 1.° quia nullibi dicitur parochum posse conferre iurisdictionem; 2.° quia secus posset sibi reservare casus ex can. 893, cum id non possit Vicarius Generalis nec Vicarius Capitularis, quamvis sint Ordinarii. **Comp.,** n. 652, q. 14 (1).

2.° Quoad parochos eiusdem dioecesis *affirm.,* quia ex consuetudine fere universali parochus confessiones in universa dioecesi audire potest, nisi Episcopus aliter decernat. Consule tamen proprias locorum consuetudines.

554. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.* Quia diu noctuque in religiosa domo religionis clericalis exemptae degentes causa famulatus, aut educationis, aut hospitii aut infirmae valetudinis absolvi possunt ubique iurisdictione collata a Superiore illius religionis. Aequiparantur enim religiosis exemptis eiusdem domus. Cfr. can. 875, 514. — V. **Comp.,** n. 657.

Ergo BENITIUS valide alumnos absolvisse censetur.

---

(1) Hoc quod iam scripseramus in prima editione post Codicem (febr. 1918) confirmatum est per Comissionem Codicis die 16 oct. 1919 hisce verbis: «Utrum ad normam canonum 199, § 1, et 874, parochi, vel vicarii parochorum, aliive sacerdotes ad universitatem causarum delegati, possint sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis delegare iurisdictionem ad confessiones recipiendas, aut saltem iisdem iam approbatis iurisdictionem extendere ultra fines loci vel personarum, intra quos ad normam can. 878, § 1, fuerit circumscripta; aut ad id egeant speciali facultate seu mandato Ordinarii loci. — *Resp.: Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam» *(Acta,* XI, pag. 477, n. 3).

CASUS VIII

ABSOLUTIO MORIBUNDI 1.°

NABORIUS, subito morbo correptus, iamque ad extrema deductus, sacerdotem requirit. Cum transiret MARIUS capellanus, omni iurisdictione destitutus, advocatur. Exordio confessionis vix praemisso, ecce adstat LUCAS vicarius, qui, MARIO recedente, confessionem aegroti excipit. Sed mox peccatum reservatum inaudiens, nec facultate a reservatis absolvendi gaudens, non mediocriter intricatur, cum, sparso rumore morbi NABORII, et ipse advolat URBANUS parochus. Eo comparente, Deo gratias agit vicarius, et aegrotantem rogat ut pastori, suo amantissimo patri, confiteri velit. Annuit ille; sed cum aperuisset aeger casum, cui annexa erat excommunicatio Episcopo reservata, iam nescit parochus quid sit faciendum. Ecce interea advenit Vicarius Generalis, NABORII familiarissimus, cui vice sua pastor libenter locum cessisset, si id facere fuisset ausus, vel si paenitens id gratum habuisset; sed timens aegroti offensionem, eum integre audivit et absolvit. Postea autem NABORIUS convaluit, et in perfectam sanitatem restitutus est.

HINC:

QUAER. 1.° *An sacerdos non approbatus, immo haereticus et excommunicatus, in periculo mortis confessionem audire possit etiam praesente approbato?*

2.° *An confessarius simplex, in casu mortis, a reservatis absolvere valeat? an a censuris, et quomodo?*

3.° *An recte egerint varii confessarii in praesenti casu, vel quid ipsis fuisset agendum?*

4.° *An* NABORIUS, *recuperata sanitate, confessionem iterare debuerit?*

SOLUTIO:

555. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirm.*, nam in periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, *valide* et *licite* absolvunt quoslibet paenitentes a quibusvis peccatis, aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvis iis, quae circa absolutionem complicis statuta sunt (can. 882). **Comp.**, n. 648, VI.

556. — *R. ad* 2^m *Quaes. Affirm.*, ut patet ex can. 882, num. praeced. citato. — Absolutio est *directa,* et paenitens sic absolutus non tenetur, si convalescat, se sistere Superiori, nisi absolutus fuerit ab aliqua **censura ab homine,** vel a **censura** *reservata* **specialissimo**

modo *Romano Pontifici* (can. 2252). Hoc in casu adest obligatio sub poena reincidentiae recurrendi: *a)* ad illum, qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; *b)* ad S. Paenitentiariam, vel ad Episcopum, aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi (can. 2252). **Comp.**, n. 680.

N. B. Tempore belli omnes milites in statu bellicae convocationis, seu ut aiunt mobilizationis, constituti, aequiparari possunt in ordine ad absolutionem iis qui versantur in periculo mortis. S. Paenit., 18 mart. 1912. Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 33, pag. 520.

557. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° MARIUS, primus confessarius, male fecit, locum suum alteri cedendo; licet enim simplex sacerdos esset, confessionem inceptam prosequi debuisset, ut patet ex dictis; ideoque in casu valide absolvere poterat.

2.° LUCAS, vicarius, male fecit et ipse parocho locum cedendo. Non debuisset enim a confessione perficienda cohiberi ob peccatum reservatum, cum in morte nulla sit reservatio.

3.° Quid vero de URBANO parocho? Primum male fecit confessionem ab alio inceptam peragendo; sed postea bene fecit miserum aegrotum ad Vicarium Generalem non remittendo.

558. — *R. ad* 4m *Quaes.* NABORIUS, recuperata valetudine, minime confessionem iterare debuit; immo nec tenetur se sistere Superiori, nisi absolutus fuerit a **censura** *specialissimo modo R. Pontifici* reservata; vel a censura ab homine, ut dictum est, n. 556.

CASUS IX

ABSOLUTIO MORIBUNDI 2.°

LUCIANUS, parochus, coadunato populo pro Missa die festo audienda, ad celebrandum se accingit. Sed, cum vestibus sacris iam indutus esset, admonetur TITIUM paroecianum, in pago una circiter hora distanti commorantem, esse morti proximum. Quid faciet his pressus angustiis? Haeret anceps, nesciens quid consilii sit capessendum: populus enim Missam non audivit, nec tempus superest exspectandi donec parochus redierit ut eam celebret, nam meridies iam propior est. At mox: «Scio quid faciam, ait secum. Egregia cogitatio! COLUMBINUS, sacerdos huius loci, qui uti capellanus in vicina paroecia celebrat, iam rediit... Ecce, eum mittam statim ad morientem, ego vero hic remanens celebrabo. Ille quidem non est ad confessiones approbatus; sed in mortis periculo nulla requiritur approbatio.» Rogatus COLUMBINUS annuit, et quam citissime pergit. Mox domum morientis adventat; iam scalas incipit ascendere, cum mulierum gemitus, clamores et eiulatus ad eius aures feruntur, quos inter vox flebilis auditur: *Iam miser emittit spiritum!* Tunc sacerdos alte inclamat: *Ego te absolvo a pec-*

catis tuis..., et continuo convolans ad decumbentis cubiculum eum cernit iam mortuum.

HINC:

QUAER. 1.° *An parochus, alio deficiente sacerdote qui ad moribundum pergeret, Missam omittere potuisset aut etiam debuisset?*

2.° *An bene egerit parochus sacerdotem non approbatum ad aegrum mittendo?*

3.° *An valida fuerit absolutio quam* COLUMBINUS *in his rerum adiunctis impertiit?*

4.° *An capellanus potuisset etiam Missam loco parochi celebrare, ut hic ad moribundum pergeret?*

SOLUTIO:

559. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* LUCIANUS potuisset et debuisset Missam omittere. Ratio est, quia in conflictu duorum praeceptorum, quae simul adimpleri nequeunt, praeceptum maius adimplendum est: atqui praeceptum maius est ut moribundi animae succurrat; praeceptum enim caritatis urgens in his circumstantiis de iure naturali maius est praecepto ecclesiastico Missam audiendi; ergo LUCIANUS potuisset et debuisset Missam omittere.

560. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.*, ut patet ex dictis, n. 555.

561. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.* ut etiam ex dictis n. 555 clare ostenditur.

562. — *R. ad* 4m *Quaes. Neg. per se.* Ratio est, quia capellanus non est amplius ieiunus. Porro non est *per se* ratio sufficiens Missam, non servato ieiunio, celebrandi, ut populus eam audiat. Recole dicta supra De Eucharistia, n. 300.

CASUS X

IURISDICTIO REGULARIUM 1.°

ONUPHRIUS, sacerdos regularis, missus a Superioribus ad patriam, solum ut res quasdam familiares componeret, invitatur ab Episcopo loci, tum ad contionandum, tum ad confessiones fidelium excipiendas. Libenter ONUPHRIUS morem Episcopo gerit, et magno zelo sacra haec subit ministeria. Sed mox advertit, se omni delegatione et licentia Superioris sui destitui. Hinc anxius graviter dubitat de validitate absolutionum, quas impertivit.

HINC:

QUAER. 1.° *A quo regulares iurisdictionem et approbationem habeant?*

QUAER. 2.° *An valide absolvat saeculares regularis, inscio suo Superiore, sed ab Episcopo delegatus?*

3.° *Quid, si positive obstet Superior, et Episcopus permittat?*

4.° *An* ONUPHRIUS *validas dederit absolutiones?*

SOLUTIO:

563. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Regulares *iurisdictionem* immediate a Papa accipiunt. Iurisdictio enim accipitur a Superiore: atqui solus Papa est superior regularium proprie dictorum, quippe qui ab episcopali iurisdictione sunt exempti.

2.° Attamen regulares, haud secus ac alii sacerdotes, *approbationem* ab Episcopo loci accipere debent ad confessiones *externorum* valide excipiendas. V. **Comp.,** nn. 649-656.

564. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia Episcopus *potest et vult* conferre non solum approbationem, sed etiam iurisdictionem. 1.° *Potest:* quia iurisdictionem ordinariam habet; iurisdictio autem ordinaria semper delegari potest. Nec dicas, religiosum non esse Episcopi subditum; nam est sufficienter subditus ad gratiam accipiendam, siquidem de subiectione onerosa non agitur. 2.° *Vult:* quia in praxi actuali Ecclesiae, Episcopi inter approbationem et iurisdictionem non amplius distinguere solent, et simpliciter omnem facultatem ad valide absolvendum concedere censentur. Nec obstat iterum quod regularis iurisdictionem a Papa accipiat, quia non repugnat quod eam ex duplici fonte accipere valeat. *Billuart,* diss. 6, art. 7. — V. **Comp.,** n. 657, q. 2.°

565. — *R. ad* 3m *Quaes.* Etiam in hoc casu religiosus *valide* confessiones excipit. Ratio est, quia, licet graviter contra oboedientiam peccet, attamen veram iurisdictionem ab Episcopo accipit, et proinde valide absolvit. *Billuart,* diss. 6, art. 7. Constat etiam ex resp. S. Cong. Ep. et Reg. 2 mart. 1866. — V. **Comp.,** n. 657, q. 2.°

R. ad 4m *Quaes.* 1.° ONUPHRIUS valide absolvit, utpote ab Episcopo delegatus, et licite etiam, quia Superioris licentia facile praesumitur. Porro haec licentia praesumpta sufficit ad *liceitatem.*

CASUS XI

IURISDICTIO REGULARIUM 2.°

ANGELUS, regularis, a Superiore suo constituitur ad confessiones confratrum audiendas et ab Episcopo pro saecularibus simpliciter approbatur. Sed ecce repente bonus pater ANGELUS surdus evadit, adeo ut a sacro confessionum ministerio debeat amoveri. Quamobrem, loco illius, alium confessarium pro religiosis Superior subrogat, prohibendo ne alius quivis idem munus exerceat. Elapsis autem tribus mensibus,

pater ANGELUS, ab infirmitate sua praeter omnium expectationem sanatus, alacriter ad excipiendas fidelium confessiones incumbit. Audit etiam confessiones monialium eiusdem Ordinis a iurisdictione episcopali exemptarum, et soli Superiori subiectarum.

HINC:

QUAER. 1.° *An pater* ANGELUS *confessiones saecularium, recuperato auditu, valide exceperit?*

2.° *An valide praedictas moniales absolverit?*

SOLUTIO:

566. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia ab Episcopo pro eis fuit approbatus simpliciter, absque clausula de *consensu Superioris;* proinde illa approbatio minime fuit revocata; ergo valere perrexit; ergo non est inquietandus bonus pater ANGELUS, neque inquietandi sunt saeculares ab eo auditi et absoluti. Pergat utique alacri animo et cum magno fructu uti facultate excipiendi confessiones, ipsi ab Episcopo facta.

567. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.* Non potuit enim valide absolvere moniales Episcopo non subiectas, sed a solo Superiore monasterii dependentes, quia facultas absolvendi moniales eiusdem Ordinis a Superiore fuit ipsi subtracta, nec restituta. Vide *Pontas,* v. Approbatio, cas. 18.

Praeterea, ut ex casu apparet, carebat *speciali approbatione* pro monialibus, cum pro saecularibus tantum fuisset ab Episcopo approbatus; ergo etiam ex hoc capite invalidae fuissent absolutiones monialium, sive exemptarum sive Episcopo subiectarum. V. **Comp.,** n. 661 seq.

Potuisset tamen valide absolvere religiosos viros, etiam sui Ordinis, et generatim etiam licite, quia a Pio X per decretum S. C. de Relig. concessum est die 15 aug. 1913 ut quilibet confessarius ab Ordinario loci approbatus possit absolvere quemlibet, sive regularem sive religiosum votorum simplicium, etiam a quibuscumque reservatis in Ordine, quin opus sit licentia Superioris. Cfr. *Acta,* V, pag. 431, et *Ferreres,* apud *Razón y Fe*, vol. 37, pag. 372 seq., ubi hoc decretum explanatur.

CASUS XII

IURISDICTIO ET APPROBATIO REGULARIUM

1.° THEOPHILUS, missionarius regularis, Lugduni degens, mutata residentia et dioecesi, post varios annos iterum Lugdunum redit. Statim ac advenit, ad eum confluunt antiqui paenitentes. Ipse vero illico operi se accingit, non cogitans de nova approbatione, neque a Superiore domus, neque ab Ordinario obtinenda.

2.° NORBERTUS, sacerdos regularis, cum plures annos Tolosae, approbante Archiepiscopo, saluti animarum impensus fuisset, ad aliam domum Ordinis inde valde dissitam a Superioribus mittitur. Anno autem sequenti, transeundo per dioecesim tolosanam, ut ad aliquam missionem remotiorem se conferret, confessiones plures absque nova approbatione excipit.

3.° TIBURTIUS, pariter regularis, vocatur ab Episcopo alterius dioecesis ad contionandum tempore quadragesimali, et ideo ab eo approbatur. Postea autem pluries per eamdem dioecesim transiens, confessiones excipit, quin novam approbationem obtineat.

HINC:

QUAER. 1.° *An religiosus mutans domicilium, eo ipso amittat iurisdictionem ab Episcopo acceptam, si fuerit simpliciter absque limite temporis ipsi concessa, ita ut nova iurisdictione indigeat, si illuc revertatur?*

2.° *An vero religiosus nova indigeat iurisdictione, si non redeat ad ibidem denuo commorandum, sed per eamdem dioecesim transiens, ad audiendas confessiones casu requiratur?*

3.° *Quid vero si approbatus fuerit pro casu particulari?*

4.° *An valide absolverint praedicti missionarii?*

SOLUTIO:

568. — *R. ad* 1m *Quaes. Negat.* Ratio est, quia qui approbatur, seu iurisdictione donatur, *indefinite* et *illimitate* remanet approbatus usque ad expressam, vel implicitam approbationis revocationem. *Lugo,* d. 21, n. 14; *Lacroix,* n. 1541, ubi haec expresse habet: «Si regularis, Coloniae approbatus, mutet dioecesim, non ideo desinit eius approbatio Coloniae obtenta. Hinc, si Coloniam redeat, potest sine nova approbatione confessiones audire». *Lugo* tamen dicit esse suspensam approbationem tempore absentiae religiosi, et facto ipso reditus recuperari, quia, ait, ratione approbationis fit iterum eiusdem Episcopi subditus.

569. — *R. ad* 2m *Quaes.* Negandum etiam videtur, ex rigore principiorum. Ratio est, quia *indefinite* et *illimitate* approbatus, seu iurisdictione donatus, remanet approbatus usquedum approbatio non revocetur, ut patet ex bulla *Superna* Clementis X, apud *Lacroix,* n. 1502; atqui in casu approbatio non fuit revocata, ut supponitur; siquidem non revocatur, nisi religioso revocatio manifestetur; ergo...

Sequitur etiam ex doctrina *Suárez,* De ministro conf., disp. 26, sect. 3, ubi ait: «Difficultas superest quando delegatio fit absque temporis limitatione, an semper duret, quamdiu non revocatur *expresse.* Certum est, quamdiu vivit is qui delegavit, durare hanc delegationem

in delegato, quamdiu non revocatur. Ratio est, quia haec iurisdictio non pendet ex actuali influxu et voluntate continua delegantis, sed solum ex voluntate semel habita moraliter perseverante. Censetur autem moraliter durare quamdiu retractata non est, et ideo datur durabiliter et permanenter ex vi prioris concessionis, donec retractetur».

570. — *R. ad* 3m *Quaes.* Si regularis pro casu particulari fuerit approbatus, ad hunc casum restringenda est iurisdictio. Sic v. gr. missionarius advocatur et approbatur ab Episcopo alterius dioecesis ut sacram missionem alicubi peragat; approbatio cum ipsa missione cessat, ita ut, si postea per hanc dioecesim transeat, et ad audiendas confessiones requiratur, nova indigeat approbatione.

571. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° THEOPHILUS valide quidem absolvit ex prima delegatione, quae fuit illiminata, non vero revocata; sed, ratione recti ordinis et oboedientiae, veniam prius a Superiore suo postulare debuisset.

2.° NORBERTUS videtur valide absolvisse, ob eamdem rationem; approbatio enim olim ipsi concessa non censetur revocata.

3.° TIBURTIUS graviter erravit, et invalide sacramentum paenitentiae contulit, quia pro casu omnino particulari approbatus est.

CASUS XIII

CONFESSARIUS MONIALIUM

1.° COSMAS, sacerdos, pro monialibus non approbatus, dum in sua ecclesia ad audiendas confessiones incumbit, inter reliquos paenitentes cernit religiosas duas, quae, eleemosynae colligendae gratia, foras missae fuerant. Obstupefactus COSMAS e sede confessionali egreditur, et iubet eas recedere, eo quod pro monialibus requiratur specialis approbatio, qua ipse destituitur. Alias pariter dimisit monialem quae valetudinis causa a pluribus hebdomadis extra claustrum degebat, etsi ibidem alius non fuerit sacerdos pro monialibus approbatus.

2.° MANLIUS, contra, absque scrupulo moniales in praedictis casibus excipit et absolvit, quia, ait, extra claustrum sunt oves ab aliis nequaquam absimiles. Immo, cum in Gallia versetur, alias etiam in monasterio degentes, data occasione, facile absolvit, v. gr. quando in sacello alicuius communitatis religiosae Sacrum facit, et ab aliqua sorore rogatur ut ipsi aurem praebeat; quia, ait, in Gallia non sunt moniales *proprie dictae;* a fortiori idem agit ubi de monialibus clausurae non subiectis agitur.

HINC:

QUAER. 1.° *An valide absolvi possint moniales absque speciali Episcopi delegatione?*

2.° *An valide et licite absolvi possint tum moniales tum aliae religiosae quae extra propriam domum quavis de causa versari contingat?*

3.° *An specialis requiratur pro monialibus in* **Mexico,** *et etiam pro iis quae clausurae non subiacent?*

4.° *Quid de* COSMA *et* MANLIO?

SOLUTIO:

572. — *R. ad* 1^m *Quaes. Neg.* Etenim ad confessiones quarumcumque religiosarum (etiamsi novitiae sint) excipiendas, sive votorum sollemnium sive simplicium eae sint, etiamsi Congregationis dumtaxat dioecesanae et non papalis fuerint, specialis iurisdictio requiritur (can. 876, § 1). Quae disciplina ad ceteras feminarum pias communitates nullo voto adstrictas itemque ad Filias Caritatis extenditur. Cfr. can. 675.

Privilegia ac leges particulares huic praescriptioni contraria omnino revocata manent (can. 876, 1). **Comp.,** n. 661.

573. — *R. ad* 2^m *Quaes. Affirm.* Nam, ex Codice, si aliqua religiosa, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum *(licet non pro feminis religiosis),* confessio in qualibet ecclesia vel oratorio (publico) et etiam semi-publico peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio (can. 522). Quod intelligendum est, etiam de confessione peracta in propria ecclesia vel oratorio, dummodo fiat in sede pro saecularibus destinata; non vero si fiat in sede (vel in parte sedis) confessionibus religiosarum reservata. **Comp.,** n. 662, q. 1, resp. 1.°

574. — *R. ad* 3^m *Quaes. Affirmative,* ut patet ex dictis n. 572.

575. — *R. ad* 4^m *Quaes.* 1.° COSMAS omnes praefatas moniales absolvere potuisset ex dictis, quia, dum extra monasterium degebant, in prohibitione non continebantur.

2.° MANLIUS attendere debet ad litteras quibus delegatio ad confessiones audiendas ipsi concessa fuit. Probabilius in litteris delegationis habebit haec verba *exceptis monialibus,* quibus verbis Episcopi designare solent etiam sorores votorum simplicium. Quod si ita sit, invalide absolvit MANLIUS tum moniales **Mexici,** tum sorores recentiorum Congregationum in proprio ipsarum sacello, nisi fiat in confessionali saecularibus destinata.

CASUS

DE CASIBUS RESERVATIS

SEU

De efficacia et subiecto reservationis; de reservatione dubia; de absolutione a reservatis; de absolutione complicis; de sollicitatione ad turpia.

* CASUS I

RESERVATIONIS EFFICACIA

OLIVARIUS, peccato reservato cum censura episcopali inquinatus, sed reservationis ignarus, vere contritus et optima fide confitetur penes SABELLUM, sacerdotem pro reservatis non approbatum. Confessarius vero, sive ex ignorantia, sive ex inadvertentia eum absolvit, nec ad errorem attendit, nisi cum paenitens iam longe abierit. Quare haeret anceps, nesciens quid sibi faciendum sit.

HINC:

QUAER. 1.° *An paenitens bona fide reservatum simplici confessario accusans valide absolvatur, sive hic attendat ad reservationem, sive non attendat?*

2.° *An remittatur tunc peccatum reservatum, et quomodo, atque utrum paenitens ab obligatione illud denuo confitendi liberetur?*

3.° *An a reservatione excusetur ille qui peccando eam ignoravit, et quid, si reservationi etiam censura adnectatur?*

4.° *Quid, reservatione post confessionem cognita, paenitenti vel confessario faciendum?*

SOLUTIO:

576. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Paenitens valide absolvitur, si praeter peccatum reservatum clavibus subiiciat aliam materiam non reservatam in quam absolutio *directe* cadere possit. Adsunt enim omnia requisita ad sacramenti validitatem, scilicet materia idonea, dispositio paenitentis, et absolutio sacerdotis. Nec obstat si confessarius, ad reservationem attendens, nihilominus absolvat; peccatum enim confessarii indebite a peccato reservato absolventis, validitati sacramenti office-

re nequit, cum praeter peccatum reservatum alia adsit materia, a qua *directe* absolvere potest (1).

Immo «si confessarius ignorans reservationem, paenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo non sit censura *ab homine,* aut censura *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata» (can. 2247, § 3). **Comp.,** n. 680.

577. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Peccatum reservatum cum aliis confessario simplici accusatum, si hic ignorans reservationem absolverit, manet omnino absolutum, quin ulla adsit postea obligatio illud iterum confitendi; si vero confessarius reservationem non ignoraverit, peccatum *probabilius* remittitur tantum *indirecte,* seu consequenter ad remissionem aliorum peccatorum, si reservatum sit *episcopale,* et paenitens impeditus sit tantum ad *breve* tempus adeundi Superiorem (V. **Comp.,** n. 677). Etenim, ceteris peccatis vi clavium remissis, necessario peccatum reservatum simul remitti debet, siquidem paenitens bene dispositus cum Deo reconciliatur. 2.° Si paenitens postea resciat se *indirecte* tantum a peccato reservato absolutum esse, illud alteri confessario pro reservatis approbato iterum confiteri tenetur, ut directe clavibus subiiciatur. V. **Comp.,** n. 680.

R. ad 3m *Quaes.* 1.° Negat *S. Alphonsus* cum *communiori* sententia. Ratio est, quia per reservationem restringitur potestas confessarii a Superiore, qui vult ut causae graviores tractentur dumtaxat a iudicibus peritioribus, vel, ut ait *Trid.,* sess. 14, cap. 7, «atrociora peccata a summis dumtaxat sacerdotibus absolvi». Cfr. *D'Annibale,* 1, n. 344, qui *verissimam* vocat hanc sententiam; *Deshayes,* Memento iuris eccles., n. 1335; *Génicot,* 2, n. 345; *Card. Vives,* n. 624; *Aertnys,* n. 240.

Hinc locutiones has: *incurrere* vel *non incurrere* reservationem, etc., existimamus minus aptas.

Verum oppositam sententiam dicunt *probabilem* multi auctores antiqui, quos enumerabat P. Gury. Immo plures recentiores eam vocant probabiliorem, v. gr. *Ball.-P.,* vol. 5, n. 478 seq. Hi generatim reservationem iudicant *medicinalem* vel *poenalem:* priores vero, quibus assentimur, dicunt eam *disciplinarem,* ad christiani populi disciplinam, ut loquitur *Trid.* Utraque sententia nobis est probabilis, prima vero *multo probabilior. Lugo,* De paenit., d. 20, n. 9; *Génicot,* 2, n. 345. — V. **Comp.,** l. c.

Codex videtur *noluisse* controversiam dirimere; nihilominus ex ipso potius negandum videtur (ita etiam *Pighi,* n. 302): 1.° quia omittit illa verba *ne reservatio inutilis evadat;* 2.° quia in can. 894 calumniosa confessarii denuntiatio dicitur *unicum* peccatum *ratione sui* reservatum Sanctae Sedi; sed in can. 2363 tale peccatum adnexam habet

(1) In pluribus statutis synodalibus, iurisdictio confertur confessario in favorem paenitentis in bona fide versantis; et si confessarius male fide absolvat, censura plectitur.

excommunicationem *speciali modo* Sedi Apostolicae reservatam, a qua ille falso denuntians nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna paenitentia, «*firmo praescripto* can. 894». Haec verba «firmo praescripto can. 894», vix aliud significare possunt nisi illud peccatum ideo *ratione sui* esse reservatum (quamvis habeat adnexam censuram), ut etiam in casibus, in quibus paenitens non incurrat censuram, eo quod illam *ignoraverit,* peccatum maneat nihilominus reservatum *speciali modo* Sedi Apostolicae. Iam vero si ignorantia reservationis ab ea excusaret, vix unquam qui non incurrit censuram, incurreret peccati reservationem, quia non minus immo magis reservatio ignorari solet quam censura (cfr. *Lugo,* De paenit., d. 20, n. 9); 3.° quia ex can. 349, § 1, 1.°, conceditur Episcopis facultas sibi suisque familiaribus eligendi sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtinet... etiam quod spectat ad casus Ordinario loci reservatos. Haec facultas vix locum haberet, si ignorantia reservationis excusaret. Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 51, pag. 235; *Vermeersch-Creusen,* n. 358.

Confirmatur ex responso Comm. Cod. 17 aug. 1919, ex quo constat peregrinos teneri reservationibus loci, in quo confitentur. Iam vero peregrini ignorare solent reservationes huiusmodi, etsi peccatum hic reservatum commiserint alibi ubi reservatum non est.

Utraque sententia in praxi adhuc videtur probabilis, nisi nova edatur declaratio; negativa vero multo probabilior. **Comp.,** n. 672, q. 5.°

2.° Si censura adnexa sit peccato reservato, ignorantia censurae excusat ab ea incurrenda; immo nec peccatum, cui adnectitur censura, *probabiliter* erit reservatum in hoc casu, praesertim si de reservatione papali agatur. V. **Comp.,** nn. 668, 672.

578. — *R. ad* 4^m *Quaes.* 1.° Quoad paenitentem: si postea sciat se a SABELLO absolvi non potuisse, alium confessarium adeat maiori facultate gaudentem, et peccatum reservatum illi aperiat; vel roget confessarium ordinarium ut petat veniam, vi cuius ab eo absolvi queat: generatim nihil facere debet, quia nesciet an confessarius facultatem habuerit vel saltem bona fide eum absolverit ignorans reservationem. 2.° Quoad confessarium: si bona fide absolvit, absolutio valet, et nihil aliud facere debet, nec expedit ut faciat; secus admoneat paenitentem de errore commisso, si fieri facile possit, v. gr. si hic redeat ad confitendum, ut error ille reparetur; vel melius confestim petat ab Episcopo facultatem ab illo peccato reservato absolvendi, et curet ut paenitens confitendi gratia iterum accedat, et, obtenta prudenter nova declaratione huius peccati, eum etiam de errore non monitum absolvat. Quod si paenitentem neque facile admonere, neque absolvere possit, eum in bona fide relinquat. *Pontas,* v. Cas. reserv., cas. 24. Cfr. *Ferreres,* in eph. *Razón y Fe,* vol. 1, pag. 257 seq.

* CASUS II

RESERVATIONIS SUBIECTUM

1.° LAURIANUS, iter agens extra dioecesim suam, penes IUSTINUM parochum confitetur peccatum incestus, cum consanguinea in secundo gradu patratum. Illico IUSTINUS eum monet peccatum illud esse reservatum, seque carere facultate absolvendi a reservatis. — Respondet LAURIANUS, rerum moralium non omnino ignarus, peccatum istud in sua dioecesi non esse reservatum, ut probe novit. «At, subiungit parochus, reservatum est hic ubi modo confiteris. — Quid ad me? ait paenitens; non hic ego, sed alibi peccavi; porro reservatum non commisi. — Perge igitur, mi bone, perge ad confitendum eo ubi peccasti; ego autem absolvere te non possum.»

2.° IACOBUS, peccato reservato ligatus, tendit ad vicinam paroeciam, extra dioecesis limites, confitendi gratia. Ad hoc autem agendum duplici motivo inducitur, nempe: 1.° ad vitandam verecundiam quam haberet tam grave peccatum parocho suo aperiendi; 2.° spe facilius absolutionem impetrandi; novit enim peccatum istud in vicina dioecesi minime esse reservatum.

HINC:

QUAER. 1.° *An possit quis absolvi a peccato non reservato in sua dioecesi, ubi fuit patratum, a simplici confessario in alia dioecesi ubi reservatur?*

2.° *An possit quis absolvi a peccato reservato in ipsius dioecesi, sed non reservato in loco confessionis?*

3.° *Si quis ligatus reservatione pergat in fraudem legis ad alium locum ubi non exsistit reservatio, an valide absolvatur?*

SOLUTIO:

579. — *R. ad* 1^m *Quaes. Neg.*, etenim peregrinus tenetur reservationibus loci in quo est (nempe, ubi confitetur). Ita Comm. Cod., 17 aug. 1919. Ratio est, quia confessarius (1) absolvit iurisdictione accepta a proprio Episcopo, quam ab ipso restrictam habet. — *Affirmabant* tamen alii cum antiquorum communissima sententia. Ratio horum erat, quia confessarius absolvit hunc paenitentem iurisdictione indirecte communicata ab huius Ordinario; et cum hic peccatum illud sibi non reservaverit, eo ipso iurisdictionem quoad illud non restrinxit. Ita multi AA. antiqui, quos retulerat *P. Gury*. Haec tamen ratio post Co-

(1) Hoc responso confirmatur sententia quam nos in praecedentibus editionibus docuimus uti *multo probabiliorem*. Vide etiam resp. S. Paenit. 21 nov. 1873.

dicem nihil valet, quia, ut patet ex can. 874, § 1, etiam pro peregrinis iurisdictionem confert Ordinarium loci ubi confessiones audiuntur. Cfr. **Comp.,** n. 648, III.

580. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.,* idque a quovis confessario sive saeculari sive regulari, etiamsi praecise ad absolutionem obtinendam eo accesserit. Cfr. can. 900, 3.°, et **Comp.,** nn. 670, 674, q. 9.

R. ad 3m *Quaes. Affirm.,* ut patet ex resp. ad 2m. Neque tunc pergit in fraudem legis, sed utitur iure suo quod sibi confert can. 900, 3.°

CASUS III

RESERVATIONIS SUBIECTUM 2.°

1.° EPIMACHUS, religiosus, daemone impellente, peccatum letale patravit, reservatum quidem Episcopo in dioecesi, minime vero in Ordine suo. Sincero dolore correptus, adit confessarium ordinarium communitatis, facultate pro reservatis carentem, eique conscientiam candide pandit, et ab eo absolvitur. Alias, cum in eumdem casum incidisset, sacerdoti saeculari confessario simplici confitetur, et absolutione donatur.

2.° HERIBERTUS, confessarius monialium, a iurisdictione Episcopi exemptarum, licet facultate ad absolvendum a casibus reservatis careat, nihilominus, siquando occurrant peccata quae Ordinario sint reservata, ab iis absolvit, quia existimat paenitentes suas non esse reservationi episcopali obnoxias.

HINC:

QUAER. 1.° *An regulares exempti reservationi episcopali subiaceant?*

2.° *An moniales exemptae incurrant casus episcopales?*

3.° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO:

581. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.,* quia regulares ex privilegio sunt exempti a iurisdictione episcopali; proinde, si Episcopo non subiacent, neque eius casibus aut censuris ligari possunt. Constat ex iure *canonico, c. Ne aliqui, de priv., in* 6.° Eruitur etiam ex bulla Clem. X, *Superna.* Immo neque novitii, neque familiares regularium reservationi Episcoporum subiacent. Sic ex eadem bulla *Superna.* Si vero novitius inciderit in casum reservatum ante ingressum in religionem, a confessario religionis absolvi poterit, ex privilegio. *S. Alph.,* n. 583, et De censuris, n. 26. — V. **Comp.,** De censuris, n. 1194, q. 6.

582. — *R. ad* 2m *Quaes. Controvertitur.* Duplex datur sententia *probabilis,* ait *S. Alph.,* n. 602, q. 6. Alii *affirmant,* quia confessarii monialium omnino approbandi sunt ab Episcopo loci, licet exemptae

sint a iurisdictione episcopali. Episcopus igitur, sicut potest limitare tempus, locum et personas, sic etiam casus limitare valet. Sic *Tamb.* — Alii *negat,* quia monasteria exempta sunt prorsus extra iurisdictionem Episcopi, perinde ac si essent extra territorium. Licet autem Episcopus debeat approbare confessarios monialium quoad idoneitatem, non potest tamen iis approbationem limitare; quia expresse dicitur in constitutione Clem. X, *Superna,* posse ab Episcopo limitari tempus, locum et personam, sed nihil dicitur de peccatis.

N. B. — In **Hispania** omnes moniales etiam votorum sollemnium subiiciuntur iurisdictioni Ordinarii, ex litt. S. C. Ep. et Reg. 10 dec. 1858. Haec dispositio singulis trienniis innovari solet. Vide *Acta,* III, pag. 239. Cfr. *Ferreres,* in ephem. *Razón y Fe,* vol. 15, pag. 364 seq.; vol. 30, pag. 505 seq.

583. — *R. ad* 3^m *Quaes.* 1.° EPIMACHUS potuit absolvi a confessario suo. Potuit etiam absolvi a sacerdote saeculari, ab Ordinario loci approbato, iuxta dicta n. 567. Vide infra, n. 600 *a,* seq.

584. — 2.° Quid de HERIBERTO? Stante controversia superius memorata, damnari nequit, cum iurisdictione relative ad casus reservatos non certo careat.

* CASUS IV

RESERVATIONIS SUBIECTUM 3.°

NIGRITIUS in dioecesi sua patravit peccatum cui adnexa erat non solum reservatio, sed etiam episcopalis excommunicatio. Paulo post extra dioecesim iter agens, adit Vicarium Generalem Episcopi loci in quo consistit, ei conscientiam sincere pandit, atque ab eo absque difficultate absolvitur.

HINC:

QUAER. 1.° *An peregrinus absolvi possit extra dioecesim a censuris episcopalibus, quas in sua dioecesi incurrit?*

2.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

585. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirm.,* nisi etiam in loco confessionis sint reservatae, aut agatur de censura ab homine. Ratio primi est, quia ex can. 900, 3.°, quaevis reservatio omni vi caret extra territorium reservantis, ut supra n. 580 dictum est. Ratio secundi eruitur ex dictis supra, n. 579. Ratio tertii apparet ex eo quod censura ab homine semper est reservata ei qui eam inflixit aut sententiam tulit, etc. Cfr. can. 2245, § 1, et **Comp.,** nn. 1188, 1197, V, 2.° — Immo non solum Episcopus, sed etiam simplices confessarii absolvere poterunt, si censura illa non sit reservata in loco confessionis. Ratio, quia peregrini

ex Codice confitentur et absolvuntur tanquam incolae loci. Vide n. 580, et **Comp.,** n. 674, q. 9.

586. — *R. ad* 2m *Quaes.* NIGRITIUS valide absolutus est, ergo non tenetur ad confessionem apud proprium Superiorum iterandam. Proinde culpandus non est Vicarius Generalis, a quo absolutus est; idque valet, etsi casus fuisset etiam reservatus in dioecesi ubi facta fuit confessio, nam Vicarius Generalis a reservatis in dioecesi absolvere potest, quia est Ordinarius (can. 198, § 1). Excipe, si sermo esset de censura *ab homine,* de qua in casu nostro minime agitur.

CASUS V

RESERVATIO DUBIA

LEONARDUS, simplex confessarius, cum dubia conscientia in sequentibus casibus absolvit: 1.° BERTHAM quae peccatum in se quidem reservatum commisit, sed cum advertentia dubia; 2.° CAIAM accusantem peccatum de quo controversia habetur utrum reservatum sit, necne; 3.° ROSALIAM confitentem peccatum de quo ipse dubitat an in tabella reservatorum iaceat, vel in accepta facultate contineatur.

HINC:

QUAER. 1.° *An sacerdos in reservatione dubia absolvere possit licite et valide?*

2.° *Quid faciendum confessario, si, peracta confessione, dubius sit an iurisdictionem in tale peccatum habeat, necne?*

3.° *Quid de* LEONARDO *sentiendum?*

SOLUTIO:

587. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* 1.°, si dubium sit facti, id est in dubio utrum peccatum fuerit commissum, aut *in se* grave. Ratio est, quia reservatio est strictae interpretationis; ergo intelligenda est de peccatis certo commissis et certo gravibus. Ecclesia enim non intendit reservare peccata, nisi sint certo commissa et certo gravia, cum peccata graviora tantum reservare soleat. *S. Alph.,* n. 600.

2.° *Affirm.* etiam *probabilius* in dubio juris, id est, si dubium versetur circa legem reservantem, vel eius extensionem. Ratio eadem est, nempe quia reservatio est strictae interpretationis, et proinde in dubio pro nulla habenda est. Ita *communiter* cum *S. Alph.,* ibid., *et aliis multis* contra *paucos,* v. gr. *Antoine, Concina,* etc.

Confirmatur: 1.° ex his quae Codex statuit circa censuras: «in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget» (can. 2245, § 4). Reservatio strictam recipit interpretationem (can. 2246, § 2). **Comp.,** n. 673; 2.° ex can. 209: «in errore communi aut in dubio positivo et

probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno». **Comp.,** n. 647, q. 6.

588.—*R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Si dubitet an peccatum sit reservatum de iure vel facto, absolvere potest, iuxta modo dicta. 2.° Si vero dubitet an illud peccatum sit in catalogo reservatorum, vel in litteris quas a Superiore accepit, debet diferre absolutionem ad inquirendum. Si autem desint hic et nunc inquisitionis media, et aliqua necessitas urgeat, potest absolvere paenitentem, monendo ut postea, data opportunitate, alium adeat maiori gaudentem potestate, vel ad seipsum redeat, si possit; et interea confessarius rem exploret, et si facultate careat, illam obtineat, ut paenitens alia vice absolvi possit.

Quid si ex inadvertentia absolvisset a peccato reservato absque debita facultate? Tunc valeret absolutio, supplente Ecclesia iurisdictione, ut constat ex can. 207, § 2. **Comp.,** l. c.

589. — *R. ad* 3m *Quaes.* LEONARDUS absolvere potuit *licite* et *valide* BERTHAM et CAIAM, praedicto stante dubio, ut dictum est. Potest enim dici: *reservatio dubia, reservatio nulla,* sicut dicitur: *lex dubia, lex nulla.* Quod vero ad ROSALIAM attinet, LEONARDUS diligenter inquirere debuit, ut sciret num peccatum reservatum esset, necne. Si hoc rescire hic et nunc non potuisset, absolutionem ad aliud tempus remittere debuisset, ut inquirere posset. Urgente tamen gravi causa, ipsi mulierem statim absolvere licuit, eam tamen monendo ut reverteretur, vel alium adiret, ut supra dictum est. *Elbel,* n. 389; *Lacroix* (1).

CASUS VI

AN SEMPER APERIENDA RESERVATIO?

1.° ALBERICUS, parochus, peccato reservato obstrictus, in celebrandi necessitate versatur, propter frequentiam populi die festo Missam audituri. Non adest praesens alius sacerdos, nisi PAULINUS eius vicarius, qui facultate absolvendi a reservatis destituitur. Quid faciet miser? Neglecta confessione et elicito contritionis actu, ad Sacrum faciendum se accingit. Attamen scrupulo motus, vicarium adit, et sola peccata venialia, relicto mortali reservato, confitetur.

2.° ELIGIUS, penes confessarium pro reservatis approbatum sarcinam peccatorum deponens, omnia peccata letalia quorum conscientiam habet, et inter alia unum reservatum confitetur, sed alterius reservati inculpabiliter obliviscitur, et insuper, servato affectu ad aliud peccatum mortale declaratum, absolvitur. Paulo post tactus dolore cordis intrinsecus statuit confessionem iterare, eodemque tempore in mentem

(1) Difficultas haec in pluribus locis per statuta synodalia tollitur, iurisdictionem scilicet conferendo sacerdoti in favorem paenitentis.

ipsi venit peccatum illud reservatum, cuius prius non meminerat. Haec omnia simplici confessario sincere et dolenter manifestat.

HINC:

QUAER. 1.° *An* ALBERICUS *ad confitendum fuerit obligatus?*

2.° *Quid, si praeter reservatum* **episcopale,** *aliud mortale non reservatum habuerit?*

3.° *An peccatum* **Episcopo** *reservatum in confessione reticere potuerit?*

4.° *An* ELIGIUS *a simplici confessario* directe *potuerit absolvi a peccato* **Episcopo** *reservato et ei iam in confessione sacrilega accusato, et ab alio pariter reservato et in eadem confessione ex oblivione omisso?*

SOLUTIO:

590. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° *Affirm.,* si peccatum illud fuisset **Romano Pontifici** reservatum, quia in hoc casu datur absolutio *directe,* ut dicetur infra, n. 593.—V. **Comp.**, nn. 680, q. 3, et 677, q. 1.°, *c.*

2.° *Neg. probabiliter,* si peccatum Episcopo fuisset reservatum, quia ad confessionem non tenetur, neque ratione peccati reservati, quod *probabiliter* directe remitti nequit, neque ratione venialium, quae non sunt materia necessaria confessionis. *S. Alph.,* n. 265, etc. Sed ALBERICUS tenetur ad contritionem perfectam eliciendam, et si de ea dubitet, ad confessionem obligatur.

591. — *R. ad* 2m *Quaes.* In hoc casu confiteri omnino teneretur, quia urgeret praeceptum divinum praemittendi confessionem communioni, et nulla excusatio a praecepto confessionis daretur. Ita *communissime,* inquit *S. Alph.*

R. ad 3m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia huiusmodi peccatum reservatum, ut iam dictum est, a simplici confessario probabiliter remitti nequit; ergo ALBERICUS potuit sola venialia accusare, et peccatum reservatum reticere, quin integritatem confessionis violaret. Recole dicta supra, n. 286.

592. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Quoad peccatum reservatum in confessione sacrilega accusatum: *probabiliter* absolvi potuit ELIGIUS a reservatione, licet sacrilege ob defectum contritionis confessus sit. Ratio est, quia reservatio principaliter ad hoc ordinatur ut peccata Superiori deferantur: atqui ELIGIUS peccatum reservatum Superiori detulit, licet valide absolutus non fuerit (*S. Alph.,* n. 598); ergo satis erit, si apud simplicem confessarium iteret confessionem.

2.° Quoad peccatum reservatum in confessione ex oblivione omissum, *probabiliter* etiam legi reservationis satisfecit. Ratio est, quia recte praesumittur Superior liberare paenitentem ab omni vinculo, a quo absolvere potest. *Lugo, Collet,* etc. Sed opposita sententia est etiam probabilis. *S. Alph.,* n. 597. — V. **Comp.**, n. 682.

* CASUS VII

ABSOLUTIO A RESERVATIS 1.°

LIBORIUS, simplex confessarius, a reservatis etiam extra mortis casum absolvit: 1.° GERMANAM, quae secus per hebdomadam in statu peccati mortalis cum magna anxietate permanere deberet; 2.° CAIUM, cuius confessionem longam ac difficilem exceperat antequam reservationem cognosceret; 3.° GERUNTIUM, senem, qui accedit ad confitendum ultima die temporis paschalis, et valde distat ab urbe episcopali; nec proinde ad Episcopum accedere personaliter potest. Hos paenitentes absolvendo, LIBORIUS enixe profert et ingeminat haec formae sacramentalis verba: *in quantum possum et tu indiges*. Non autem curat ut eos moneat de obligatione haec peccata reservata postea, data occasione, Superiori, vel alicui delegato, confitendi, vel recurrendi ad eos debito modo.

HINC:

QUAER. 1.° *An simplex confessarius absolvere possit quandoque, extra mortis casum, paenitentem reservatis obstrictum? vel quibus de causis?*

2.° *An directe, vel indirecte?*

3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

593. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° A reservatis **papalibus** absolvere potest: *a)* si speciales ad hoc habuerit facultates; *b)* etiam sine specialibus facultatibus, in *casibus urgentioribus,* si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit paenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat; tunc quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Paenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate, et standi eius mandatis (can. 2254, § 1).

Cfr. *Ferreres,* in ephem. *Razón y Fe,* vol. 1, pag. 257 seq., ubi haec omnia latius explicantur. V. **Comp.,** n. 677, q. 1.°

N. B. Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta de qua in can. 985, n. 4, aliave deducta ad forum iudiciale. — Eadem facultas competit cuilibet confessario in casibus occultis urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immi-

neat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut paenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat (can. 990).

2.° A reservatis **episcopalibus** potest etiam absolvere quoties reservatio ipso iure cessat, nempe: *a)* Cum *aegrotis,* qui domo egredi non valent, confiteri cupientibus; *b)* cum sponsis confitentibus matrimonii ineundi causa; *c)* quoties prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine *gravi paenitentis incommodo,* aut sine *periculo violationis sigilli* sacramentalis; demum *d)* si petita pro aliquo *determinato casu* a legitimo Superiore absolvendi facultate, haec forte denegata fuerit; cessat tamen, in hoc casu, pro ea vice tantum; *e) extra territorium reservantis,* etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam, paenitens ex eo territorio egrediatur (can. 900, 1.°-3.°).

Grave paenitentis incommodum erit v. gr. gravis difficultas redeundi ad confessarium, difficultas abstinendi a communione sine nota. *Vermeersch-Creusen,* n. 362. — *Probabiliter* etiam absolvere potest in casibus urgentioribus eodem modo ac si de papalibus ageretur.

594. — *R. ad* 2m *Quaes.* A reservatis **papalibus** necnon ab episcopalibus quoties reservatio cesset, absolvit *directe;* at probabiliter *indirecte* tantum in casu urgentiori, in quo reservatio ipso iure non cesset, confessarius absolvere potest a peccatis **Episcopo** reservatis, quamvis ab aliis directe absolvat. Ratio est, quia probabiliter caret iurisdictione in huiusmodi reservata. *S. Alph.,* n. 585. — V. **Comp.,** n. 677, q. 2.°

Haec tamen tunc tantum valent, quando paenitens *brevi tempore* accedere potest ad Superiorem, aut alium facultatem habentem in reservata. Quod si impedimentum duret ad *longum tempus,* quod computatur a sex mensibus ad quinquennium, inferior certissime potest *directe* absolvere, iniuncto tamen onere se sistendii Superiori aut delegato, *si peccatum cum censura sit reservatum.* Secus si peccatum censuram adnexam non habet. *Suárez,* De paenit., d. 30, sect. 3, n. 7. *Lugo,* d. 20, n. 223. Quando vero impedimentum *sit perpetuum,* i. e. ultra quinquennium, absolutio directe datur sine ullo onere coram Superiore comparendi. *Cap. Eos qui,* 22, *de sent. excomm.* in 6.° Cfr. *Ferreres,* l. c., praes. nn. 18, 19, 31 et 37. — V. **Comp.,** l. c., q. 2.°

Cum vero probabilis sit sententia tenens posse confessarium absolvere *directe* a casibus episcopalibus non secus ac posset absolvere si ageretur de papalibus, poterit hac probabilitate uti tuta conscientia. **Comp.,** n. 679.

595. — *R. ad* 3m *Quaes.* Liborius potuit absolvere a reservatis *papalibus,* cum onere recurrendi intra mensem, etc., prout supra dictum est.

A reservatis autem *episcopalibus* absolvere potuit, probabiliter

eodem modo ac si ageretur de papalibus, ideoque *directe*, GERMANAM, quia est magnum incommodum remanere tamdiu in statu peccati mortalis pro anima anxietate magna correpta. Absolvere potuit CAIUM, quia magnum ei foret incommodum si longam confessionem apud alium iterare deberet. Potuit absolvere GERUNTIUM sine ullo onere, quia impeditur in perpetuum adeundi *personaliter* Episcopum.

Immo probabiliter in istis casibus reservatio cessavit, ideoque paenitentes monendi non erant de obligatione recurrendi ad Superiorem, quam non habebant.

* CASUS VIII

ABSOLUTIO A RESERVATIS 2.°

SAMUEL, religiosus, gaudens facultate absolvendi a casibus reservatis Papae, absolvit quoque a casibus episcopalibus quin fuerit ad hoc specialiter delegatus, praesertim quando duplex reservatio, *papalis* scilicet et *episcopalis*, eidem peccato inhaereat, quia ait: *Qui potest plus, etiam potest minus.*

HINC:

QUAER. 1.° *An religiosus delegatus pro casibus papalibus, etiam ab episcopalibus absolvere possit?*

2.° *Si paenitens sit ligatus duplici reservatione, papali nempe et episcopali, an, sublata priore, posterior maneat?*

3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

596. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Confessarius *quilibet*, etiamsi fuerit *regularis*, absolvere non potest a casibus *proprie episcopalibus*, nisi ab Episcopo ipso facultatem acceperit, etiamsi absolvere possit a quibuscumque casibus Papae reservatis. — Ita Clemens X in bulla *Superna*, ubi dicitur: «Habentes facultatem abolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, non ideo in casibus ab Episcopo reservatis possunt absolvere».

Diximus *a casibus proprie episcopalibus*, seu a casibus quos Episcopus vel ipse sibi, vel successoribus, in Synodo, reservavit; nam a casibus Episcopo reservatis a iure communi, v. gr. in const. *Apostolicae Sedis*, absolvere possunt quicumque facultatem habent absolvendi a casibus *papalibus*, nam illi casus proprie papales sunt. Quid vero si Episcopus sivi reservavit illos casus, qui illi sunt a iure reservati? — Cum huiusmodi casus, ut diximus, sint proprie papales, non videtur Episcopus eos sibi valide posse reservare: unde etiam in hoc casu probabiliter adhuc ab illis possunt absolvere regulares et quicum-

que habeant facultatem absolvendi a casibus papalibus. Cfr. *Bucceroni,* Comment. in Const. *Apostol. Sedis,* n. 76; *Ball.-P.,* vol. 5, n. 514 seq.; *Génicot,* nn. 346 et 607. **Comp.,** n. 676.

597. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia una reservatio est independens ab altera; et duae reservationes se habent instar duarum catenaram, quarum, una soluta, remanet altera. V. **Comp.,** n. 1204. — Haec tamen intellige de duplici reservatione quae non inhaereat *eidem* peccato. Quod enim dicit *P. Gury* de reservatione papali et episcopali inhaerente eidem peccato, admitti nequit.

Nam 1.° Episcopus nequit sibi reservare casus, qui Rom. Pontifici sunt reservati (can. 898; S. C. Ep. et Reg., 26 nov. 1602; apud *Bizzarri,* Collect., pag. 13): nequit enim sibi avocare causam, in quam nullam habet iurisdictionem. Unde si aliquos sivi reservaverat Episcopus, et illos postea Papa sibi reservet, reservatio episcopalis eo ipso evadit nulla. *Suárez,* De paenit., d. 31, sect. 4, n. 26; *Lugo,* De paenit., d. 20, n. 151; *Ball.-P.,* vol. 5, n. 514 seq.; *D'Annibale,* 1, n. 339, not. 19. **Comp.,** n. 668.

2.° Si aliquando Episcopus sibi videatur reservare casus, vel quos sibi reservatos habet a iure, vel etiam alios papales, ita intelligenda videtur reservatio, ut valeat tantum pro casibus in quibus paenitens, ob ignorantiam, censuram non incurrerit; quia in hypothesi nemo posset ab hoc casu absolvere sine speciali licentia Episcopi, quamvis haberet facultatem absolvendi a reservatis papalibus. *Génicot,* n. 607, nota, et n. 586. Observa tamen quod *probabiliter*, ut diximus, ignorantia reservationis, nisi aliud significet *explicite* Episcopus, excusat a reservatione.

598. — *R. ad* 3m *Quaes.* Erravit admodum P. Samuel absolvendo a casibus episcopalibus absque Episcopi delegatione, ex eo quod pro casibus papalibus approbatus sit. Falso enim applicuit principium: *Qui potest plus, potest minus;* addere debuisset: *in eodem genere.* Hic autem non agitur *de genere eodem,* cum casus papales et episcopales a principio diverso originem ducant. Insuper, si qua foret difficultas, ipso iure dirimitur, iuxta superius dicta.

CASUS IX

ABSOLUTIO A RESERVATIS 3.°

1.° Dafrosa tempore iubilaei confessa est penes Rodulphum, in his adiunctis pro casibus etiam reservatis approbatum. Iudicavit confessarius peragendam esse ab ea generalem vitae confessionem. Hac diligenter peracta, Dafrosa absolutione donatur. Sed, elapso iubilaei tempore, meminit peccati gravis et Episcopo reservati, in-

culpabiliter in praeteritis confessionibus omissi. Pergit statim ad eumdem confessarium, a quo denuo absolvitur.

2.° RECADIUS, simplex confessarius, absolvit TITIUM a peccato gravis percussionis Episcopi titularis, Papae speciali modo reservato, quia ille ob incommoda aetatis provectae perpetuo laborat impedimento Romam personaliter eundi. Postea autem dubitat an recte fecerit, vel quid sit faciendum.

HINC:

QUAER. 1.° *An* DAFROSA *valide absolvi potuerit, elapso iubilaei tempore?*

2.° *An confessarius simplex absolvere possit a casibus papalibus etiam speciali modo reservatis eos qui Romam ire nequeunt?*

SOLUTIO:

599. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia confessarius, a quo DAFROSAE tempore iubilaei confessio audita est, recte praesumitur habuisse intentionem tollendi quamlibet reservationem, sicut auferre poterat. Habens enim facultatem absolvendi paenitentem, eam in quantum potest absolvit. *Pontas,* v. Cas. reserv., cas. 25; *Collet adnotator,* ibid.

600. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.*, sicut alios non impeditos, i. e. in casibus urgentioribus, et *cum onere intra mensem* recurrendi ad Sedem Apostolicam, prout dictum est supra, n. 593. **Comp.,** n. 1247.

CASUS X

ABSOLUTIO A RESERVATIS 4.°

Facultas pro aliquo postulata, et alteri applicata

1.° DIDACUS, confessarius, ab Episcopo postulat facultatem absolvendi ANDRAEAM a peccato, quod reservatum esse putat. Ponit in libello supplici fictitium nomen, seu TITIUM, et peccati speciem exprimit. Sed obtenta facultate, deprehendit casum hunc non esse reservatum. Ut autem gratia inutilis non evadat, eam servat, eidem in alio casu vel alteri applicandam. Elapso vix mense, ecce ANDRAEAS in peccatum vere reservatum incidit, et confessarius illico facultate, quam intactam servaverat, in eius favorem utitur.

2.° RENATUS facultatem obtinuerat ab Episcopo aliquem paenitentem, seu TITIUM, a reservatis absolvendi. Verum eum absolvere non potuit, quia, nescio qua de causa, ad confitendum non rediit. Quid tunc RENATUS? Ne inutilis evaderet obtenta facultas, eam CAIO, casu reservato obstricto, applicuit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* DIDACUS *valide absolverit* ANDRAEAM *a peccato reservato, vi facultatis ex errore postulatae?*

2.° *An* RENATUS *alium valide absolverit a peccato reservato, loco* TITII *qui non rediit?*

SOLUTIO:

601. — *R. ad* 1m *Quaes. Nego.* Ratio est, quia concessio secundum petitionis tenorem facta censetur; nullum autem alium peccatum in petitione positum est, nisi peccatum non reservatum; ergo... Nec licet praesumere aliam fuisse mentem Superioris; hic enim bene cogitare potuit confessarium hanc facultatem petere, quia putabat eam necessariam esse, vel ad magis placandum animum paenitentis metuentis ne casus esset reservatus. *Pontas,* v. Cas. reserv., cas. 23; *Saettler,* De ministro paenitentiae, c. 2, q. 8.°; ergo DIDACUS graviter erravit et invalide ANDRAEAM a reservato absolvit, quia nullam obtinuerat potestatem ab illo peccato absolvendi, sed pro alio peccato facultas ei facta fuerat.

602. — *R. ad* 2m *Quaes.* Solutio quaestionis pendet a modo quo facultas absolvendi postulata est. 1.° RENATUS alium absolvere potuit, si facultatem petiverit pro aliquo indeterminato, v. gr. *petitur facultas aliquem a peccatis reservatis absolvendi,* et etiam quamvis hic, solum post concessam facultatem, in reservatum lapsus sit. Ratio est, quia facultas tantum valet quantum sonat; sonat autem quod possit quempiam absolvere, nec distinguit inter peccata iam commissa, aut nondum commissa. 2.° Non potest autem, si facultatem petiverit pro aliquo ita determinato, ut alter in hac petitione censeri nequeat comprehendi. Hinc, si petit pro paroeciano, alium non paroecianum absolvere non potest. Nec potest absolvere pariter a peccatis nondum commissis, si insinuaverit in petitione obiectum facultatis esse peccata iam patrata. *Saettler,* ibid.

CASUS XI

CONFESSARIUS INTRICATUS

Pro absolutione a reservatis

NICODEMUS, peccato reservato ligatus, rogat confessarium, ut facultatem ipsum absolvendi ab Episcopo impetrare velit. Illico confessarius eius votis obtemperare satagit. Sed ecce! o humanam fragilitatem! dum postulatum ad Episcopum mittitur et gratia concessa ad confessarium remittitur, iterum atque iterum in idem peccatum NICODEMUS

prolabitur; immo etiam aliud reservatum committit. Haec confessario pandit ille gemebundus; sed confessarius iam nescit an ad eum absolvendum nova facultate indigeat.

HINC:

QUAER. 1.° *An nova facultas requiratur ad absolvendum paenitentem a peccato reservato, si post gratiam postulatam, antequam absolvatur, in idem peccatum reservatum relabatur?*

2.° *An vero nova facultas requiratur, si paenitens ante absolutionem in novam reservationem incidat?*

3.° *An demum requiratur nova licentia, si quis peccaverit cum confidentia licentiae certo obtinendae, vel iam obtentae?*

4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

603. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° *Affirm.*, si licentia data sit pro solis peccatis numero determinatis, seu praecise pro peccatis iam commissis. Ratio est, quia licentia tantum valet quantum sonant verba quibus postulatum aut indultum exprimitur. *S. Alph.*, n. 601; *Lacroix*, n. 1692; *Lugo*, d. 20, n. 122.

2.° *Neg.*, si licentia indefinite concessa fuerit, seu in genere pro absolvendo aliquo a reservatis; tunc enim extenditur ad omnia reservata quibus ligatur paenitens quando absolvitur, sive commissa sint ante petitionem vel concessionem licentiae, sive concessione iam facta. Excipe, nisi paenitens novum peccatum reservatum committeret post notabile tempus, v. gr. post mensem; quia non praesumitur Superiorem voluisse ut absolutio tamdiu differretur. Idem etiam dicendum, si concessio facta fuerit intuitu alicuius festi particularis. *S. Alph.*, ibid.; *Lacroix*, ibid.

604. — *R. ad* 2m *Quaes.* Eadem valet responsio. Semper enim distinguendum est; nam vel petitio licentiae fuit determinata, vel indefinite concessa. Si prius, nova dispensatio requiritur; secus, si posterius.

R. ad 3m *Quaes. Neg.*, si indefinite concessa fuerit. Ratio patet ex eo quod habeatur licentia generalis absolvendi aliquem a reservatis, et donec absolutus fuerit concessio perdurat. *S. Alph.*, n. 601.

605. — *R. ad* 4m *Quaes.* NICODEMUS ab omnibus reservatis absolvi potest, si confessarius postulavit facultatem in genere absolvendi aliquem a suis reservatis; secus, si restricta fuerit petitio. Parvi autem refert quod NICODEMUS in idem peccatum, vel in novum reservatum lapsus sit, si petitio fuerit generalis.

CASUS XII

SOLERS POSTULATUM

Facultas pro aliquo incognito postulata, et sibi applicata

PHILIBERTUS, cum in peccatum reservatum incidisset, facultatem petit per epistolam, pro absolutione CAII a reservato uno. Sed quis CAIUS? ipsemet PHILIBERTUS. Hinc dicit confessario suo, se obtinuisse gratiam ut absolvi possit. Alias, peccato turpi cum quadam muliere commisso, postulat facultatem ut TITIUS sacerdos complicem absolvat... Quis autem TITIUS? ipsemet PHILIBERTUS; et ipsissimam complicem absolvit.

HINC:

QUAER. 1.° *An valeat concessio facultatis pro peccato reservato, si quis fingat se eam pro alio postulare, dum revera pro ipso postulat?*

2.° *An sacerdos petens facultatem ut aliquis sacerdos complicem absolvat, propriam complicem ipsemet absolvere queat?*

3.° *Quid ad duplicem casum?*

SOLUTIO:

606. — *R. ad* 1m *Quaes.* Res pendet a modo quo fit petitio. Si v. gr. ita: *Petitur facultas ut aliquis absolvi possit a reservato, Diana* et alii cum *Aversa,* apud *Lacroix,* putant posse tunc oratorem ipsum absolvi, quia Superior consentit vage, non determinando confessarium, vel paenitentem. Et sane pro τῷ *aliquis* etiam orator satis intelligi posse videtur. Excipe, nisi aliud constet de Superioris voluntate, prout est in aliquo religioso Ordine, ubi haec facultas, nisi aliter dicatur, tantum ad absolvendum conceditur. At non valida videtur pro oratore facultas, si modo nimis ambiguo petatur, v. gr.: *Peto facultatem pro absolutione a reservato.* Nam Superior, petitionem iuxta obvium sensum accipiendo, facultatem absolutionem dandi, non eam recipiendi, oratorem petere iudicabit, illamque hoc sensu concedet; ergo, etc.

607. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia facultas absolvendi complicem postulata est in genere pro aliquo sacerdote; ergo tam valere debet pro ipso oratore, quam pro alio; etenim dum Superior seu Pontifex potestatem hanc pro aliquo sacerdote concedit, eam sane concedere intendit, si quis hac licentia indiget, quicumque sit ille. Insuper necesse non est ut cognoscat eum, qui absolvere debet. *Saettler,* De min. paenit., c. 2, q. 8.°

608. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° PHILIBERTUS complicem valide absol-

vit saltem *per se;* nulla enim ratio afferri potest ad probandum invalidam fuisse absolutionem. Agitur enim tantum de absolutione impertienda ab aliquo sacerdote, et petitio ad neminem in particulari restricta fuit; ergo in secundo casu PHILIBERTUS non est inquietandus. 2.° At in primo non valide absolutus videtur PHILIBERTUS per illam facultatem, verbis nimis ambiguis petitam et obtentam, ut ex dictis satis liquet.

CASUS XIII

MILES RESERVATO CONSTRICTUS

Eius admiratio

COCLES, vir militaris, non infimo gradu insignitus, die quadam ecclesiam ingressus, ad sedem confessionalem primum obviam accessit, et ad pedes RUFINI, simplicis confessarii, optima fide provolvitur. Mox autem RUFINUS peccatum *Episcopo* reservatum inaudiens haeret anceps, nesciens quid sit faciendum. Etenim, si virum absolutione vacuum dimittat, hic, forte animo deiectus, alium confessarium non adibit. Timet insuper ne hominem hunc barbatum offensum habeat. Attamen, iubente conscientia, declarat se facultate ad absolvendum a tanto peccato destitui, et alium confessarium maiori potestate pollentem adeundum esse. Tum COCLES: «Mehercule! ait indignabundus, quis rem adeo singularem vidit unquam? Quare igitur *te in aperta officina constituis, si instrumentis ad operandum necessariis cares?*» — RUFINUS autem, ne militem a confessione deterreat, eum *indirecte* a reservato absolvit et dimittit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo agere debeat confessarius simplex dum peccatum aliquod* **Episcopo** *reservatum in confessione audit?*

2.° *An* COCLES *a* RUFINO *confessario absolvi potuerit?*

SOLUTIO:

609. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Unum e duobus confessario eligendum est, scilicet: 1.° Ut remittat paenitentem ad Superiorem, aut ad alium pro reservatis approbatum; 2.° vel ut ipse a Superiore petat facultatem absolvendi a tali casu reservato, tacitis circumstantiis quibuslibet, ex quibus paenitens manifestari posset. Plerumque magis expedit, si ipse confessarius licentiam absolvendi petat. Ita nunc *sat communiter* sentiunt theologi, ob periculum ne paenitens alium adire non audeat. *Busemb.*, apud *S. Alph.*, n. 584; *Gousset,* n. 484; *Billuart,* dist. 6, a. 6, § 3, petes 5.°, ubi sic ait:

«Confessarius moneat statim paenitentem de casu reservato et

quaerat ab eo num velit adire Superiorem vel delegatum, aut peti a Superiore facultatem absolvendi. Si hoc ultimum, quaerat ab eo num habeat adhuc alia reservata, ne imminuta et insufficiens facultas obtineatur. Si respondeat paenitens, ut solitum est, se ignorare quae sint reservata, confessarius vel ea illi exponat, vel petat num velit ipsi aperire integrum statum conscientiae, non tam per modum confessionis sacramentalis, quam ut cognoscat quid pro ipsius bono debeat exponere, vel petere a Superiore».

610. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.* Nulla enim ratio gravis urgebat, ut ex casu apparet. Debuisset igitur confessarius peramanter paenitentem inducere ad redeundum alia die determinata, et interea pro eo obtinere a Superiore facultatem ab illo reservato absolvendi. Licet enim ad hoc *per se* non teneatur confessarius, ex caritate tamen aliquando pro bono paenitentis id praestare debet. Erravit etiam RUFINUS militem *indirecte* absolvendo, quin ei imponeret obligationem alium confessarium adeundi. Si miles autem absque mora proficisci deberet in alium locum, vel non facile ad RUFINUM revertere posset, eum absolvere potuisset, quia probabiliter cessasset in casu reservatio, iuxta dicta n. 593, 2.°. Cfr. **Comp.,** n. 670 (1).

* CASUS XIV

ABSOLUTIO COMPLICIS 1.°

1.° TITIANUS, sacerdos, data lubrica occasione, in peccatum grave contra sextum Decalogi praeceptum cum ANNA infelici casu lapsus est. Mox utrumque complicem huius turpis noxae paenituit. Cum non esset ibi praesens alius sacerdos, TITIANUS statim alium locum adit confitendi gratia. ANNA vero, aliqua infirmitate detenta, alium confessarium adire nequivit. Igitur tristis et moerens TITIANUM enixe rogat, ut suam confessionem excipiat. Hic dubius et anceps primum haeret: ex una parte cohibetur lege Ecclesiae complicem absolvere prohibentis; sed ex alia parte opitulari vellet miserae mulieri, quae secus diu confessario carebit. Tandem, misericordia motus, ANNAM in confessione audit et absolvit, ratus prohibitionem Ecclesiae in hoc arduo casu non urgere.

2.° CALLISTUS, sacerdos, peccato turpi cum IULIA patrato, complicis confessionem excipit quidem, sed absolutionem ei non concedit. Dubitat autem postea, utrum excommunicationem incurrerit.

(1) In variis locis, Episcopi dant omnibus confessariis facultatem milites a reservatis absolvendi.

HINC:

QUAER. 1.° *An aliquando sacerdos complicem in peccato turpi absolvere possit quin excommunicationem incurrat?*

2.° *An valida sit absolutio saltem aliorum peccatorum, si paenitens fuerit in bona fide, ut fit quoties de aliis peccatis reservatis agitur?*

3.° *An incurrat excommunicationem sacerdos complex, qui confessionem audit, non tamen absolvit?*

4.° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO:

611. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV *Sacramentum paenitentiae,* 1 iun. 1741 (can. 884).

Absolvens vel *fingens* absolvere complicem in peccato turpi, incurrit ipso facto in excommunicationem **specialissimo modo** Sedi Apostolicae reservatam; *b)* idque etiam *in mortis articulo,* si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine *gravi aliqua exoritura infamia* et scandalo, possit excipere morientis confessionem, *c) excepto* casu quo moribundus recuset alii confiteri (can. 2367, § 1). — Eamdem excommunicationem non effugit *absolvens* vel *fingens* absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, *a quo nondum est absolutus,* non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id *a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est* (ibid., § 2). V. **Comp.,** n. 685.

Excipitur quidem casus in quo alius sacerdos vocari non possit sine infamia vel scandalo. At sacerdos complex talia pericula infamiae vel scandali avertere debet, si possit, sub eadem poena excommunicationis, licet tunc valide absolveret, si non averteret. Sic, ex Bened. XIV, Const. *Apostolici muneris.* V. *S. Alph.,* n. 553.

Probabiliter absolvere etiam eum poterit, secluso proximi scandali periculo, si ob loci circumstantias (ut in locis missionum contingere potest) neque alius confessarius adsit, neque spes ulla probabilis sit, quod sit unquam adfuturus: maxime si ex omissa confessione per tantum temporis spatium adsit scandali ac infamiae periculum. Ratio est, quia non censetur Ecclesia velle per hanc legem positivam complici viam reconciliationis praecludere, praesertim cum ex *praecepto divino* teneantur omnes ad confessionem non modo in periculo mortis, sed etiam pluries in vita, et ipsa lex *naturalis* concedat ius ad propriam famam. *Ball.-P.,* n. 424; *Buccer.,* Comm. IV, n. 68; *Lehmk.,* n. 637; *Génicot,* n. 354; *Casus Romae ad S. Apoll.,* pag. 154 seq.

Immo *Ball.-P.*, n. 413; *Noldin*, n. 386, et *Génicot*, n. 352, probabilem videntur habere sententiam, quae tenet paenitentem in necessitate communicandi, quando alius confessarius praesto non est, posse instituere confessionem apud confessarium complicem, reticendo complicitatis peccatum, quasi ageretur de peccato Episcopo reservato in similibus adiunctis. Hanc sententiam defendi a *P. Bucceroni* dicit *Génicot;* sed *Buccer.* nunquam illam docuit, immo oppositum tradit in Comm. IV, n. 73, nota, et in *Casibus Romae ad S. Àpoll.*, pag. 153. — Ipse *Génicot* iam advertit, quod praestaret ut paenitens, elicito actu contritionis, ad communionem accederet.

612. — *R. ad* 2m *Quaes. Probabilis* videtur sententia affirmativa, quam tenent *Ball.-P.*, n. 648; *Lehmk.*, 2, 936, nota 2; *Buccer.*, nn. 1291 et 1293, Comm. IV, n. 71, et Casus, § 162, n. 2; *Génicot*, n. 352, 4.° — Favet decisio S. Paenit. 16 maii 1877, in qua dicitur «privationem iurisdictionis absolvendi complicem in peccato turpi... esse in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem confessarius complex fuit»; ergo confessarius non caret iurisdictione in alia peccata; ergo absolutio erit valida quoad haec peccata; invalida vero quoad complicitatis crimen, quod tantum indirecte remitteretur, fere sicut accidit in aliis reservatis. *Noldin*, l. c., validitatem admittit si paenitens complicitatis crimen bone fide non accuset; secus vero si illud complici declaret.

613. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Si audit confessionem, et ita se gerit ut complex deceptus recedat credens sibi datam absolutionem, tunc omnino incurrit, quia fingit absolutionem. 2.° Si confessionem complicis audit, eique significat se eum absolvere non posse, tunc non incurrit.

614. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Quoad *primum casum:* Titianus graviter peccavit, excommunicationem incurrit specialissimo modo Rom. Pontifici reservatam. *Probabiliter* tamen, cum Anna fuerit in bona fide, absoluta fuit *indirecte* a peccato complicitatis, *directe* vero ab aliis peccatis. Titianus tenetur eam monere de obligatione iterum alii confessario accusandi peccatum complicitatis.

2.° Quoad *secundum casum:* Callistus nullam incurrit excommunicationem, scilicet audiendo quidem confessionem complicis sed eam non absolvendo, *modo complici significaverit se eum absolvere non posse.* Sequitur ex dictis. Illicite autem egit inutiliter audiendo absque facultate confessionem, quae ad absolutionem tantum ordinatur.

* CASUS XV

ABSOLUTIO COMPLICIS 2.°

HERMODORUS, parochus, ROSALIAM complicem suam moribundam absolvit, his rationibus iuductus: 1.° quia facultate gaudet ab omnibus reservatis absolvendi; 2.° quia in mortis articulo cessat omnis reservatio; 3.° quia non adest praesens alius sacerdos, nisi iunior vicarius, cui sane scandalum ingens creabitur, vel etiam neosacerdos non adhuc approbatus, qui admirationem in populo moveret, si ROSALIAE confessionem audiret.

HINC:

QUAER. *An* HERMODORUS *complicem suam absolvere potuerit, seu, an valeant rationes ab eo allatae?*

SOLUTIO:

615. — *R. ad Quaes.* Absolutionem in casu esse *per se validam,* certum est apud omnes; sed quoad *liceitatem* nihil prorsus valent pleraeque rationes, quas HERMODORUS affert ad ROSALIAM, complicem suam, in articulo mortis absolvendam.

1.° Non refert quod gaudeat facultate absolvendi a casibus reservatis, quia non agitur de casu proprie reservato, cum iurisdictio quoad illum, tantum ipsi sacerdoti complici auferatur, non *aliis* confessariis. V. **Comp.**, n. 677, q. 1.° *d).*

2.° Nec refert quod sacerdos praesens sit iunior, aut nondum approbatus, quia ex lege ille alius sacerdos praeferendus est, quicumque sit, etiam non approbatus, suspensus, etc.

3.° Nec refert quod nulla sit reservatio in mortis articulo, quia ibi expressa lege prohibetur absolvere etiam in morte sub poena excommunicationis, si alius sacerdos reperiri possit.

Sola valeret ratio scandali in extrema necessitate, si vera foret. Sed, cum HERMODORUS tot varios praetextus iam excogitaverit, facile praesumi potest hanc ultimam rationem futilem prorsus et vanam esse. Numquid discedere non potuisset ad breve tempus, ut interea alius sacerdos advocaretur? Numquid iunior vicarius, vel alius non potuisset adire aegrotam, sub praetextu caritatis vel urbanitatis, eamque audire et absolvere, ignorante populo? Sane, si ratio infamiae vel scandali non fuerit vera et gravis, HERMODORUS poenam excommunicationis minime effugit. Si homines decipi possint, Deus non decipitur unquam. *Deus* enim *non irridetur.* Galat., 6, 7.

* CASUS XVI

ABSOLUTIO COMPLICIS 3.°

DYDIMUS, sacerdos, tempore noctis, laicali veste indutus incidit in EULALIAM, quacum turpe peccatum patrare non dubitat. Postridie mane, EULALIA DYDIMUM adit, eique confitetur de peccato, nocte praecedenti cum viro sibi prorsus ignoto infeliciter commisso. Ex omnibus adiunctis clare intelligit DYDIMUS, mulierem hanc esse complicem suam. Quid igitur faciet miser? Quantae tunc eius angustiae! Si id sciret paenitens, prae dolore exclamaret: *Tu es ille vir!...* Sed nescit illa, nec DYDIMUS se manifestare audet. Insuper praetextu caret ad absolutionem denegandam. Quid faciet igitur? absolvit anxius, et postea inquirit de absolutionis validitate.

HINC:

QUAER. *An* DYDIMUS *valide* EULALIAM *absolverit?*

SOLUTIO:

616. — *R. ad Quaes. Probabiliter* valide absolvit EULALIAM in bona fide constitutam: *directe* ab aliis peccatis, *indirecte* a peccato complicitatis, prout dictum est supra, nn. 611, 614.

617. — Immo probabiliter *valide, licite* ac *directe* eam absolvit etiam a peccato complicitatis, quia confessarius non tenetur se ipsum prodere, et, si paenitentem non absolveret, tum hic tum confessarius, cui paenitens manifestaret negatam sibi absolutionem, facile in suspicionem venirent peccati ab illo perpetrati *(Ball.-P.,* n. 650; *Lehmk.,* 2, n. 935, 2; *Génicot.,* n. 353). Nec in casu, ut ait *Lehmk.,* videtur adesse *formaliter* complicis absolutio. «Aliunde periculum infamiae fuit potissima ratio, quae Pontificem induxit ad temperandum legis rigorem (sine gravi aliqua exoritura infamia); ergo si in aliquo casu eiusmodi ratio evidentissime habeatur, arbitror non agere contra legem, sacerdotem qui complicem absolvat». *Pennachi,* Comm. in Const. *Apost. Sedis,* vol. 1, pag. 332.

618. — Certe excommunicationem incurreret, si absolveret complicem, a quo hic et nunc non agnoscitur, si tamen in actu peccati a complice cognitus fuit.

E contra, si confessarius hic et nunc complicem non agnoscat, quamvis ipsum alias bene noverit, nec excommunicationem incurrit, nec ullo modo peccat; immo absolutio valida erit: quoad alia peccata *directe, indirecte* vero quoad peccatum complicitatis.

CASUS XVII

ABSOLUTIO COMPLICIS 4.°

1.° LAELIUS, confessiones excipiendo, mulierem audit se de peccato turpi, cum sacerdote patrato, accusantem. Haeret dubius, sciens se nuperrime, noctis tempore, peccasse cum muliere vocem fere similem habente. Non audet tamen dubium suum aperire, ideoque complicem absolvit.

2.° NARCISSUS, sacerdos simplex, excipit confessionem LEONIAE, quacum libidinem explere tentaverat, ipsa exterius reluctante, interius tamen consentiente. Paucis post diebus LEONIA ipsum petit ut confiteatur, peccatumque internum manifestat. Nescit vero NARCISSUS an eam absolvere queat, et tandem beneficium absolutionis ei tribuit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* LAELIUS *valide absolverit in primo casu?*
2.° *An* NARCISSUS *in casu secundo?*

SOLUTIO:

619. — *R. ad* 1m *Quaes. Probabiliter* absolvere potuit *valide* et *licite* et *directe,* ut patet a fortiori ex dictis in casu praecedenti. Durum enim est valde, immo durissimum, sacerdotem adigere ad se prodendum, et turpitudinem suam manifestandam cum ingenti honoris iactura. Nec praesumendum est prudentem legislatorem voluisse reum iurisdictione privare cum tanto dubio circa rem ex una parte, et tanto famae detrimento ex altera. Igitur casus praesens recidere videtur in quaestionem iurisdictionis dubiae, in qua, stante gravi causa, probabilius absolvere licet. *Ituriaga,* t. 6, cas. 43.

620. — *R. ad* 2m *Quaes.* NARCISSUS valide LEONIAM absolvit, quia in casu deficit complicitas, seu communis participatio in eodem crimine externo patrato. Etenim non satis est, si duo in eumdem actum venereum consentiant, ut adsit complicitas quae sacerdotem iurisdictione in paenitentem privet; sed ulterius requiritur ut consentientes aliquo signo externo sibi invicem consensum aperiant et mutuum faciant: atqui in casu nostro LEONIA in peccatum NARCISSI actu externo minime consensit, sed contra constanter et fortiter restitit; ergo defuit consensio ad veram complicitatem requisita. Ergo NARCISSUS LEONIAM absolvendo, licet noverit peccatum eius internum, excommunicationem non incurrit, et valide mulierem absolvit. Sed LEONIA omnino imprudenter egit hunc sacerdotem adeundo confitendi gratia, nisi alium reperire non potuerit. Verendum enim vehementer est, in tali casu, ne accessus ipse mulieris ad illum concupiscentiae flammas in eo accendat; et postea, cognito consensu paenitentis in-

terno in peccatum, eamdem ad novos libidinis conatus inducat. *Ituriaga,* t. 4, cas. 4.

621. — *Hinc resolves:* 1.° Si sacerdos aliquis muliere ebria vel dormiente ad libidinem explendam uteretur, non propterea iurisdictionem ad illam absolvendam amitteret, quia neque ebria, neque dormiens ut complex formaliter haberetur.

2.° Si sacerdos induceret feminam ad credendum, nullum esse peccatum si turpiter ab ipso tangi se sineret, et ea ab ipso decepta bona fide se turpiter tangi pateretur, quin formaliter peccaret (quod fieri posse vix credas), non esset complex, et ab eo sacerdote de aliis absolvi posset.

CASUS XVIII

ABSOLUTIO COMPLICIS 5.°

1.° ROMARICUS, sacerdos, peccato turpi cum RUTILIA patrato, sciens se eam absolvere non posse quin excommunicationem specialissimo modo Papae reservatam incurrat, eamdem ad alium dimittit a quo absolvi queat; sed sedulo admonet ut, absolutione recepta, ad ipsum redeat, quia mirarentur multi et confabularentur si apud alium confiteretur, ac in peccati patrati suspicionem facile venirent; et insuper, quia nimium foret incommodum, si vicibus singulis ad alias paroecias sat distantes pergere deberet.

2.° IULIA, impudice cum parocho conversata, in gravem morbum inciderat. Sciebat illa se a complice suo absolvi non posse, dum facile alius sacerdos advocari posset. Vaferrima mulier, ne turpitudinem suam alteri detegeret, hac industria usa est: parochum ocius advocat, ad sacrum Viaticum ministrandum, perinde ac si ab alio absoluta fuisset. Parochus doli ignarus illico ei obtemperat. Tunc ante communionem IULIA ei confitetur, et ab ipso, velut in articulo mortis, bona fide absolvitur.

HINC:

QUAER. 1.° *An complex in materia turpi semel absolutus, sacerdoti socio criminis confiteri possit, et an conveniat ut ei confiteatur?*

2.° *Quid de rationibus a* ROMARICO *adductis?*

3.° *An* IULIA *valide absolvi potuerit in secundo casu?*

SOLUTIO:

622. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Paenitens complex, semel a peccato complicitatis ab alio sacerdote absolutus, valide a sacerdote complice absolvi potest. Ratio est, quia sacerdos complex tantum iurisdictione in hunc paenitentem caret, quoad peccatum cuius ipse fuit particeps; ergo deleto illo peccato per absolutionem ab alio impertitam, iam ces-

sat prohibitio, et iurisdictio reviviscit. *S. Alph.*, n. 555, *et alii communiter.*

Utrum vero iurisdictione *careat* confessarius in peccatum ipsum complicitatis iam per absolutionem directe remissum, affirmant plures, sed negant *Buccer.*, Inst. Th. mor., 2, n. 1296, Comm. 4, n. 76; *D'Annibale*, 3, n. 324, not. 37; *Génicot*, 2, n. 352, 5.°, *et alii*. — Ratio est, quia iam non est materia necessaria confessionis, et videtur de hoc peccato iudicandum sicut de reservatis directe absolutis.

2.° Non convenit tamen ut paenitens, neque postea, illum sacerdotem adeat, ob periculum consensus novi saltem interni, ex utriusque parte. Id etiam requirit honor et reverentia sacramento debita, nisi aliter fieri nequeat. V. **Comp.**, n. 688; *Gousset*, n. 489.

Inde est ut generatim cum S. Paenitentiaria, vel Nuntius Apostolicus, v. gr. Hispaniae, concedunt facultatem absolvendi ab excommunicatione sacerdotem, qui complicem suum absolvit, confessario absolvendo imponunt hoc praeceptum, ut ab audiendis personae complicis confessionibus, quantum citra grave scandalum possit, abstineat. Cfr. *Villada*, Casus, vol. 3, pag. 188 (ed. 1.ª); *Mach-Ferreres*, Tesoro del Sacerdote, vol. 2, n. 501. — V. **Comp.**, n. 688.

623. — *R. ad* 2m *Quaes.* Discriminandae sedulo sunt illae rationes a ROMARICO adductae, quia facile fucum sibi facere potest et moveri secreta libidine, vel saltem affectu naturali immoderato ac proinde periculoso ad mulierem alliciendam et sibi devinciendam. Igitur a cauda serpentina sedulo caveat. Nihilominus firmae esse possunt aliquando praefatae rationes. Hic ultima solutio a diversis circumstantiis pendet. Sed curandum est ut mulier saltem saepius alium confessarium adeat, et quam brevissime et rarissime complici confiteatur.

624. — *R ad* 3m *Quaes.* IULIA male egit et graviter peccavit sic dolose agendo, ut a complice suo absolveretur; nihilominus si bona fide id fecerit, vel si, praesente iam parocho, ipsam de hac sacrilega fraude paenituerit, et reapse urgeat mortis articulus, valide a socio peccati sui absolvi potuit, quia sacerdos tunc amissam iurisdictionem recuperat. Ita *Collet*, editor *Pontas*, ad calcem t. 2, ubi refert varios casus ab auctore italico conscriptos v. Absolutio, cas. 26 (1).

---

(1) Ibi addit *Collet* mulierem hanc a sacerdote hortandam esse ad paenitentiam, et ab eo absolvendam. — «El infeliz sacerdote de quien se trata debe procurar que la enferma pida perdón de su indigna superchería, y luego absuélvala. No será el engaño lo que le valdrá entonces, sino el justo dolor de haberse servido de él, juntamente con el peligro de muerte próxima».

CASUS XIX

ABSOLUTIO COMPLICIS 6.°

1.° GELINA, meretrix, quae cum VALERIO sacerdote turpiter egerat, pessimam vitam ex immo corde detestando, ad bonam frugem sincere convertitur. Confessionem diligentem totius vitae apud ALBERTUM instituit; sed peccatum cum VALERIO commissum ex innoxia oblivione praetermittit. Subinde complici confitetur, ipsique peccatum illud declarat et ab eo absolvitur.

2.° THERESIA, repentino morbo correpta, iam iam moritura videtur. Adstat FLAVIANUS, sacerdos suspensus, immo excommunicatus, ad eam absolvendam paratus; huic locum eripit ALBINUS, THERESIAE complex in peccato turpi, et confessionem moribundae excepit, eamque absolvit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* VALERIUS *in primo casu* GELINAM, *complicem suam, valide absolverit a peccato complicitatis ex oblivione omisso in confessione penes alium facta?*

2.° *Quis e duobus sacerdotibus praeferendus in secundo casu? an complex, vel excommunicatus?*

3.° *An vero censuram effugisset* ALBINUS, *si loco* FLAVIANI *indebite accepto, complicisque audita confessione, ipsum facti paenituisset, et deinde tamen ob circumstantiam inchoatae confessionis absolvisset?*

SOLUTIO:

625. — *R. ad* 1^m *Quaes.* VALERIUS non potuit *directe* absolvere GELINAM a peccato complicitatis, et GELINAE absolutionem attentando excommunicationem incurrit. Opus est igitur ut GELINA per alium confessarium *directe* absolvatur a peccato complicitatis, a quo *directe* adhuc absoluta non fuit, cum illius oblita fuisset in confessione peracta apud ALBERTUM.

626. — *R. ad* 2^m *Quaes. Per se* sacerdos suspensus vel etiam excommunicatus omnino fuit praeferendus; immo, illo praesente, sacerdos complex minime moribundam absolvere potest; et si absolvat, excommunicationem incurrit. Ratio eruitur ex ipsis verbis canonis 2367, § 1, n. 611 citatis. Neque obstat quod sacerdos suspensus vel excommunicatus iurisdictione careat, quia pro casu mortis facultate absolvendi minime destituitur iuxta omnes, et in ipso canone probatur, quia simpliciter dicitur: si alius sacerdos, licet non approbatus ad

confessiones: ergo intelligitur de quocumque sacerdote; ergo... *Iturriaga,* t. 5, cas. 50.

627. — Dixi *per se,* quia, praesente excommunicato *publico,* complex valide et licite absolveret, si secus periculum infamiae publicae aut scandali secuturum esset. Periculum autem illud facile evenire posset, si sacerdos complex excommunicato locum cederet; hoc enim esset argumentum non obscurum turpitudinis suae praebere; ergo, si FLAVIANUS fuerit publice *suspensus* vel *excommunicatus,* ALBINUS locum ei praeripere potuit quin excommunicationem incurrerit.

628. — *R. ad* 3m *Quaes.* Tunc censuram effugisset. Etenim: 1.° Non incurrisset poenam pro sola confessione incepta, quia non incurritur illa poena nisi confessio absolutione compleatur, ut dictum est supra, casu XIV, in resp. ad 3m q., n. 613.

2.° Neque incurrisset absolvendo post mutatam voluntatem in melius, et contritionem de illo peccato elicitam; nam nemo incurrit excommunicationem per actum qui ex una parte omitti amplius non potest, et ex altera parte omni culpa caret, immo factus est obligatorius. Etenim tunc incurritur excommunicatio quando sine ulla necessitate absolutio a complice impertitur. At ALBINUS, audita THERESIAE confessione, eam absolvere cogitur; ergo excommunicationem non incurrit. *Iturriaga,* t. 5, cas. 50.

CASUS XX

ABSOLUTIO COMPLICIS 7.°

LUCIANA, ROMANI sacerdotis in libidine socia, repentino morbo correpta, semianimis corruens sacerdotem postulat, et voce statim destituitur. Adstat illico ROMANUS, cui interroganti, nutibus illa respondet. Contigit autem, ut paulo post sublevaretur LUCIANA et melius se haberet. Tunc compertum est, illud quod apoplexia apparuerat, merum fuisse deliquium. Nescit autem ROMANUS, an inceptam confessionem LUCIANAE perficere possit? Quocirca haeret dubius et anceps inter utramque partem titubans. Tandem absolutionem impertire statuit.

HINC:

QUAER. 1.° *An valida fuisset absolutio, si* ROMANUS LUCIANAM *in deliquio versantem absolvisset?*

2.° *An* ROMANUS, *transacto deliquio, potuerit* LUCIANAM *absolvere?*

3.° *An* ROMANUS, *complice in deliquio absoluta, eius confessionem ratione integritatis perficere potuerit?*

SOLUTIO:

629. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirmative.* Ratio est, quia, ut sacerdos complex iurisdictione potiatur, sufficit ut *iudicium probabile* ferat de mortis periculo complicis, adeo ut ministerium suum *prudenter* exerceat haud secus ac si de alio quolibet aegroto agatur. Quid enim faceret sacerdos quando deprehendit signa, quae mortem imminere persuadent? Fieri quidem potest, ut indicia illa sint aequivoca, sed etiam fieri potest, ut sint indicia mortis vicinae. Quid ergo ROMANUS? Quid alius sacerdos quilibet in tanta animi fluctuatione? Nonne confessionem excipiet et absolvet? Numquid, in dubio, paenitens periculo damnationis exponendus erit? Minime gentium. Non potuit enim talis esse mens Pontificis, qui animae periclitanti succurrere voluit. Ast quomodo absolvere debebit? An absolute, vel conditionaliter? *Absolute,* quia certa est iurisdictio, licet dubium sit periculum. Pontifex enim non intendit iurisdictionem restringere ad certum mortis casum, siquidem sacerdotis ministerium moraliter, scilicet humano modo, exercendum est. Porro saepe valde difficile est, ut homines mortem certam imminere sciant, etiam quando proxima est. *Ituriaga,* t. 5, cas. 49. — V. **Comp.,** n. 687.

630. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirmative.* Ratio est, quia quando confessionem audire incepit, id tantum ex iurisdictione a Pontifice habita facere potuit: atqui iurisdictio valens tempore inchoatae confessionis perdurat donec paenitens absolvatur, nam collata est pro confessione peragenda; non agitur autem confessio, nisi ad complementum deducatur. Sicut enim morte delegantis non cessat iurisdictio relative ad ea, quae iam sunt incepta, ut ex iure can. constat; ita etiam in foro interno, ob rationis paritatem, tamdiu iurisdictio permanere censetur, quamdiu confessio inchoata per absolutionem completa non fuerit. Alia ratio desumitur ex incommodo maximo quod sequeretur, si paenitens confessionem apud alium iterare deberet; hoc enim quam maxime ab Ecclesiae benignitate alienum est. *Ituriaga,* ibid.

631. — *Obiicies:* Elapso tempore iurisdictionis, confessarius invalide absolvit; ergo a pari in casu praesenti ROMANUS absolvere nequit, quia elapsus est casus iurisdictionis, siquidem pro solo mortis articulo approbatus est.

Resp. dist.: Invalide absolvit, si confessio non adhuc erat sufficienter inchoata, *C.;* secus, *N.* ex dictis superius. Itaque etiam ROMANO conceditur, ut audire possit confessionem complicis non solum pro mortis articulo, sed ita ut, confessione incepta et non perfecta, iurisdictio perduret. *Ituriaga,* t. 5, cas. 49.

632. — *R. ad* 3m *Quaes.* Distinguendum est: vel LUCIANA peccata complicitatis omnia nutibus sufficienter expressit, vel non. Si prius, sacerdos complex confessionem ratione integritatis perficere potest; secus non potest.

Ratio primi est, quia per absolutionem validam peccata complicitatis *directe* remissa sunt, adeoque ipsa complicitas *directe* destructa est, et sacerdos complex sicut alius quilibet ab illis peccatis absolvere potest. Peccata enim illa non sunt amplius materia confessionis necessaria, sed materia libera tantum, sicut peccata venialia, aut mortalia iam patefacta; ergo iam non exsistunt ratione obligationis confessionis; ergo ruptum est complicitatis vinculum, seu desiit complicitas, perinde ac si nunquam exstitisset.

Ratio secundi est, quia tunc adhuc perdurat complicitatis vinculum; peccata enim reliqua nonnisi *indirecte* remissa sunt, utpote in confessione omissa; ergo illa peccata remanent materia confessionis necessaria; ergo non corruit complicitatis ratio, sed contra corruit iurisdictio.

633. — *Obiicies* ex dictis supra: Res non est amplius integra; ergo licet confessario eam perficere.

Resp. Non est verum, eam non esse integram; nam integra facta est per ipsam absolutionem. Concessa autem absolutione, dataque ne paenitens pereat, res in tuto est, et confessio integratur. Paenitens enim, incepta confessione, ius habet ad absolutionem. *Ituriaga,* ibid.

CASUS XXI

ABSOLUTIO COMPLICIS 8.°

MARCELLUS, sacerdos, sermones impudicos et tactus graviter turpes cum AURELIO, amico suo, habuit. Dum autem ad confessiones audiendas incumberet, ecce adstat inter medios paenitentes ipse AURELIUS, qui peccata cum MARCELLO patrata, et nondum accusata confitetur. MARCELLUS vero dubitat primum an possit eum absolvere. Sed mox scrupulum omnem excutit, quia reservatio afficere non videtur verba, neque tactus solos, neque peccata cum virili sexu commissa. Insuper, ait, si iurisdictio deficiat, stante errore communi, supplebit Ecclesia.

HINC:

QUAER. 1.° *An tactus aut sermones turpes in materia luxuriae reservationi subiaceant?*
2.° *An peccata etiam cum viro commissa?*
3.° *An vero error communis iurisdictionem suppleat, quando absolutio complici indebite impertitur?*

SOLUTIO:

634. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.,* quoad tactus turpes, ut certum est apud omnes.

Quod vero colloquia turpia etiam comprehendantur, dicitur *ex-*

presse in decr. S. Off. 28 maii 1873, et tradunt *Lehmk.*, 2, n. 935; *Buccer.*, 2, n. 1289; *Ball.-P.*, vol. 5, n. 414, nota; *D'Annibale*, 3, n. 324; *Villada*, Casus, vol. 3, pag. 125, ed. 1.ª; *Génicot*, n. 352. Attamen cum multoties in turpiloquio dubium sit, an complicitas exterior formalis et *gravis* adsit *ex utraque* parte, tunc licebit absolvere. Cfr. *Lehmk.* et *Génicot*, ll. cc.

635. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia lex minime distinguit, neque restringit reservationem ad sexum femineum; verba enim canonis sunt omnino generalia; sic enim statuit: «absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi». Eumdem sensum referunt Const. apostolicae; ergo reservatio ad sexum muliebrem non est restringenda. *Gousset*, n. 487.

636. — *R. ad* 3m *Quaes. Nego prorsus:* absurdum enim sequeretur. Nam canon 884 dicit: «Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis». Verum, si suppleret error communis, nunquam fere absolutio invalida esset, siquidem iurisdictio quae per canonem complici adimitur, haec eidem per errorem communem semper restitueretur, nec complex reapse illa privaretur, nisi quando complicitas absolventis omnibus innotesceret, quod vix contingere solet. Hinc lex Ecclesiae omnino corrueret. Ceterum Ecclesia id maxime intendit, ut absolutio a complice impertita nulla sit (saltem quoad peccatum complicitatis), et frustra a paenitente recipiatur ob iurisdictionis defectum in confessario.

637. — Praeterea Ecclesia, per errorem communem supplendo iurisdictionem, intendit consulere non aliquibus tantum qui decepti putarent iurisdictionem huic sacerdoti inesse, sed multitudini hominum, communi persuasione idipsum falso existimantium. Hinc error supplens iurisdictionem respicit multitudinem, cui Ecclesia favere intendit; non vero respicit paucos, praesertim cum lex eos punire velit, actus eorum irritando: atqui, ubi agitur de complice absolvendo, duo tantum intersunt, confessarius scilicet et complex, quos constitutio benedictina vult punire; ergo privilegium in errore communi fundatum, nihil prorsus validitati absolutionis a complice impertitae suffragari potest. *Ituriaga*, t. 5, cas. 47.

CASUS XXII

ABSOLUTIO COMPLICIS 9.°

LIBORIUS, ad sacerdotium candidatus, antequam ordines sacros susciperet, data infelici occasione, cum FLAVIA puella familiarius agere coepit, et in peccatum grave contra castitatem lapsus est. Paenitentia serio peracta, emensoque studiorum theologicorum curriculo, ad

sacram sacerdotii dignitatem est evectus. Cum magno zelo in excipiendas fidelium confessiones incumberet, ecce adstat ipsa FLAVIA, quae declarat, se peccatum cum eo commissum hucusque prae verecundia celasse in praeteritis confessionibus, et paratam esse ad confessionem abhinc instituendam. Addit FLAVIA, solatium sibi contingere quod ipsi LIBORIO confiteri valeat; immo se nemini alteri conscientiam suam aperire posse.

Quid vero LIBORIUS, his auditis? Haeret primum anceps; sed mox iudicat se iurisdictione non destitui erga FLAVIAM, quia peccata ante sacerdotium patrata sub lege reservationis non cadunt; quapropter complicem audit et absolvit.

HINC:

QUAER. 1.° *An peccata ante sacerdotium commissa lege reservationis afficiantur?*
2.° *An* LIBORIUS *excommunicationem incurrerit?*
3.° *Ad quid erga* FLAVIAM *teneatur?*

SOLUTIO:

638. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirmative.* Ratio est, quia verba legis accipienda sunt ut sonant; ex genuino autem sensu nullus sacerdos complex complicem criminis sui absolvere potest extra casum mortis; ergo... Nec refert si criminis societas sacerdotium praecesserit, necne; vinculum enim complicitatis per susceptionem sacrorum ordinum non solvitur, nec post sacerdotium desinit sacerdos esse complex, qui prius complex exstiterat; siquidem, statim ac crimen commisit, se cum complice nodo complicitatis illigavit, qui, susceptis ordinibus, durat ac perpetuo durabit, donec per absolutionem ab alio sacerdote impertitam dissolvatur. *Iturriaga*, t. 5, cas. 47, et *communis* sententia cum *Buccer.*, n. 1290; *Palmieri* (in oper. *Baller.)*, n. 416; *Lehmk.*, n. 935; *Génicot*, 2, n. 352, 1."; *Noldin.*, De Sacram., n. 384, et declaravit S. Paenit., 22 ian. 1879. Contradicit tamen *Ball.-P.*, n. 416.

639. — *Obiicies:* 1.° Bulla benedictina declarat sacerdotem complicem iurisdictione privari quod perinde est ac dicere per complicitatem privari iurisdictione; ergo supponit iurisdictionem inesse complici; ergo supponit complicem esse sacerdotem: nemo enim privatur re quam non habet.

Resp. Non urget argumentum. Sequeretur enim sacerdotem, qui non erat approbatus dum crimen commisit, posse valide complicem absolvere si postea approbetur. Quis autem illud absurdum vorabit? Dico igitur, quod ille qui sacris non initiatus peccat cum alio, nulla utique tunc iurisdictione privatur, quia nullam habet qua privetur, sed per complicitatem privatur habilitate ad iurisdictionem acquirendam quam sacerdos factus et approbatus acquireret, nisi vinculo complicitatis impeditus fuisset. Hinc complicitas ante sacerdotium, vel ante approbationem, consideranda est relative ad absolutionem instar impedimenti

dirimentis ante matrimonium. Igitur non attendendum est ad tempus quo peccatum committitur, sed ad tempus quo absolvitur. *Ituriaga,* ibid.

Praeterea canon 884 simpliciter dicit absolutionem complicis in peccato turpi esse invalidam praeter quam in mortis periculo, etc. Ergo invalida erit semper extra illum casum.

640. — *Obiicies:* 2.° Non est attendendum tantum ad verba materialia legis, sed ad mentem legislatoris. Porro hic legislator, seu Summus Pontifex, voluit avertere sacerdotes a peccato, et eos punire, si peccent; ergo noluit peccata ante sacerdotium commissa comprehendere in lege reservationis.

Resp. Non valet obiectio. Mens enim legislatoris, seu finis legis, non est solum punire sacerdotes et eos a peccato avertere, sed est etiam impedire novum periculum peccandi, et promovere dignam sacramenti paenitentiae administrationem, cui sane absolutio proprii complicis adversatur; absonum enim est a sacramenti dignitate et reverentia ut sacerdos absolvat aliquem a peccato cuius ipse fuit particeps, licet complicitas sacerdotium praecesserit. *Ituriaga,* ibid.

641. — *R. ad* 2m *Quaes.* LIBORIUS non incurrit excommunicationem, si bona fide processerit, seu ex efformata conscientia complicem absolverit, siquidem ad tantam poenam subeundam peccatum mortale requiritur. Porro ex casu non videtur de peccato gravi arguendus, et proinde a censura immunis iudicandus est.

642. — *R. ad* 3m *Quaes.* LIBORIUS tenetur ad complicem admonendam de invaliditate absolutionis *(quoad peccatum* cuius ipse fuit particeps) quam ei largitus est, non tamen cum gravi incommodo, cum in hypothesi mala fide non egerit.

* CASUS XXIII

ABSOLUTIO COMPLICIS 10

Undenam facultas absolvendi repetenda?

1.° BRUNO, sacerdos, aliquo turpi peccato cum MARTHA patrato, per confessarium recurrit ad Episcopum, tacito nomine proprio, atque ab eo facultatem obtinet, qua complicem in confessione audire et absolvere queat. Postea autem de validitate huius absolutionis dubitat, quia audit huiusmodi facultatem ab Episcopo concedi non posse, sed ad S. Sedem recurrendum esse.

2.° ELIGIUS, alter sacerdos, in peccatum grave contra sextum Decalogi praeceptum infeliciter labitur, et infelicius complicem absolvere praesumit, adeoque scienter excommunicationem papalem incurrit. Quid faciet miser? Si celebret et Sacramenta varia ministret, sacrilegium reformidat. Si abstineat, grave periculum infamiae pertimescit.

Deficit tempus ad Summum Pontificem recurrendi. Undique angustiis premitur. Verum, re perpensa, recordatur Episcopos absolvere posse a casibus occultis Sanctae Sedi reservatis, si casus *speciali modo* reservati excipiantur. Ocius igitur per confessarium ad Ordinarium loci recurrit, et facultatem obtinet, qua ab illa excommunicatione absolvi possit.

Hinc:

Quaer. 1.° *An Episcopus sacerdoti concedere possit facultatem complicem suum absolvendi?*

2.° *An Episcopus absolvere possit a censura, quae incurritur per absolutionem complicis, si casus sit occultus, vi privilegiorum* Trident., *c. 6, Liceat, sess. 24, confirmatorum per can. 2237, § 2?*

3.° *An saltem id possit, urgente gravi necessitate?*

Solutio:

643. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* Ratio est, quia lex prohibens ne sacerdos complicem absolvat, est lex generalis Ecclesiae et gravissimi momenti. Porro Episcopi nequeunt dispensare in legibus Ecclesiae generalibus, auctoritate propria, nisi in casibus minoris momenti, et in praxi frequenter occurrentibus. Constat etiam in praxi Ecclesiae, quae Episcopis petentibus facultatem absolvendi complices ex indulto particulari, pro quibusdam casibus numero paucis concedere solet; quam utrum, quomodo et quando, possint inferioribus confessariis communicare, ex verbis indulti iudicandum est.

644. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.*, cum hoc peccatum in Codice, can. 2367, § 1, reservatum sit *specialissimo modo Rom. Pontifici.* V. **Comp.,** n. 676, II et III, 685, II.

645. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.*, nisi modo exposito quoad casus urgentiores supra, n. 593.

646. — *N. B.* 1.° S. Off. 17 iun. 1866 decrevit, non comprehendi in generali et amplissima facultate absolvendi ab omnibus casibus S. Sedi etiam *specialiter* reservatis, facultas absolvendi ab hac excommunicatione, nisi *expresse* in concessionis scheda memoretur. Casus est *specialissime* reservatus. V. **Comp.,** nn. 685 et 1233.

Ab hac tamen excommunicatione, sicut a quibuscumque aliis casibus Rom. Pontifici *quocumque modo* reservatis, poterit simplex confessarius absolvere in casibus urgentioribus cum onere recurrendi intra mensem ad Sedem Apostolicam, etc. V. **Comp.,** n. 677, q. 1.

647. — 2.° Quoties a Rom. Pontifice sive occasione iubilaei, sive per S. Paenitentiariam, aut per Nuntios Apostolicos conceditur facultas absolvendi *absolventem complicem,* haec facultas hac vel simili clausula limitatur: «Iis vero qui *tres* aut plures personas, sive unam *ter* aut pluries absolvere ausi fuerint (iniungas), ut ipsum confessarii officium, quo tantopere abusi sunt, quam primum poterunt, infra tem-

pus ab absolvente determinandum, non tamen ultra tres menses, si sint simplices confessarii; si autem parochi, non ultra sex menses, dimittant».

Haec verba *tres, ter* aut *pluries* intelligenda sunt non ab ultima confessione sacerdotis paenitentis, sed per totam anteactam vitam ipsius, ita ut qui antea iam fuerit absolutus ob impertitam *bis* huiusmodi absolutionem, vi harum facultatum non potest absolvi, vel nonnisi cum onere dimittendi officium confessarii, quamvis unicum afferat relapsum (S. Paenit., 5 iun. 1901). Cfr. *Ferreres,* in ephem. *Razón y Fe*, vol. 1, pag. 129.

CASUS XXIV

SOLLICITATIO AD TURPIA 1.°

VIBIANA, mulier vitae liberiori dedita, pluries turpiter egit cum ipso confessario, a quo tum in confessione, tum occasione confessionis, ad peccandum sollicitata fuerat. Hoc in variis confessionibus sacrilege reticuit. Nunc vero, audita vehementi contione, et dolore cordis tacta intrinsecus, confessionem generalem apud URBANUM parochum instituit, et omnes animae sordes ei pandit. His auditis, URBANUS urget VIBIANAM ad complicem Superioribus denuntiandum. Mulier autem huic iussioni obtemperare absolute abnuit. Quapropter eam de excommunicatione post mensem incurrenda, nisi oboediat, debite monitam absque absolutione dimittit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quinam sollicitantes denuntiandi sint?*
2.° *An absolvi possit paenitens sollicitatus, antequam sollicitantem denuntiet, si denuntiare promittat?*
3.° *Quomodo facienda sit denuntiatio?*
4.° *An paenitens sollicitatus excusetur ab obligatione denuntiandi sollicitantem qui iam sponte se sistit Ordinario?*
5.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

648.—*R. ad* 1^m *Quaes.* De iure communi Superioribus denuntiandi sunt sacerdotes ad peccandum contra sextum Decalogi praeceptum sollicitantes, aut **inhonestos sermones**, aut **tractatus** habentes, sive *in confessione,* sive *occasione,* vel *praetextu confessionis;* aut *ante* vel *post confessionem;* aut *in loco ubi confessiones excipiuntur* aut ad confessionem electo, simulantes ibidem confessiones audire. Sic ex can. 904, necnon ex bulla Gregorii XV, *Universi gregis*,

confirmata a Bened. XIV, in bulla *Sacramentum paenitentiae* (1).

R. ad 2m *Quaes. Neg. per se,* quia, semel absolutus, facile onus denuntiationis declinaret, et sic lex fere inutilis redderetur. Excipe si iusta adsit causa, v. gr. si temporis angustiae absolutionem differre non patiantur, et paenitens promittat se brevi obligationi satisfacturum esse. Sic ex bulla Benedic. XIV, necnon ex can. 2368, § 2: «*Fidelis* vero, qui *scienter* omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, **intra mensem** denuntiare contra praescriptum can. 904: *a)* incurrit in *excommunicationem* latae sententiae *nemini* reservatam, *b)* non absolvendus, nisi postquam obligationi satisfecerit, **aut se** satisfacturum serio promiserit». Mensis computatur a die cognitae obligationis. — *S. Alph.*, n. 693.

649. — *R. ad* 3m *Quaes.* Denuntiatio plerumque *facienda est voce,* non scripto; adeundus est *loci Ordinarius,* vel *inquisitor,* ubi tribunal Inquisitionis exsistit. Attamen, in quibusdam casibus particularibus, v. gr. quando persona sollicitata nullo modo induci potest ad denuntiationem tali forma peragendam, quia nempe timore cohibetur, vel rubore insuperabili afficitur, tunc Episcopus, de re monitus, delegare potest quemcumque sacerdotem, etiam confessarium, ad denuntiationem accipiendam. Haec facultas Episcopis et inquisitoribus, ex indulto S. Inquisitionis, de consensu S. Pontificis, facta est. Sacerdos autem delegatus iuramentum praestare debet de silentio servando, et de munere sibi commisso fideliter adimplendo. *Scavini,* De paenit., c. 4, a. 5; *Kenrick,* tract. 18, n. 245; *Analecta Iuris pontificii,* mense sept. 1855.

In omni autem casu denuntiatio facta *per litteras anonymas* est omnino insufficiens, et a S. Cong. Inquisitionis omnino reprobatur. Instr. S. Off. ann. 1867, § 6.

R. ad 4m *Quaes. Negative,* sed tenetur adhuc eum denuntiare. S. Off., 26 iul. 1628, apud *Giraldi,* vol. 2, pag. 641, n. 6. Ratio est, quia secus sollicitantes possent decipere sollicitatos et evadere denuntiationem; item posset quis plures sollicitare, et se sistere Ordinario quasi unum tantum sollicitasset et avertere a denuntiatione omnes sollicitatos.

---

(1) De iure particulari in nonnullis locis, praesertim in variis Galliarum dioecesibus vigente, datur obligatio denuntiandi sacerdotes ad turpia sollicitantes, etiam extra confessionem et sine occasione confessionis. Verum plures canonistae, praesertim recentiores, negant Episcopum huiusmodi statutum ferre posse. Sic *Stremler,* Traité des peines ecclésiastiques, première part., c. 5, § 8, et c. 7, § 1; *Craisson,* Manuale Iuris canonici, nn. 5826, 5828, 5844; *Analecta Iuris Pontificii,* tom. 4, pag. 1866 et seq.

Inter varias rationes in quibus innititur horum sententia, haec praecipua nec spernenda refertur, scilicet quia Episcopus est incompetens ad puniendum delictum occultum. Etenim, aiunt, Episcopus, quantumvis certioratus de exsistentia delicti sibi manifestati, nullo modo contra reum procedere potest, propter defectum omnis probationis canonicae et iuridicae, quia nemo potest damnari, nisi vel confessus iudicialiter, vel legitimis testibus et probationibus convictus. Quod si aliter statuatur contra confessarios in confessione, vel occasione confessionis ad turpia sollicitantes, hoc fit per exceptionem omnino extraordinariam, quam Summus Pontifex solus facere potest.

650. — *R. ad* 5m *Quaes.* Recte egit URBANUS parochus, VIBIANAM absolutione vacuam dimittens, eam excommunicatione incurrenda admonendo, nisi *intra mensem obtemperaret,* ex eo quod sacerdotem, a quo in confessione fuerat sollicitata, denuntiare noluerit. Nam constat 1.° de obligatione denuntiandi sollicitantem ante absolutionem, si fieri possit, ex verbis Bened. XIV, in bulla *Sacramentum paenitentiae,* necnon ex can. 2368 nuper citato. 2.° Constat vero de excommunicatione ex ipso canone 2368, § 2. — Excommunicatio autem illa, contracta ob denuntiationem neglectam, non est reservata post factam denuntiationem.

651. — NOTA 1.° In omni casu nulla mentio facienda est in denuntiatione consensus forte a paenitente praestiti, quia nemo tenetur seipsum denuntiare. — «Cavendum quoque, ait Instr. S. Off. ann. 1867, § 6, ne ex denuntiantibus quaeratur, num sollicitationi consenserint: et convenientissimum foret, si de huiusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis». — Insuper paenitens, qui consensum sollicitationi praestitit, non ideo excusatur ab onere confessarium sollicitantem denuntiandi, ut constat ex bulla *Sacramentum paenitentiae.*

NOTA 2.° Persona, quae non potest denuntiare voce, *tenetur per epistolam* aut *internuntium,* si absque propria infamia id praestare valeat, aut monere Superiorem ut delegatum mittat ad denuntiationem accipiendam. Ratio est, quia obligatio denuntiandi sollicitantem non est tam adeundi personaliter Superiorem, quam ei delinquentem deferendi, ut Bened. XIV in sua bulla declarat: *Qui enim tenetur ad finem, etiam ad media tenetur. Ita S. Alph.,* n. 699. Non tenetur autem confessarius onus illud suscipere, sed muneri suo satisfaciet monendo paenitentem, ut reum opportuno tempore rite denuntiet. Poterit tamen operam suam praestare, si censuerit expedire, notitia rei extra tribunal paenitentiae accepta. *S. Alph.,* ibid.

NOTA 3.° Ubi desunt inquisitores, denuntiatio facienda est Episcopo *loci, in quo versatur paenitens.* Ipsius enim est excipere iuratam denuntiationem, eamque ad Episcopum rei, si forte diversus sit, transmittere, quando id necessarium iudicaverit. *Kenrick,* De paenit., n. 245.

652. — NOTA 4.° In regionibus longinquis, ubi sine magno incommodo adiri non possunt inquisitores, vel Episcopi, aut eorum Vicarii, ut in regionibus haereticorum, schismaticorum, paganorum, etc., absolvi possunt mulieres sollicitatae, quin ad obligationem reum denuntiandi urgeantur; sed, cessante impedimento, v. gr. in Episcopi visitatione, denuntiare tenentur. S. Congr. S. Officii, 22 ian. 1727, et 21 febr. 1630, apud *Kenrick,* ibid. V. **Comp.,** n. 701.

652 *a.* — NOTA **5.°** «Accepta denuntiatione non illico proceditur, sed a Superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuntians sit fide digna..., et antequam *contra denuntiatum* proceda-

tur, perspectum exploratumque iudici esse debet, quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis, neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur». Instr. S. Off. 20 febr. 1866, § 10 *(Collect. S. C. de P. F.*, vol. 1, n. 1282, ed. 2.ª).

Nota **6.°** «Ea est huius supremae Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denuntiationem rescribatur, quod denuntiatus *observetur,* ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut cum primum per novas denuntiationes res explorata erit, in iudicium vocandus sit. Ut plurimum nonnisi *a tertia denuntiatione* procedi solet». Ibid., § XI.

652 *b.* — Nota **7.°** «Ordinarius **toties quoties** aliquam de infando sollicitationis crimine denuntiationem acceperit, **illico** ad diligentias peragendas procedet. Ad quem finem, vel per se vel per sacerdotem a se *specialiter* delegatum, advocabit (separatim s. c. et qua decet circumspectione) duos testes... qui bene noverint tum denuntiatum, tum omnes et singulos denuntiantes, eosque, sub sanctitate iuramenti de veritate dicenda et de secreto S. Officii servando, iudicialiter interrogabit, testimonium scripto referens, iuxta insequentem formulam: *utriusque vero testimonii atque una simul respective denuntiationis authenticum exemplum* **directe tutaque via** *ad hanc Supremam Congregationem* **quamprimum** *transmittet*». Instr. S. Off. 6 aug. 1897, § V. «Quod si inveniri nequeant duo tantum testes, qui noverint una simul denuntiatum et omnes et singulos denuntiantes, plures vocari debent. Tot nempe hoc in casu testes, ut supra, vocandi erunt, quot oportebit ut duplex quoad denuntiatum et unumquemque denuntiantem habeatur testimonium». Ibid., § VII.

Nota **8.°** Ideo Ordinario praecipitur ut unamquamque denuntiationem transmittat ad S. Officium, «quia denuntiatio quae forsan est prima in Curia episcopali, potest de eodem sacerdote iam iteratis vicibus proposita esse apud S. Officium, ad quod deveniunt etiam per Paenitentiariam Apostolicam. Inde regula generalis haec est, nempe de quacumque denuntiatione ab Ordinario excepta et de qua ipse inquirere incipit, debet ipse S. Congr. S. Officii monere». *Lega,* De iudiciis, vol. 4, n. 542.

Nota **9.°** Sacerdoti sollicitanti solet imponi a S. Officio (inter alia) suspensio perpetua ab excipiendis confessionibus. — Ab hac suspensione non dispensatur nisi ab eodem S. Officio, positis precibus sacerdotis et addita commendatione ipsius Ordinarii. Prima vice non solet concedi nisi ad *sex menses* et pro viris ac infirmis mulieribus. Cfr. *Collomiatti,* Addenda, pag. 746 (1).

(1) Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 3, pag. 499 seq.: Instr. (S. Off. 20 febr. 1866) circa observantiam Const... *Sacramentum paenitentiae;* et vol. 25, pag. 451 seq.: Instr. (S. Off. 20 iul. 1890) in qua habentur *Normae pro examinibus paenitentium, quae denuntiant sollicitantes;* et vol. 30, pag. 249: Instr. (S. Off. 6 aug. 1897) *quoad sedulam curam adhibendam in causis sollicitationis;* App. ad C. Pl. **Amer. lat.,** pag. 761; *Collomiatti,* vol. 1, p. 766 seq. et Addenda, pag. 740-746.

* CASUS XXV

SOLLICITATIO AD TURPIA 2.°

CORNELIA cum lacrimis et suspiriis in confessione fatetur SULPITIO parocho, se confessionis praetextu cum EURALDO, confessario quem perditissimo prosequebatur amore, turpe facinus commisisse. Prudenter eam interrogat SULPITIUS, et rescit CORNELIAM se graviter aegrotantem simulasse et confessarium, pravi illius affectus prorsus ignarum, confessionis praetextu advocasse, eumque, licet primo reluctantem, ad crimen patrandum tandem induxisse. His auditis, haeret anceps SULPITIUS, nesciens utrum denuntiationem huius confessarii urgere debeat, necne.

HINC:

QUAER. 1.° *An denuntiandus sit confessarius, qui consentit paenitenti sollicitanti, sed ipse non sollicitavit?*

2.° *An* CORNELIA *obliganda sit ad denuntiandum* EURALDUM?

SOLUTIO:

653. — *R. ad* 1^m *Quaes. Neg.*, si *mere passive* se habuit; secus, *affirmative.*

Ratio primi est, quia in casu, vel non adest sollicitatio, vel si adest, denuntiatio sollicitationis fieri nequit, quin paenitens se ipsum infamet, ad quod non tenetur. *D'Annibale,* 3, n. 367; *Palmieri,* l. c.; *Génicot,* 2, n. 395.

Ratio secundi est, quia tunc adest sollicitatio mutua. Unde in secundo inter decreta S. Off. 11 febr. 1661, ad quaestionem, *an confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitanti consentiat, sit denuntiandus,* responsum fuit, *esse denuntiandum, et opinionem negativam non esse probabilem.* A fortiori igitur denuntiandus confessarius est, ubi nulla incussi metus est qualiscumque excusatio. Cfr. etiam Instr. S. Off. an. 1867, § II: *Acta S. Sedis,* vol. 3, pag. 449.

R. ad 2^m *Quaes. Affirm.*, quia *non mere passive* se habuit, ut erui videtur ex casu.

CASUS XXVI

SOLLICITATIO AD TURPIA 3.°

RUFINA a SYLVANO, confessario, ad crimen sollicitata, cum eo lapsa est, et nunquam per quindecim annos peccatum illud in confessione pandere ausa est. Tandem, instituta generali confessione,

illud novo confessario aperuit. Hic urget obligationem complicem denuntiandi. Renuit paenitens, his innixa rationibus: 1.° quia peccatum istud a multo tempore fuit commissum; 2.° quia complex casu et mera fragilitate deliquit; seriam enim egit paenitentiam; 3.° quia magna gaudet virtutis fama apud omnes, et nuperrime ad conspicuam dignitatem evectus fuit; 4.° quia non tenetur seipsam prodere propriam faciendo denuntiationem. His de causis confessarius scribit ad Episcopum, ad obtinendam ab eo facultatem RUFINAM absolvendi quin denuntiationem praemiserit, quod illico concessit Episcopus.

HINC:

QUAER. 1.° *An excusationes* RUFINAE *valeant?*
2.° *An Episcopus facultatem absolvendi absque denuntiatione concedere possit, quin facultates speciales a Pontifice habeat?*

SOLUTIO:

654. — *R. ad* 1m *Quaes.* Excusationes RUFINAE nihil prorsus valent. Nam, 1.° non valet prima ratio, seu ex eo quod peccatum a multo tempore patratum fuerit, quia lex non distinguit, nec solam emendationem rei, sed eius punitionem intendit; secus enim, ad impediendam denuntiationis obligationem, sollicitatus onus illud ad aliud tempus remitteret. Insuper, quodnam tempus longum dicendum foret? 2.° Neque valet secunda ratio, quae ex mera fragilitate et paenitentia sollicitantis deducitur; quia plerumque de hoc constare nequit. Quid enim facilius est quam fragilitatem et paenitentiam simulare? 3.° Neque valet tertia ratio, secus enim semper praetextus excogitari possent. Ceterum Superioris erit, pro sua prudentia, determinare quid opportunius pro bono Ecclesiae agendum sit. 4.° Neque magis urget quarta ratio, quia Benedictus XIV, in bulla *Sacramentum paenitentiae* praecipit fieri denuntiationem, etiamsi paenitens consenserit. Praeterea denuntiatio fieri potest absque periculo famae. Etenim mulier non tenetur dicere se consensum praestitisse, sed satis est ut dicat se fuisse sollicitatam; immo etiam interrogata, se consensum dedisse negare potest. Constat ex decisione S. Congr. Inquis. 27 sept. 1724, ubi dicitur: *Si mulier consentit confessario sollicitanti, non tenetur suum consensum manifestare, nec potest super hoc ab Episcopo interrogari. S. Alph.*, n. 700. Cfr. dicta, n. 651, 1.°

655. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg. per se,* si agatur de vera sollicitatione in confessione, vel occasione confessionis, etc. Ratio est, quia agitur de lege communi Ecclesiae magni momenti, cuius dispensatio ad Episcopos non devolvitur, seclusa speciali delegatione, quae parce admodum concedi solet. Etenim ex decreto S. Congr. Inquis., si paenitens non possit induci ad denuntiandum, recurrendum est ad S. Sedem pro opportuno remedio, et interea paenitens non absolvatur. *S. Alph.*, n. 699, in fine. Aliquando S. Sedes, in casu magnae

verecundiae, rescripsit dando facultatem confessario absolvendi pro ea vice paenitentem, citra onus denuntiandi. Sic refert *S. Alph.*, ibid., post *Mazzotta*. Constat etiam talem esse praxim Sanctae Sedis, quae ad summum paucos casus, v. gr. 20, pro futuris dispensationibus tribuit.

* CASUS XXVII

SOLLICITATIO AD TURPIA 4.°

MENANDER, confessarius, praevidens SYLVIAM nunquam obligationi complicem denuntiandi obtemperaturam esse, etiamsi sub poena denegandae absolutionis ipsi declaretur, iudicat eam potius in bona fide relinquendam esse, et, praetermissa admonitione, absolvendam. Postea, vero, dubitans an recte egerit, duos alios sacerdotes hac de re interrogat. Prior affirmat ipsum recte egisse, quia ex regula generali omittenda est monitio, quando fructus ex ea non speratur; posterior autem prorsus dissentit, quia lex Ecclesiae in casu nostro est adeo absoluta, ut exceptionem nullam admittat. MENANDER igitur dubii solutionem iterum postulat.

HINC:

QUAER. *An monenda sit de obligatione denuntiandi mulier, quae certo praevidetur non obtemperatura?*

SOLUTIO:

656. — *R. ad Quaes. Affirm.* Mulier de obligatione denuntiationis monenda est, licet confessarius praevideat eam certo non esse denuntiaturam; et si denuntiare nolit, debet eam non absolutam dimittere. Ratio est, quia ipsi confessario a Pontifice in praedicta bulla et in canone 904 obligatio monendi expresse praecipitur. Etenim, licet generatim loquendo in aliis obligationibus confessarius, praevidens monitionem non profuturam esse, eam omittere debeat, hoc tamen non currit quando de damno communi vitando agitur, ut in praesenti casu evenit. *S. Alph.*, n. 694.

Probabile tamen est posse omitti monitionem, quando ex parte paenitentis nullus speratur fructus et ex alia parte iam non imminet damnum publicum, v. gr. quia ille sacerdos ob surditatem iam nullas audire pergit confessiones. *Ball.-P.*, vol. 5, n. 748; *Génicot*, 2, n. 399.

* CASUS XXVIII

SOLLICITATIO AD TURPIA 5.°

1.° BRIXIUS, sacerdos, occasione confessionis, RUTILIAM ad quaedam leviter inhonesta sollicitavit. RUTILIA vero alium adit confessarium, cui rem manifestat. Hic, audita mulieris confessione, eam obligat ad sollicitantem denuntiandum, et obnitentem sine absolutione dimittit, donec id peregerit.

2.° SIGOLENA sub secreto naturali committit VALFRIDAE, se a PAULINO confessario suo, occasione confessionis, ad peccatum graviter inhonestum sollicitatam fuisse. VALFRIDA vero anxia, rem confessario proprio exponit. Hic autem eam obligat ad PAULINUM, non obstante secreto promisso, denuntiandum, sub poena denegandae absolutionis.

3.° RIPASIUS, sacerdos, rogatus a BERTHA ut die sequenti eius confessionem excipiat, eam statim ad peccandum sollicitat. BERTHA autem alium adit confessarium, quo obligatur ad RIPASIUM denuntiandum.

HINC:

QUAER. 1.° *An denuntiandus sit confessarius sollicitans ad actus tantum venialiter inhonestos?*

2.° *An denuntiare debeat paenitens non tantum sollicitatus, sed quivis alius qui sollicitationem novit?*

3.° *Quid, si sollicitationem sub secreto commisso acceperit?*

4.° *An denuntiandus* RIPASIUS *in tertio casu?*

SOLUTIO:

657. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.*, saltem *probabilius*. Ratio est, quia, ad denuntiandum sollicitantem, requiritur ut actus sollicitationis sit peccatum grave, ita ut putetur eum graviter in eo peccasse. Etenim Benedictus XIV hoc sollicitationis crimen appellat nefariam improbitatem, canon vero 904 illud vocat delictum quod peccatum certo grave denotat. Praeterea actus in se levis contra castitatem, non fit gravis ex eo quod in confessione vel occasione confessionis ponatur; secus enim quodlibet peccatum veniale in materia veracitatis, humilitatis, patientiae, etc., evaderet grave in sacramento, quod nemo asserit.

Nec obstat dicere quod culpa levis redditur gravis, ob reverentiam sacramento debitam; nam alias omne peccatum leve in confessione fieret grave ob irreverentiam sacramento irrogatam, quod falsum est. Insuper, tota iniuria tunc est quatenus sacramentum ministratur cum

actu pravo; ergo, si actus sit leviter pravus, levis etiam erit iniuria sacramento illata. *S. Alph.,* n. 683, *et alii multi* contra *plures.* **V. Comp., n. 701.**

658. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia parvi refert quod agatur de ipso sollicitato vel de alio qui rem novit; remanet enim idem adaequatus finis legis, qui est ut sollicitans puniatur. Ceterum casus ille raro occurrit, quia plerumque sollicitatio a solo paenitente sollicitato cognoscitur. *S. Alph.,* n. 695, in fine.

Attamen excommunicationem ob omissionem denuntiationis ille tantum incurrit qui sollicitatus fuerit. Patet ex can. 2368, § 2.

659. — *R. ad* 3m *Quaes.* Ille qui sollicitationem sub secreto commisso novit, nihilominus ad denuntiationem faciendam tenetur. Ratio est, quia nemo tenetur ad secretum commissum, etiam cum iuramento promissum, quando secretum illud in damnum commune vergit. *Excipe* tamen, si sollicitatio sit manifestata *ad petendum consilium;* nam propalatio secreti esset tunc contra commercium humanum, et etiam contra bonum publicum, quod in consiliis petendis intervenit. *S. Alphonsus,* n. 698.

660. — *R. ad* 4m *Quaes. Affirm.* ex decreto quarto S. Off. 11 febr. 1661, *si sollicitatio* fiat in confessionario, seu in loco confessionis. Secus si sollicitatio fiat extra locum confessionis, et absque praetextu confessionis.

* CASUS XXIX

DE ABSOLUTIONE REGULARIUM

1.° Titius, sacerdos regularis, cum quadam die in reservatum P. Provinciali incidisset, statim mutato animo et tactus dolore cordis intrinsecus, voluit e statu damnationis per exomologesim emergere. Cum vero domi nullus esset sacerdos sui Ordinis nec per totum illum diem alius speraretur adventurus, Titius ad saecularem confessarium se contulit, a quo vi pagellae S. Paenitentiariae etiam ab illo reservato fuit absolutus.

2.° Aliquando constitutus in itinere, cum alium socium non haberet nisi Superiorem, facultate ab eo accepta, confessionem instituit apud sacerdotem saecularem, a quo vi eiusdem pagellae absolutus fuit a reservatis tum in Ordine tum etiam papalibus, quamvis Superior facultatem concedens Titio dixisset: *sed quoad reservata ordinationes nostri instituti observa.*

3.° Alias eumdem Titium a reservato Superiori locali absolvit Caius confessarius domus, etiam vi pagellae S. Paenitentiariae.

HINC:

QUAER. 1.° *An et quomodo regulares absolvi possint sive domi, sive extra propriam domum a non reservatis?*

2.° *An et quatenus a reservatis absolvi possint?*

3.° *Quid ad singulos casus?*

SOLUTIO:

A) Iuxta disciplinam quae iam, saltem practice, dici potest *antiquata:*

660 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Regulares, sine speciali Superioris facultate, nequibant absolvi nisi a sacerdote proprii Ordinis a Superiore designato.

At quoties religioso per diem integrum impossibile erat recurrere ad Superiorem aut ad confessarium designatum, v. gr. quia Superior domus aliique confessarii tamdiu aberant, et religioso grave erat toto eo tempore carere absolutione sacramentali, tunc hic valide absolvebatur a quocumque confessario *approbato* sive ab Ordinario, sive a suo Superiore regulari. S. Paenit., 14 mai. 1902. Cfr. *Ferreres,* in ephem. *Razón y Fe,* vol. 7, pag. 117 seq., 252 seq.

«Si vero agebatur de Congregationibus votorum simplicium in casu quo praeter Superiorem aut Superiores nullus aderat in domo confessarius, omnis sacerdos iurisdictionem ab Episcopo habens, idoneus reputandus erat ad sacramentales confessiones excipiendas». S. Off., apud *Vermeersch,* De relig., supplementa, vol. 1, pag. 99, 100.

660 *b.* — 2.° Regulares **in itinere** confiteri debebant socio idoneo, si quem habebant; secus poterant confiteri cuicumque sacerdoti etiam non approbato.

N. B. 1.° *Socius idoneus* est sacerdos qui vel fecit iam periculum ad audiendas confessiones et obtinuit approbationem, vel est approbatus ab Ordinario, annuente Superiore. Secus, quamvis sacerdos sit, *probabiliter saltem,* non est idoneus. *Vermeersch,* l. c., n. 469. Superior, cui interdicatur audire subditorum confessiones, nisi ipsi sponte se submittunt, non est socius idoneus.

2.° *Capuccini* non tenebantur confiteri *socio* eiusdem Ordinis, nisi saltem duos haberent *idoneos* (S. C. Ep. et Reg., 5 april. 1897, apud *Il Monitore,* vol. 10, p. 1, pag. 50).

660 *c.* — *R. ad* 2m *Quaes.* A reservatis in Ordine absolvi non poterant regulares nisi de speciali licentia illius Superioris cui peccata sint reservata. V. **Comp.**, n. 684.

Quoties confessarius, quicumque ille sit, sive ordinarius sive extraordinarius, sive saecularis sive regularis, sive eiusdem sive diversi Ordinis, poterat sive domi sive in itinere licite excipere confessionem alicuius regularis, eo quod hic habebat a iure vel ab homine licentiam confitendi apud illum (cfr. dicta supra, nn. 600 *a,* et *b,* poterat talis

confessarius suum paenitentem regularem absolvere ab omnibus reservatis in Ordine, si facultatem habebat S. Paenitentiariae cum clausula: «absolvendi religiosos cuiuscumque Ordinis, dummodo apud te legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem... etiam a *casibus* et *censuris* in sua *religione* reservatis»; quin Superior, qui confessionem permittebat addita conditione, v. gr. *dummodo pro reservatis serves Ordinis consuetudinem,* valeret impedire praefatae facultatis usum. Eruitur ex resp. S. Paenit., 14 maii 1902. Cfr. *Ferreres,* in ephem. *Razón y Fe,* vol. 7, pag. 117 seq., 252 seq. V. **Comp.,** nn. 1151-1152.

660 *d.* — Religiosus qui in *itinere,* vel propter absentiam Superioris (cfr. dicta n. 600 *a),* accusabat confessario, non habenti facultatem praedictam S. Paenitentiariae, peccata reservata in proprio Ordine, absolvebatur ab iis (directe vel indirecte iuxta diversos Ordines), sed cum onere se sistendi Superiori. Huic oneri satisfaciebat iterum confitendo reservata habenti facultatem absolvendi ab illis, vel etiam confessario ordinario, qui facultatem peteret a Superiore. V. **Comp.,** n. 684.

Capuccini in casu absolvebantur sine onere comparendi. S. C. Ep. et Reg., 5 april. 1897.

B) Iuxta *novissimam* disciplinam inductam per decretum S. C. de Relig., die 5 aug. 1913, et a Codice confirmatam:

660 *e.* — Ordinarius loci est, qui concedit omnibus religiosis, etiam *regularibus exemptis,* iurisdictionem delegatam pro excipiendis confessionibus sive saecularium sive religiosorum (etiam exemptorum), eamque etiam *pro exemptis* concedit a iure.

Pro excipiendis confessionibus *religiosorum exemptorum* in religione *clericali* iurisdictionem delegatam concedere potest *etiam* proprius eorum Superior, qui potestatem habet eam concedendi sive sacerdotibus propriae religionis, sive sacerdotibus e clero saeculari, sive alterius religionis.

Constitutiones, quae confessionem statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, vim suam retinent (can. 519). Perstat itaque *obligatio ex regula* eis peccata confitendi.

Si tamen religiosus, etiam exemptus, *ad suae conscientiae quietem,* confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum: *a)* confessio, revocato quolibet contrario privilegio, *valida* et *licita* est; *b)* et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis (ibid.). Aliqua causa requiritur, quae raro aberit, ut ad hos confessarios quis recurrat. Sufficit ut paenitens quietem suae conscientiae quaerat.

Iuxta declarationem S. C. de Religiosis factam die 21 martii 1914, approbatam a Pio X die 23 eiusdem mensis et promulgatam die 3 maii eiusdem anni, praedictum decretum comprehendit etiam: *a)* confessio-

nes quas religiosi ritus latini faciunt cum religiosis ritus orientalis et vicissim; *b)* novitios cuiuscumque Ordinis vel Congregationis *(Acta,* VI, 232). Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 39, pag. 333.

660 *f.* — Ergo omnes sive regulares sive religiosi votorum simplicium (non exceptis novitiis), tam domi quam extra domum, occurrente praedicta causa, absolvi possunt (etiam a quibuscumque reservatis in Ordine, etsi cum censura) a quocumque confessario sive eiusdem sive diversi Ordinis vel Instituti, sive regulari sive saeculari, sive eiusdem sive diversi ritus, modo approbatus sit ab Ordinario loci ad excipiendas fidelium confessiones, quin opus sit petere licentiam ab ipso Superiore.

660 *g.* — Unde patet aliam disciplinam practice antiquatam dici debere. Vix enim applicationem habere poterit nisi pro casibus in quibus religiosus confiteatur apud sacerdotem non approbatum ab Ordinario. Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 37, pag. 372-378, ubi hoc decretum exponitur. **Comp.,** nn. 657, 658.

660 *h.* — Ad religiosos a *reservatis Rom. Pontifici* absolvendos requiritur, ut prius facultas specialis, qua qui gaudet et approbatus est ab Ordinario, eodem pacto religiosos ac saeculares absolvere potest. Idem dicendum de absolutione *in casibus urgentioribus:* qui enim ab Ordinario approbatus est aeque saeculares ac religiosos absolvere valet.

Si qua religio insuetum obtinuit privilegium, ut ad absolvendos subditos suos, praeter facultatem Papae, requireretur licentia Superioris, censemus hoc item privilegium abrogari, nec enim aliud erat nisi reservatio intra reservationem. *Ferreres,* l. c., pag. 337, n. 27.

660 *i.* — *R. ad* 3^m *Quaes.* In triplici casu valide ac licite fuit absolutus Titius *etiam iuxta antiquam disciplinam,* quia in triplici casu legitimam habebat facultatem penes respectivum confessarium exomologesim faciendi, ut patet ex dictis. Ergo potuit absolvi etiam a reservatis in Ordine vi pagellae S. Paenitentiariae, non obstante limitatione apposita a Superiore in secundo casu: nequit enim inferior limitare quod absque limitatione concessit Papa per S. Paenitentiariam.

* CASUS XXX

DE CONFESSARIIS NAVIGANTIBUS

Titius, sacerdos regularis, Dertusae sacros ordines suscepit, ubi a proprio loci Ordinario perpetuam approbationem ad excipiendas fidelium confessiones accepit. Postea Caesaraugustae per annum commoratus est ibique litteras docuit; sed licentias non accepit a caesaraugustano Ordinario, verum tantum bis aut ter iussus a suo Superiore audivit saecularium confessiones. Nunc ex praecepto sui provincialis navim Barcinone conscendere debet, ut ad missionem columbianam

se conferat, ita ut non modo marinum iter sed etiam fluviale, per Magdalenam flumen, ad plures dies peragere debeat.

TITIO plurima occurrunt dubia: an ipse, scilicet, debitam habeat approbationem ut confessiones in navi audire possit; an approbatio, si quam habet, sufficiat etiam pro itinere fluviali, pro reservatis papalibus atque episcopalibus, pro audiendis confessionibus etiam non navigantium, etc.

HINC:

QUAER. 1.° *A quo Ordinario petenda sit approbatio pro audiendis confessionibus in navi?*

2.° *Quorum paenitentium et ubi, vi harum facultatum, confessiones excipi possint ab huiusmodi confessariis?*

3.° *An et quatenus a reservatis absolvere possint praedicti confessarii?*

4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

660 *k.* — *R. ad* 1^m *Quaes.* Iuxta can. 883, § 1, quo confirmatur decretum S. Off. diei 23 aug. 1905: «Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquandiu consistat variis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis».

An vero pro regularibus stricte dictis sufficiat sola approbatio accepta a proprio Superiore regulari non videtur satis probabile *(Lehmkuhl,* Casus, n. 444), quamvis hoc sufficiat pro missionariis ad Sinas destinatis. Cfr. infra, n. 660 *n*, N. B.

Facultates valent pro quocumque itinere maritimo, etiamsi unius diei sit, etsi navis eodem die ad portum a quo solvit redire debeat. Cfr. *Vermeersch,* De religiosis, suppl. per. II, pag. 42.

660 *l.* — *R. ad* 2^m *Quaes.* Per § 2, can. 883, quo confirmatur decretum S. Off. diei 12 dec. 1906 concessum est praedictis sacerdotibus: «Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis». Igitur omnium paenitentium (etiam monialium) ad se confluentium, etsi paenitentes navigantes non sint (v. gr. dum navis in portu consistit) confessiones excipere possunt: in navi semper; extra navim etiam quoties in portu obiter descendant. Cfr. *Ferreres,* in ephem.

Razón y Fe, vol. 18, pag. 98 seq., n. 56 seq.; pag. 106, nn. 95-97; *Vermeersch,* l. c.

660 *m.* — *R. ad* 3m *Quaes.* Quoties confessarius navigans legitime excipit confessiones in navi, absolvere potest a casibus Ordinario loci forte reservatis. *Ferreres,* l. c., pag. 100 seq., nn. 60-73; *Vermeersch,* l. c. A reservatis papalibus absolvere poterit tantum in casibus urgentioribus iuxta vigentem disciplinam; sed frequenter licebit absolvere sine onere recurrendi ad S. Sedem, quia ipse iam amplius paenitentem probabiliter non videbit, hic scribere ad S. Sedem forte nesciat, eique grave erit recurrere ad alium confessarium. V. **Comp.,** n. 677; *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 18, pag. 102, nn. 74-79.

660 *n.* — *R. ad* 4m *Quaes.* Titius videtur habere sufficientem approbationem ad excipiendas confessiones in navi. In primis quia facultatem habet ab Ordinario caesaraugustano e cuius dioecesi discedit. Supponimus enim Superiorem Titii habere ab Ordinario facultatem conferendi iurisdictionem suis subditis. Iam vero eo ipso quod Superior iussit ut Titius exciperet confessiones saecularium, ei communicavit approbationem Ordinarii duraturam donec revocetur. Ergo Titius retinet praedictam approbationem seu iurisdictionem.

Immo si Titius sit iesuita, videtur ei etiam sufficere approbatio Episcopi dertusani, quia cum iesuitae non sint ita affixi alicui domui ut non possint et soleant facillime et frequenter ab una in aliam transferri, omnes Episcopi provinciae regularis Titii, in quorum territorio stabiliter commoratus ipse fuerit, videntur posse dici Ordinarii proprii ipsius, e cuius dioecesi discedit aut immediate aut saltem mediate.

An vero possit etiam Ordinarius dertusanus dici Ordinarius portus intermedii (v. gr. portus Vinarocensis) per quem in itinere transit navis (eo quod per aquas ipsius portus iurisdictionales navis transeat Valentiam versus) quamvis in illo non consistat, res saltem dubia videtur.

Facultatibus uti poterit toto itinere maritimo, et ut videtur etiam fluviali (si eadem navi et tractu moraliter uno cum praecedenti vehatur), quia hoc est illius continuatio et pars accessoria. Verum si post aliquot dies ab uno in alium se transferret portum ipsius fluminis diversa in navi, iam iter illud maritimum dici nequit, ideoque neque Titius poterit praedictis uti facultatibus, cum privilegium concessum missionariis sinensibus ipsi adhuc non faveat.

N. B. Die «20 decembris anni 1906, Sanctitas Sua benigne decernere ac declarare dignata est: omnes cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis atque etiam e clero saeculari missionarios seu presbyteros, **ad sinenses Missiones destinatos,** qui duo vel numero plures consociati ad littora sinensia appellunt, durante toto itinere terrestri aut fluviali usque dum pervenerint ad Missionem sibi respective adsignatam, dummodo ad sacramentales confessiones fuerint

legitime approbati, regulares scilicet a proprio saltem Superiore regulari, alii autem sacerdotes vel a proprio Ordinario ex cuius dioecesi discesserunt, vel ab Ordinario portus in quo navem conscenderunt, vel etiam ab Ordinario cuiuslibet portus intermedii per quem in itinere transierunt, posse inter se confiteri, eosque item posse confessiones audire clericorum non sacerdotum et fratrum laicorum cum ipsis iter agentium et etiam religiosarum sororum si forte contingat aliquas in eodem comitatu esse ad Missiones destinatas, immo quoque vehicula aut cymbas ducentium vel sarcinas per iter ferentium vel alia quacumque ratione eorum itineris sociorum: non obstante Constitutione fel. rec. Benedicti Pp. XIV incip. *Ex quo,* data die 5 iulii anni 1742, quae vetat missionariis exercitium sacri ministerii ante emissum iuramentum circa ritus sinenses, aliisque quibuscumque non obstantibus».

CASUS

DE OFFICIO CONFESSARII

SCILICET

De confessario ut doctore et iudice: de agendi ratione confessarii cum paenitentibus in occasione peccati versantibus; cum consuetudinariis et recidivis; cum pueris; cum moribundis; cum sponsis proxime nupturis; de defectibus a confessario reparandis.

CASUS I

CONFESSARIUS UT DOCTOR

CURTIUS, confessarius, magna paenitentium turba omnis generis circumdatus, quamplurimis satisfacere cupiens, parum curat de paenitentibus edocendis adhortandisque, et vix unam alteramve interrogationem interiicit, ratus se ad nihil aliud teneri, saltem *sub gravi*. Hinc plerosque absolvit inscius an sufficiente doctrina polleant, necne; plures evidenter ignaros, ut pueros et rudiores, a se facile dimittit, donec per se aut per alios, v. gr. per parentes, instruantur; quod praestat etiam erga eos qui examen neglexisse videntur. Si quando paenitentes videantur ex ignorantia peccasse, eos edocere omittit, ne formaliter saltem gravius peccent.

LONGINUS autem, timens semper ne muneri suo deficiat, ab interrogandis, instruendis, adhortandisque paenitentibus finem non facit, innixus hoc principio, scilicet: *Confessarium respondere coram Deo de solo paenitente nunc confitente, non autem de ceteris exspectantibus*. Hinc sedulo satagit paenitentes examinando perscrutari, ignorantiam ab omnibus excutere, quantumvis invincibilem, licet praevideat eos monitis non esse obtemperaturos; *quia*, inquit, *si non obtemperent, id sibi imputare debent*.

HINC:

QUAER. 1.° *Ad quid teneatur confessarius ut doctor?*
2.° *An ignaros examinare et instruere debeat?*
3.° *Quantum, vel quomodo eos instruere teneatur?*
4.° *An semper instruere debeat vel possit paeniten-*

tes ex ignorantia sive vincibili, sive invincibili peccantes?

QUAER. 5.° *Quid de utroque confessario sentiendum?*

SOLUTIO:

661.—*R. ad* 1m *Quaes.* Confessarius, ut doctor, tenetur paenitentes docere ea omnia quae pertinent ad sacramentum paenitentiae *hic et nunc recipiendum,* quia ut minister sacramenti eius validam et licitam administrationem procurare debet; tenetur etiam doctrinam *ad salutem necessariam* eis tradere. *S. Alph.,* n. 607, etc. V. **Comp.**, n. 716.

R. ad 2m *Quaes. Affirm.* Iuxta modo dicta, confessarius docere debet ignaros tum quae sunt necessaria ad sacramentum paenitentiae recipiendum, tum etiam obligationes christianas necessarias, id est, quibus ignoratis, hic et nunc christiane vivere non possunt et quas ignorare videntur. Non tamen eos instruere debet in particulari *de omnibus* qui illi scire *debent,* et aliunde *scire possunt. S. Alph.,* ibid. V. **Comp.**, l. c.

662. — *R. ad* 3m *Quaes.* Non requiritur ut confessarius taliter ignaros instruat, ut mysteria fidei *doctrinaliter* vel *memoriter* sciant, sed sufficit si ita illos instruat ut ii rudi quodam modo ea capiant, assensumque praebeant, cum proposito ea melius addiscendi in posterum. Talem autem doctrinam confessarius patiens ac prudens paenitenti ingerere poterit, illi proponendo praecipuos fidei articulos, ita ut ad singulos actum fidei exerceat, v. gr. sequenti modo: *Credis quod Deus sit unus in essentia et trinus in personis,* etc., *sicut Ecclesia credit?... — Credis Filium Dei pro nobis fuisse incarnatum, passum, mortuum, et esse Redemptorem nostrum?... — Credis in genere quidquid credit Sancta Romana Ecclesia?... — Nunc vero doles de peccatis tuis, de incuria tuae salutis..., quia offendisti Deum summe bonum,* etc.? *Proponis vitam emendare, occasiones fugere,* etc., *et insuper melius addiscere a tuo parocho, vel aliis, ea quae sunt saluti necessaria?* Quod si haec promittat, et actus fidei praefatos sincere elicuerit, absolvi poterit. Sic *Elbel,* n. 463, post *Gobat, Sporer,* etc.

663. — *R. ad* 4m *Quaes.* Paenitens semper instrui debet in casu particulari, si eius ignorantia videatur *vincibilis,* quia talis ignorantia eum non eximit a peccato, nec proinde periculum est ne admonitus formaliter peccare incipiat, siquidem iam *formaliter* peccasse censetur. Si vero ignorantia sit *invincibilis,* monendus est *quoties speratur fructus,* secus ubi non speratur, quia inutilis et noxia evadit talis admonitio. — Attamen instruendus est paenitens in omni casu, si ex ignorantia peragat ea quae principiis primariis iuris naturalis, aut eorum conclusionibus immediatis repugnant, quia haec diu ignorari non possunt. Item, si actus ex ignorantiâ positus in damnum commune redundat. Adde etiam, si paenitens ipse interrogat confessarium, quia

interrogans iam in ignorantia invincibili non versatur. — Idem tene quoties, monitione omissa, paenitens in occasione proxima formaliter peccandi remansurus esset, vel etiam quoties paenitens «se obligatum credit, ubi obligatio nulla est, aut etiam gravem obligationem ibi inesse putat, ubi levis tantummodo inest». *Ball.*, in n. 611 Comp. *P. Gury; S. Alph.*, a n. 610 ad 616, et l. 1, n. 170. — V. **Comp.**, n. 717.

664. — *R. ad* 5^m *Quaes.* 1.° Curtius muneri suo non satisfecit, nec quatenus *doctor,* nec quatenus *medicus,* ut ex dictis liquido constat; nimis enim praeceps in confessionibus excipiendis, non satis curat de integritate confessionis procurandae, neque de bono paenitentis promovendo. Confessarius generatim attendere debet tantum ad confessionem quam hic et nunc peragit, non vero ad sequentes. Attamen in magno concursu paenitentium piorum, qui frequenter confitentur et noxas leves tantum afferunt, celerius confessiones audire potest. 2.° Curtius magis adhuc arguendus est ex eo quod rudes et pueros ignaros tam praecipitanter et dure a se repellat; auctor enim est quare isti a confessione deterreantur, cum summo salutis periculo. Recole dicta supra, nn. 452, 495, 496.

665. — 3.° Longinus vero plurimum in alio excessu abundat. Etenim scrupulosius et minutius cum suis paenitentibus agit; sicque seipsum et alios contorquet, atque fideles a Sacramentis amovebit. Valet sane principium quod confessarius attendere debeat ad solum paenitentem, qui hic et nunc confessionem peragit; sed non ideo quaestionibus minutis et taediosa inquisitione, necnon importunis admonitionibus illum obruere et suffocare debet. — Insuper imprudentissime agit, paenitentes in omni casu e bona fide eruendo, quin attendat an fructus ex monitione sperandus sit, necne.

CASUS II

CONFESSARIUS UT IUDEX 1.°

De causa instruenda

Gervasius, confessarius, 1.° prae celeritate et aliqua incuria, interdum unam vel alteram quaestionem de specie vel numero peccatorum faciendam praetermittit. 2.° Quando occurrunt devotulae enixe rogantes ut accuratas interrogationes peractae ab ipsis confessioni addere velit, indignabundus eas cito dimittit, etiam non impertita absolutione, data tamen communicandi licentia, dicens se ab illis satis superque detentum fuisse. 3.° Si accedunt rudes incompletam confessionem facientes, omittit interrogationes ad procurandam integritatem necessarias, *quia,* ait, *confessarius non tenetur interrogare*

nisi iuxta captum paenitentis, et isti rudes minimum captum habent.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quomodo gravis sit obligatio paenitentes interrogandi?*
2.° *An et quatenus interrogandi sint vel absolvendi paenitentes pii?*
3.° *Quomodo confessario agendum sit cum rudibus?*
4.° *Quid de* GERVASIO *dicendum?*

SOLUTIO:

666. — *R. ad* 1m *Quaes. Per se* datur obligatio *gravis* in confessario interrogandi paenitentes, quia confessarius quatenus iudex, curare debet ut, quantum satis est, causa iudicii sacramentalis instruatur. Praeterea constituitur ut paenitentem non solum audiat, sed adiuvet ad suam obligationem debite implendam.

Hinc: 1.° Graviter peccat confessarius, si ex omissione voluntaria interrogationis alicuius debeat sequi grave damnum paenitentis vel alterius, et illud damnum saltem in confuso praeviderit. Graviter etiam peccat, si desit obligationi interrogandi quoad partem notabilem huius obligationis, in suo complexu spectatam, v. gr. si plerasque interrogationes de numero et speciebus, scienter et voluntarie, sine rationabili causa omittat. Tunc enim graviter in officio suo delinquit, et irreverentiam gravem confessioni et sacramento irrogat.

667. — 2.° Non autem graviter peccat, si ex levi negligentia, vel ex inadvertentia, plura etiam necessario petenda omittat. *Billuart,* diss. 6, a. 10, § 2, ubi sic loquitur: «Si ex levi negligentia, ex inadvertentia, ex memoriae labilitate, humana distractione, spiritus defatigatione, nimia attentione in confessionibus audiendis, etc., aliquid etiam necessarium inquirere omittat, nullum aut leve tantum erit peccatum; nemo enim tenetur cum tanta difficultate et morali impossibilitate alienos defectus supplere».

668. — 3.° Maior erit difficultas, si confessarius omittat sine gravi ratione, et voluntarie seu ex gravi incuria, unam tantum vel alteram necessariam interrogationem, v. gr. circa numerum aut speciem. Ex una parte videtur graviter peccare, quia supplet vices paenitentis; paenitens vero, si ad obligationem adverteret, nec ei satisfaceret, graviter peccaret. Attamen ex alia parte probabilius non videtur graviter peccare. Ratio est, quia in hoc apparet parvitas materiae respectu totius obligationis in suo complexu spectatae. Insuper, si admitteretur materiae gravitas, onus maximum imponeretur confessariis, qui semper in mediis anxietatibus fluctuarent, timentes ne forte ex gravi negligentia interrogationem faciendam omiserint, et inde in oppositum excessum cum magno paenitentium gravamine impellerentur.

Praeterea, quamvis confessarius suppleat locum paenitentis, non tamen videtur esse tanto rigore obligatus ad interrogandum, sicut ille ad se accusandum. Confessarius enim praecise supplere debet non tanquam cautionem pro paenitente assumens, sed potius tanquam auxiliator eiusdem. Adde etiam quod, si rigorosa comparatio inter utriusque obligationem admitteretur, millies onus confessarii debitum paenitentis excederet; cum paenitens raro confiteri teneatur, confessarius vero continuo, et saepe tota die munus suum adimplere debeat.

669. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Necesse non est ut paenitentes pii interrogentur, quando moraliter constat confessario eos culpis gravibus vacare, quia nulla confessionis integritas tunc procuranda est. Confessarius enim interrogare non tenetur, nisi advertat integritatem certo aut probabiliter in aliqua re deficere.

2.° Paenitentes pii, qui saepius confitentur et sola venialia afferunt, videntur absolvendi toties quoties confiteantur. Non enim appareret, cur beneficio gratiae sacramentalis privandi aliquando sint.

670. — *R. ad* 3m *Quaes.* Confessarius plerumque ipsemet examinare debet rudiores, quia sibi solis relicti non melius se examinabunt; et, si dimittantur ut accuratius se praeparent, nunquam magis dispositi redibunt, immo, absterriti difficultate examinandae conscientiae, facile a confessione avertentur. *S. Alph.*, n. 607.

671. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Gervasius, excusandus videtur a peccato gravi, *in primo casu,* cum paucas interrogationes faciendas de specie et numero peccatorum ex incuria omittat, quia officium suum, quoad substantiam, adimplere censetur. 2.° Ab omni peccato eximendus foret *in secundo casu,* si cum personis devotis humanius ageret. Numquid enim sunt cum indignatione tractandae illae animae Deo gratae, quia sincere pietatem sectantur, et potiorem partem gregis Christi Domini constituunt? Equidem tempus non inutiliter cum ipsis terendum, sed etiam cavendum est ne animo deiiciantur. — Neque beneficio absolutionis privandae sunt, licet necessaria reconciliatione cum Deo non indigeant. 3.° Damnandus autem et graviter quidem Gervasius pro ratione agendi cum rudibus, quos sibimetipsis relinquit, nec sine periculo, immo cum certitudine, eos integritati confessionis non satisfacere. Deberet igitur eos interrogare, saltem iuxta eorum conditionem et capacitatem, v. gr. sequendo ordinem praeceptorum Decalogi, etc., et quoad singula de peccatis magis obviis inquirenda. Hoc enim ipsorum conditionem et captum minime superat. *S. Alph.*, Hom. apost., n. 103.

CASUS III

CONFESSARIUS UT IUDEX 2.°

Dispositiones ad absolutionem

SEVERUS, confessarius, contendit absolutionem paenitentibus difficillime concedendam esse, quia plerumque signa certae dispositionis in illis deprehendi nequeunt, praeter quod non licet uti probabilitate in materia Sacramentorum. Hinc ipse sibi constans in praxi, raro, et quasi invitus, absolutionem impertitur. Nec existimat peccatores prima vice qua accedunt unquam absolvi posse, quoties ab uno aut a pluribus annis a Sacramentis abstinuerint, si solus mortis articulus excipiatur.

BLANDINUS, contra, facillime absolvit quoscumque paenitentes sponte accedentes, quia *ultronea confessio est signum certum dispositionis,* et etiam eos omnes qui tantum affirmant, se vitam in melius mutare velle; quia, iuxta receptum axioma: *Credendum est paenitenti tam pro se quam contra se dicenti.* Quam praxim servat, etiamsi ab aliis fide dignis noverit esse de quibusdam paenitentibus diffidendum.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam certitudo dispositionis paenitentis ad concedendam absolutionem requiratur, et quaenam signa doloris ut sufficientia habenda sint?*

2.° *An spontanea confessio sit testimonium sufficiens dispositionis paenitentis?*

3.° *An liceat, oporteat, vel expediat absolvere prima vice quoslibet paenitentes, qui sat dispositi videntur, licet a multo tempore non fuerint confessi?*

4.° *Quid de utroque confessario, seu quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO:

672. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Sufficit certitudo *moralis lata,* quae in veram probabilitatem resolvitur, seu iudicium prudens innixum in motivo gravi. 2.° Signa autem doloris *ordinaria per se* sufficiunt, scilicet, si paenitens candide et humiliter confiteatur; si asserat ex corde se dolere; si peccata sincere videatur declarare. *S. Alph.,* n. 461. V. **Comp.,** nn. 729, 730.

673. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm. communiter,* si paenitens nullo fine humano duci videatur, nisi specialis ratio contra illum militet; confessio enim spontanea magnam praesumptionem creat in favorem paenitentis. V. **Comp.,** n. 730.

674. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Semper absolvi possunt prima vice, cum sufficienter dispositi videntur; paenitens enim vere dispositus, seu ille qui talis apparet, semper absolvi potest. 2.° *Communiter* etiam absolvi *debent,* praesertim stante qualibet causa sat gravi, v. gr. si absolutio facile differri nequeat, vel si dilatio eis esset valde gravis, etc. Aliquando tamen ad breve tempus remitti possunt, si iudicet confessarius dilationem absolutionis eis *notabiliter* profuturam esse, ad meliorem nempe praeparationem praemittendam, aut uberiorem fructum ex sacramento percipiendum. *S. Alph.,* nn. 459, 462. — V. **Comp.,** nn. 727, 728, 737, 738.

675. — *R. ad* 4m *Quaes.* — *Ad primum casum.* SEVERUS in omnibus errat, ut ex dictis liquido constat. Falsum est plerumque signa dispositionis sufficientis deprehendi non posse. Immo praesumi debent in paenitente ad confitendum libere accedente, nisi signa positiva et maiora in contrarium habeantur. Falsum est quoque requiri certitudinem absolutam dispositionis paenitentis ad absolvendum, sed requiritur tantum ea certitudo moralis valde lata, quae naturae sacramenti paenitentiae ab hominibus administrandi congruit. Christus enim illud instituit, ut a ministris hominibus frequenter conferri posset. Quomodo autem frequenter conferri posset peccatoribus, si rigida certitudo de paenitentium dispositione requireretur? *S. Alph.,* n. 461 et seq.

676. — *Ad secundum casum.* BLANDINUS plerumque quidem laudandus est; sed in hoc errat, quod in regulis generalibus adeo inhaereat ut nullas exceptiones admittere videatur, licet quandoque reapse in praxi admittendae sint pro variis rerum circumstantiis. Ex iis enim aliquoties certitudo moralis contra paenitentem erui potest.

CASUS IV

CONFESSARIUS MEMORIAE BREVIS

GUIDO, sacerdos infelicis memoriae (quidquid sit de iudicio), ne paenitentes perturbet, remittere solet ad finem confessionis interrogationes faciendas, remedia praescribenda, oneraque restitutionis imponendae, occasionis derelinquendae, etc. Sed non raro, absoluta paenitentis narratione, de indagandis iniungendisve, immo et de ipsis peccatis penitus oblitus est. Quid tunc miser? Rudiores adigit ad confessionem compendiario repetendam, cultiores vero in pace relinquit, ne illos offendat; et, re dissimulata, confestim absolvit, nesciens quidem quandoque quid absolvat.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo et quando faciendae sint interrogationes?*

QUAER. 2.° *Quaenam notitia status paenitentis requiritur ut valide et licite absolvi possit?*
3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

677. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Quomodo faciendae sint interrogationes? Interrogationes debent esse moderatae, discretae, opportunae, etc. V. **Comp.,** n. 721. — 2.° Quando autem faciendae sint? Praecipuae interrogationes breviter faciendae sunt post singula peccata, ne e mente excidant; quaedam tamen faciendae sunt plerumque ante confessionem, v. gr. a quo tempore paenitens non sit confessus? an absolutus fuerit? etc., nisi paenitens sponte haec dixerit, etc. V. **Comp.,** n. 723; *S. Alph.,* Praxis conf., n. 20.

678. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° *Ad validitatem,* sufficit ut confessarius habeat praesentem aliquam materiam etiam minorem, seu satis est si cognoscat paenitentem in aliquo peccasse, sive de vita praesenti, sive de vita praeterita; quia, hoc posito, habetur quidquid ad rationem sacramenti paenitentiae requiritur.

2.° *Ad liceitatem,* sufficit ut confessarius recordetur, saltem *in confuso,* status paenitentis. — Ita *S. Alph.,* n. 502, ubi haec habet: «Commune est apud doctores non esse repetendam confessionem factam eidem confessario, quando illa fuit prolixa, aut absolutio fuit dilata, et confessarius recordatur, *saltem in confuso,* status paenitentis». Sic etiam *Lacroix,* n. 1216, cum aliis. Ratio est, quia confessarius, in actu confessionis, iam sufficiens iudicium de singulis peccatis tulit. Praeterea, si requireretur notitia integra omnium peccatorum ad absolvendum, onus intolerabile confessariis et paenitentibus imponeretur; Christus autem sapientissimus onus intolerabile in confessione imponere noluit. Recole dicta de satisfactione, n. 525 et seq. V. **Comp.,** nn. 529 et 615.

Immo, iuxta *Suárez* et *Lugo,* sacerdos, licet oblitus sit status paenitentis, et nesciat qualem paenitentiam imposuerit, dummodo recordetur paenitentem fuisse dispositum et paenitentiam acceptasse, potest postea sine alia notitia absolvere.

Sic enim *Suárez:* «Si iam imposuit paenitentiam, non indiget memoria peccatorum, immo nec paenitentiae impositae, etiamsi Navarrus id dicat; sed satis est ut recordetur hunc paenitentem fuisse rite confessum et bene dispositum, et quod postea nihil grave commiserit, in quo eius testimonio standum est. Si vero paenitentiam non imposuit, et neque in particulari, neque secundum aliquam confusam et moralem rationem recordatur status conscientiae ipsius paenitentis, postulare debet iteratam notitiam, ut imponat paenitentiam condignam». *Suárez,* d. 22, sect. 6, in fine.

Sic autem *Lugo:* «Si prior confessio facta fuit sacerdoti iudici, atque adeo ex se fuit sacramentalis, et sacerdos paenitentiam impo-

suit; postea, licet oblitus sit status paenitentes, et nesciat qualem paenitentiam imposuerit, sed recordatur paenitentem fuisse dispositum ad absolutionem, et paenitentiam acceptasse, poterit postea sacerdos sine alia notitia absolvere». *Lugo,* De paenit., disp. 16, sect. 15, n. 636.

679. — *R. ad* 3m *Quaes.* Male fecit GUIDO, remittendo ad finem confessionis omnes faciendas interrogationes, praescribendaque onera seu remedia, ob periculum oblivionis. Quivis alius ita agendo imprudens foret; quanto magis GUIDO, qui memoriae infelicis probe se novit esse?

* CASUS VI (1)

OCCASIO PECCATI 1.°

HOMOBONUS, confessarius, absque difficultate sequentes paenitentes absolvit, scilicet: 1.° peregrinum, qui concubinam domi adhuc habet; 2.° mercatorem, qui pergit semel in anno ad nundinas Bellicadri *(Bellcaire),* et toties ibi cum eadem muliere peccat; 3.° mulierem, quae, etsi ab uno anno cessaverit a consuetudine peccandi, videt tamen interdum amasium honeste, cum ipso litteris honestis communicat, eiusque effigiem servat.

HINC:

QUAER. 1.° *An absolvi possit ille, qui in occasione proxima versatur, antequam eam deserat?*

2.° *Quid agendum cum iis, qui in occasione proxima quidem, sed necessaria versantur?*

3.° *Quid de* HOMOBONO *in singulis casibus?*

SOLUTIO:

685. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° In quacumque occasione sit paenitens constitutus, absolvi quidem potest, si sincere doleat et proponat. Et haec revera est tota difficultas: prudenter iudicare de sinceritate contritionis et propositi. *Casus Romae ad S. Apollinar.,* pag. 197. Cfr. *Buccer.,* 2, n. 809.

2.° *Affirm. per se,* si agatur de occasione *non in esse,* quando paenitens, ut supponimus, est vere dispositus; periculum vero infringendi propositum non apparet grave.

Dixi *per se,* quia si circumstantiae *conatum aliquem requirant,* v. gr. in fugiendo aliquo socio, aut non adeunda in certis quibusdam circumstantiis temporis, personarum, etc., aliqua domo, tunc ad confes-

(1) Casus V cum suis nn. 680-684 omittitur utpote qui minus utilis videbatur.

sarii prudentiam pertinebit perpendere, an expediat, ut prius paenitens difficultatem vincat.

3.° *Neg., generatim loquendo,* si agatur de occasione praesente seu *in esse,* quae facile dimitti statim possit. Si tamen paenitens det signa extraordinaria doloris, adeo ut credi possit, abesse periculum inconstantiae in proposito, absolvi poterit, praesertim si accedat rationabilis causa, v. gr. notae in omittenda communione, sollemnitatis, indulgentiae, etc. — Idem ex mente *S. Alphonsi* dicendum est, si paenitens ad eumdem confessarium redire non possit, vel saltem nonnisi post diuturnum tempus. Tunc enim, ait S. Doctor, non solum absolvi potest, sed ad absolutionem recipiendam *ius habet.*

686. — *R. ad* 2m *Quaes.* Possunt et debent absolvi non modo prima vice sed etiam semper, modo firmiter proponant facere occasionem ex proxima remotam, adhibendo media a confessario praescripta. Si vero adhibitis mediis eodem modo semper postea labantur in peccatum, perpendendum est utrum IN PRAXI DIFFICILIUS SIT OCCASIONEM REMOVERE, QUAM VITARE PECCATUM, OCCASIONE PRAESENTE, AN VERO FACILIUS. Si difficilius sit occasionem auferre, decernatur, moraliter impossibile esse eam removere, ideoque paenitens absolvendus, si dispositus appareat, et iuvandus meliori modo quo possit. V. **Comp.**, nn. 735, 736.

687. — *R. ad* 3m *Quaes.* HOMOBONUS, confessarius, *in primo casu* potest et debet absolvere peregrinum firmiter promittentem se concubinam eiecturum esse statim ac in patriam redux erit, nisi non adeo longe distet, et alias sat facile reverti queat.

In secundo casu, absolvere potest communiter, si paenitens promittat ab occasione cavere. Si postea semper *eodem modo* peccet, forte expediat absolutionem differre si paenitens accedat ad confitendum iam iam instante tempore annui itineris instituendi, ut sic firmitatem propositi experimento probet; nisi etiam in hoc casu gratia sacramenti, magis quam dilatio absolutionis, profutura ad victoriam credatur.

In tertio casu, absolvere *per se* non potest, nisi prius a muliere firmum obtineat propositum non amplius cum amasio conveniendi, neque litteris, licet honestis, cum eo communicandi, atque eius effigiem dilacerandi, vel saltem non amplius servandi. Ratio est, quia haec omnia amorem humanum fovent, et facile antiqua pericula salutis renovant. — Attamen occurrere possunt rationes cum tali paenitente mitius agendi: igitur ad varias circumstantias attendendum est.

* CASUS VII

OCCASIO PECCATI 2.°

IULIANA, puella, cum CAIO patris sui famulo, familiae necessario, saepius peccavit. Confitetur cum signis indubiis contritionis, et semel, iterum, iterumque absolvitur. Relabitur tamen; at quantocius ad confessarii pedes provoluta, cum lacrimis peccatum confitetur. Dubius haeret confessarius, sed misericordia motus, etiam hac quarta vice et pluribus aliis IULIANAM absolvit.

HINC:

QUAER. *An* IULIANA *pluries absolvi potuerit, aspectis iis quae in casu declarantur?*

SOLUTIO:

688. — *R. ad Quaes.* Stante occasione *necessaria,* et signis indubiis contritionis, potuit IULIANA communiter absolvi, nisi forte aliquando dilatio absolutionis ad breve tempus ei magis profutura videretur.

At si media praescripta neglexerit, sic iudicat *S. Alph.,* nn. 454, 456: «Casu quo paenitens iam admonitus media praescripta neglexerit, et eodem modo fuerit relapsus, dico omnino dimittendum esse sine absolutione, nisi forte signa *extraordinaria* exhibeat. Et etiam huic, extraordinaria compunctione donato, *ordinarie loquendo,* absolutionem denegarem quando commode absolutio posset differri. Fortasse alicui hoc tradens nimis rigidus videbor; sed ego cum paenitentes huiusmodi occasionum laqueis irretitos offendissem, sic semper egi et semper agam; hac enim via incedens non me rigidum, sed maxime erga eos benignum esse puto; quandoquidem nullus isto aptior modus mihi videtur ut ipsi a peccatis et a damnatione aeterna eripiantur, et e contrario crederem quod, si benigne agendo absolutionem eis praestarem, causa essem ut misere in vitiis tabescerent. Quisque in sensu suo abundet».

689. — Quod si adhibitis remediis semper eodem modo peccet, attendenda ea sunt, quae diximus supra, n. 686.

690. — Nec damnat *S. Alph.* hanc praxim, quamvis ipse in aliam severiorem propendat. Sic enim varias refert sententias, n. 455: «An possit quis manere in occasione proxima, si aliter deberet pati notabile detrimentum temporale in vita, fama, aut fortunis?... *Communiter affirmant* doctores non teneri paenitentem occasionem dimittere, si aliter grave damnum temporale passurus sit, dummodo interim sit paratus uti mediis praescriptis... Ratio est, quia occasio peccandi non est in se peccatum, neque affert necessitatem peccandi; quapropter

bene potest cum ea consistere vera detestatio peccatorum et firmum propositum non relabendi, ac adhibendi debita remedia. Et quamvis praeceptum vitandi occasionem proximam *per se* obliget ad non permanendum in occasione, tamen illud intelligendum obligare cum quis voluntarie in occasione persistit, non vero *si maneat ex necessitate;* moraliter autem haec necessitas intervenit, quando sine magno detrimento seu incommodo nequit occasio dimitti; etenim tunc periculum formale et proximum, opportunis adhibitis mediis ad non relabendum, fit materiale et remotum: non enim qui est in periculo, *sed qui amat periculum, in illo peribit. Elbel,* 3, 27».

691. — «Hinc dicunt *Sporer, Busemb.,* cum *communi,* quod ii, qui ab officio, negotiatione aut domo in qua peccant, discedere nolunt, quia sine magna difficultate non possunt, absolvendi sunt, si sint parati remedia adhibere...

»Hae sententiae probabilissimae sunt; verum in praxi omnes conveniunt expedire ut iis, qui versantur in occasione proxima, etiam necessaria, differatur absolutio». Haec tamen intelligas oportet de dilatione ad breve tempus, si *aliquando* videatur paenitenti *notabiliter* profutura prae ipsa absolutione.

CASUS VIII

OCCASIO PECCATI 3.°

1.° LAMPRIDIUS semel vel iterum cum ancilla sua peccavit; confitetur post tres menses, affirmans se toto corde dolere et media idonea ad relapsum vitandum esse adhibiturum; sed ancillam sibi perutilem eiicere non posse. His omnibus perpensis, eum absolvit confessarius. Sed cum, uno vel altero anno abhinc elapso, fama peccati divulgata fuisset, LAMPRIDIUS noster absolutionem tempore paschali obtinere nequit nisi prius ancillam eiecerit, etsi minime cum illa a duobus vel tribus annis peccaverit.

2.° RADULPHUS, sacerdos, mordicus recusat dimittere ancillam, quacum plus aequo familiariter se gessit pluries, vel etiam saepius: 1.° quia iam serpens rei rumor sic confirmaretur; 2.° quia forte cum alia ancilla maius periculum subiturus esset; 3.° quia, cum nuperrime exercitiis spiritualibus vacaverit, id iubente confessario fieri dictitarent.

HINC:

QUAER. 1.° *An* LAMPRIDIUS *prima vice absolvi potuerit, et secunda vice recte sine absolutione dimissus fuerit?*

2.° *An valeant rationes a* RADULPHO *expositae?*

SOLUTIO:

692. — *R. ad* 1m *Quaes.* LAMPRIDIUS prima vice absolute potuit absolvi, quin statim ancillam dimitteret, aspectis casus circumstantiis, seu experimentum aliquod temporis permitti potuit; sed, revelato peccato, debuit absolutione privari, nisi ancillam reapse dimiserit, propter scandali rationem, quae maxime urget. Excipe, nisi talis sit utriusque conversio, et adeo communiter perspicua, ut iam nulla suspicio de pravo inter eos consortio apud vulgus subsistat.

693. — *R. ad* 2m *Quaes.* Non valet prima ratio RADULPHI, si rumor publicus sit valde gravis, quia subsistit scandalum quod tolli nequit donec ancillam retinuerit. Illam autem dimittendo, nedum famae detrimentum patiatur, eam proprie recuperat.

Neque valet secunda ratio, quia multo facilius erit praecavere a nimia familiaritate cum alia famula, quacum liberius nunquam egit. Insuper satagat, in quantum fieri potest, ut seligat ancillam annosam, minus decoram, indole gravem et piam, et multo minus periculum experietur; ad orationem quoque frequenter recurrat.

Tertia autem ratio valere potest ad tempus, seclusa suspicione gravi ex parte populi; sed RADULPHUS statuere debet famulam dimittere quamprimum potuerit, quin famae detrimentum subeat.

CASUS IX

OCCASIO PECCATI 4.°

1.° LUDIMILLA a decem annis ULDERICO caelibi, dubiae famae viro, et a Sacramentis recipiendis alieno, famulatur. Existimatio autem communis est, eos in concubinatu versari. Accedit LUDIMILLA ad missionarium in hoc loco exercitia spiritualia tradentem. Negat vero se cum hero pravum habere consortium, postulatque ut ad Sacramenta admittatur. Parochus, qui eam confitentem animadvertit, dicit eam non esse admittendam. Quid igitur aget missionarius? Ipse LUDIMILLAM absolvit, eique communionem permittit.

2.° OLYMPIA, puella, BALDUINO nubere intendens, quamvis animadvertat sui praesentiam et collocutionem ei occasionem praebere plurium peccatorum internorum, recusat tamen se eius oculis subtrahere, quia timet ne recedendo hanc nubendi occasionem amittat.

HINC:

QUAER. 1.° *An* LUDIMILLA *potuerit absolvi et ad communionem admitti, quin* ULDERICUM *deseruerit?*

2.° *An permitti possit iuvenibus diversi sexus ut soli se invisant matrimonii causa vel praetextu?*

QUAER. 3.° *An excusanda sit* OLYMPIA? *et quid, si ipsa idem periculum subiret?*

4.° *An eadem de causa* OLYMPIA *excusanda foret, si oscula quaedam pateretur?*

SOLUTIO:

694. — *R. ad* 1m *Quaes.* Solutio huius casus non caret difficultate, praesertim in speculatione, sepositis scilicet variis rerum adiunctis. Sane scandalum ante omnia praecavendum est. Verum sedulo indagandum est num alio modo tolli nequeat, v. gr. si ancilla herum induceret ut piis exercitiis assidue interveniret. Non semper enim ad rumorem publicum attendere debemus, quando infamia gratis creata est. Aliquando enim malum peius inde sequeretur, quam ex illius contemptu; quia si temporalia dimittenda essent propter eos qui scandala concitant, hoc bono communi noceret. Sic *S. Thomas,* 2, 2, q. 43, a. 8.

695. — *R. ad* 2m *Quaes. Negat* omnino *S. Alph.,* n. 452, ob proximum peccandi periculum, quod in talibus circumstantiis et conversationibus invenitur. Hinc ait: *Vix semel vel iterum permitterem sponso ad domum sponsae accedere, aut sponsae aut parentibus illum accipere.* Sed paulo severior videtur ista decisio, praesertim si contracturi matrimonium, solum coram parentibus, vel amicis, se invisant; quod tamen est enixe commendandum, quantum fieri potest; occasio enim illa *simpliciter necessaria* dicenda est, modo non plus aequo protrahatur, et cautiones a confessario praescriptae adhibeantur.

696. — *R. ad* 3m *Quaes.* OLYMPIA *per se* excusari potest, modo sui praesentiam et collocutionem etiam modestam non inutiliter multiplicet. Ratio est, quia iustam habet causam licito modo fovendi amicitiam BALDUINI, etiamsi ille, infirmitate aut malitia sua, tali occasione abutatur. Hoc praesertim dicendum est, si OLYMPIA aliam occasionem aeque propitiam nubendi non speret. Tenetur tamen ex caritate ad imminuendam occasionem ruinae spiritualis a BALDUINO acceptam, in quantum fieri potest, quin sponsi animum a se avertat, nempe eum quam rarius ad secum colloquendum admittendo, et cum eo modestius conversando, etc.

Neque inquietanda erit OLYMPIA, licet etiam ipsa pravas cogitationes in mente sua exoriri animadvertat, modo diligenter ab eis dissentiat; sed tunc maior urgeret adhuc ratio caute sponsum admittendi.

697. — *R. ad* 4m *Quaes.* OLYMPIA excusari nequit a cooperatione graviter illicita, si patiatur oscula *animo libidinoso* a sponso facta. Ratio est, quia, licet puella absque malo fine et intra terminos honestatis agat, haec tamen admittendo, facile periculo consentiendi in pravum desiderium et delectationem se exponit, et praesertim sine causa sufficiente peccatis certis sponsi cooperatur. Etenim rationabiliter timere non potest sponsum a se recessurum, ex eo quod praefatas familiaritates ipsi modeste negaverit. Roget igitur BALDUINUM ut velit sibi par-

cere et ab omni gestu periculoso abstinere, ne forte connubium careat caelesti benedictione et pravum sortiatur exitum. *Elbel,* De peccatis, n. 585.—V. tamen **Comp.,** vol. 1, n. 520, 7.°

CASUS X

OCCASIO PECCATI 5.°

1.° BERTHA, ancilla, cum CAIO hero identidem peccat. Urget confessarius separationem. Obtemperare recusat famula: 1.° quia herus emendationem adpromittit; **2.°** quia a pluribus annis herus stipendium annuum ipsi non persolvit, nec est persoluturus, si discedat. Absolvit confessarius, simul iniungens ut singulis hebdomadis ad confessionem redeat. Sed ecce, nonnisi post sex menses redit BERTHA cum relapsu pluries iterato, easdem afferens rationes, ut a relinquenda occasione excusetur, et adhuc a confessario absolvitur.

2.° PASCHASIUS, iuvenis, solet saepe in vicinam domum se conferre et ibi moras bene longas protrahere cum puellis et feminis facie decoris, genio et indole gratis, necnon lepido hilarique sermone venustis, conversando, licet frequentes tentationes contra castitatem, motusque graviter inordinatos, et interdum ipsam pollutionem experiatur. Confessario autem praecipienti ut ab istis consortiis frequentandis abstineat, abnuit obtemperare PASCHASIUS, quia tentationibus non assentit, saltem plerumque, et quia sua et altera familia foedere amicitiae sunt coniunctissimae. Quare nescit confessarius an eum absolvere possit.

HINC:

QUAER. 1.° *An valeant excusationes* BERTHAE *in primo casu?*
2.° *Quid, si, facto temporis experimento,* CAIUS *et* BERTHA *emendati fuerint?*
3.° *An vero famula, ab hero vivide sollicitata, teneatur eum derelinquere,* si facile possit, *etiamsi ipsa non consentiat?*
4.° *Quid confessarius facere debeat in secundo casu?*

SOLUTIO:

698. — *R. ad* 1^m *Quaes.* BERTHA videtur reperiri in occasione, moraliter saltem, necessaria, ideoque «confessarius bene fecit prima vice eam absolvendo. Nam ex una parte CAIUS emendationem promiserat, ex alia BERTHA etiam emendationem promittit, et serio promittere videtur, quia libenter acceptat frequenter ad confessionem accedere ex optima confessarii monitione et hortatione». *(Buccer., Casus Romae ad S. Apollinar.,* pag. 197).

Nec videtur omnino damnandus confessarius secunda vice. Seria enim apparere potest bona voluntas BERTHAE ex confessione sponte facta, vel ex aliis adiunctis. Omnino tamen deberet urgere confessarius frequentiam Sacramentorum, ut tanto periculo remedium afferre possit. Recole dicta supra, nn. 690, 691.

R. ad 2^m *Quaes.* 1.° Non facile de perfecta emendatione fide adhibenda est, praesertim post productam diu peccandi consuetudinem. 2.° Etiamsi de perfecta emendatione constaret, *ordinarie* neque permittendum foret ut in eodem contubernio permanerent. Ratio est, quia, ubi prava frequentatio praecessit, mira datur peccandi facilitas, et, praesente semper occasione, ingens relapsus periculum instat.

Verum cum in casu occasio moraliter necessaria dici possit, non videretur urgenda separatio sub interminatione denegatae absolutionis. «Postremo et aliud quoad praxim attendendum est quoad hunc casum, aliosque similes. CAIUS dimittet BERTHAM, BERTHA deseret CAIUM. Sed assumens CAIUS aliam ancillam nonne novum et peius pro ipso forte esse poterit periculum? Et BERTHA alium reperiens dominum, nonne et ipsa novam reperire forte poterit et peiorem occasionem? Unde nonne esset melius occurrere veteri malo, quam novo forte occasionem praebere? Sed haec certe est in huiusmodi casibus practica difficultas, et magna opus est consideratione omnium circumstantiarum, ut iudicium vere prudens efformetur». *Buccer., Casus Romae,* l. c., pag. 198.

699.—*R. ad* 3^m *Quaes. Affirm. per se.* Ratio est, quia tunc adest occasio proxima pro illa famula. Etenim ille qui *libere* commoratur ubi tam periculose ad malum allicitur, non potest rationabiliter superare tentationem nisi auxiliis gratiae extraordinariae, quae ab eo sine temeritate sperari nequeunt; hoc autem praecipue, si praefata mulier sit fragilis, parum devota, raro accedens ad Sacramenta, praesertim si iunior sit et forma speciosa. Ita *S. Alph., et alii communiter.*

Dixi *per se,* quia non est obliganda ad exeundum statim e domo famula iam aetate provecta, valde pietati dedita, a peccato abhorrens, et quae videtur paratissima ad media opportuna adhibenda ut tentationes repellat. *S. Alph.,* ibid. Idem etiam dicendum est pro casu in quo ancilla exire non posset, nisi ut in aequale periculum et forte in maius incideret. Vide dicta in quaest. praeced.

700. — *R. ad* 4^m *Quaes.* Confessarius PASCHASIUM absolvere nequit nisi ab istis consortiis, saltem *ex magna parte,* serio abstinere velit. Ratio est, quia PASCHASIUS se exponit saepe et sine causa sufficienti periculo deordinationis valde gravis contra legem naturalem. Licet enim communiter tentationibus non consentiat, nihilominus ponit causam proximam motuum graviter deordinatorum et etiam pollutionis, quod a peccato mortali excusari nequit. Praeterea, quamvis hucusque pravis tentationibus non consenserit, vel raro iis adhaeserit, periculo postea consentiendi exponitur; *qui enim amat periculum, in*

illo peribit. Eccli., 3, 17. Neque PASCHASIUS excusari potest ratione necessitudinis, seu amicitiae specialis qua eius familia cum familia vicina coniungitur; haec enim necessitudo non exigit ut tam frequenter mulieres adeat, neque ut tanto tempore cum iis commoretur. — Non est tamen prohibendus ne interdum eas visitet, praesertim in cognatorum societate. Itaque confessarius PASCHASIO proponat has Spiritus Sancti sententias: *In medio mulierum noli commorari.* Eccli., 42, 12. — *Cum aliena muliere ne sedeas.* Eccli., 11, 12.—Subiungat quoque illud Poëtae, lepidis hisce versiculis expressum:

Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?
Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

* CASUS XI

DE CONSUETUDINARIIS

1.° MAURITIUS, confessarius, benignitatis fama notissimus, semper quoscumque prava consuetudine irretitos absolvit, licet a longo tempore in coeno vitii tabescant, dummodo de peccatis dolere videantur, et emendationem promittant. Innititur praesertim in hac regula in *Catech. Rom.* tradita: *Si, audita confessione, iudicaverit* (sacerdos) *neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem* OMNINO DEFUISSE, ABSOLVERE POTEST (De sacram. paenit., n. 82.) Hinc facile absolvit prima vice sequentes paenitentes: 1.° NIGRITIUM, iuvenem a decem annis in mediis impudicitiis immersum, et occasione mortis concubinae ad meliorem frugem conversum; 2.° GAUDENTIUM, bibulum, senem a quadraginta annis non confessum, et occasione iubilaei ad tribunal paenitentiae accedentem; 3.° IUCUNDAM puellam die sequenti nupturam, et a sex mensibus in prava peccandi consuetudine cum sponso versantem.

2.° THYRSUS autem, diversis prorsus addictus principiis, nunquam consuetudinarios absolvit, quin eos ter aut quater in confessione audierit, et per tres aut quatuor aut etiam sex menses eorum emendationis experimentum fecerit; quia, ait, licet huiusmodi paenitentes dispositi appareant, non constat tamen eos non esse relapsuros; hoc autem solo temporis experimento probari potest.

HINC:

QUAER. 1.° *An consuetudinarius prima vice absolvi possit? vel utrum experimentum temporis requiratur?*
2.° *An expediat, ut statim absolvatur? et an absolutio differri possit, si de eius dispositione constet?*
3.° *Quid de agendi ratione utriusque confessarii?*

SOLUTIO:

701. — *R. ad* 1m *Quaes.* Consuetudinarius quilibet semper prima vice absolvi potest, etsi nulla emendatio praecesserit, modo eam serio proponat, et vera signa paenitentiae, licet *ordinaria* tantum, ostendat. Nec proinde temporis experimentum ad propositum eius probandum requiritur. *S. Alph.*, nn. 459, 462. — V. **Comp.**, nn. 737 et seq. —Immo, ut supra innuebamus, paenitens, quicumque ille sit, sive consuetudinarius, sive recidivus, absolvi semper *poterit* **modo sincere doleat et proponat**. Vel, ut ait *S. Alph.*, l. 6, n. 459, prope finem: «quoties paenitens affert vera signa doloris et propositi, toties bene absolvi poterit». Tota igitur difficultas erit in efformando prudenti iudicio de sinceritate doloris et propositi. *Casus Romae ad S. Apollinar.*, pag. 200.

702. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° *Per se* differri *potest* absolutio cuilibet paenitenti bene disposito, *si talis dilatio ipsi paenitenti notabiliter sit profutura* prae absolutione. Sed hoc rarissime contingere credimus cum consuetudinario *prima vice* consuetudinem accusante. 2.° Generatim non est differenda absolutio paenitenti disposito, nisi ipse libenter id acceptet; etenim, si paenitens dilationem aegre ferat, difficile dilatio ei profutura erit. V. **Comp.**, n. 739.

703. - *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° MAURITIUS nullo modo videtur inquietandus *per se,* si iudicium probabile efformet de dispositione paenitentis. Attendat tamen num, praeter peccandi consuetudinem, in occasione extrinseca versetur.

2.° THYRSUS *errat graviter* existimando consuetudinarios semper et solo temporis experimento probandos esse, et eius directio omnino perniciosa et intolerabilis iudicanda est. *S. Alph.*, n. 459. V. **Comp.**, nn. 737, 738, 743.

CASUS XII

DE RECIDIVIS 1.°

1.° BONFILIUS, sacerdos, facillime absolvit non semel sed pluries paenitentes qui, accepta absolutione, in eadem consuetudinis peccata relabuntur, quoties aliquam emendationem, aut signa, licet *mere ordinaria,* doloris in eis deprehendit. Immo absolvit per annum octavo quoque die MARCUM iuvenem, plures in hebdomada in eadem circiter incontinentiae peccata labentem, sed *extraordinaria* doloris signa afferentem, v. gr. statim post patratum peccatum ad confitendum properantem, et coram confessario gemitus et suspiria ex corde edentem; et postea de perfecta eius emendatione gavisus est.

2.° SEVERINUS, confessarius, oppositam sequens praxim, absolutionem denegat omnibus recidivis, donec perfecte emendentur; immo

ad repetendas confessiones praeteritas eos adigit, utpote firmo proposito destitutas, ac proinde sacrilegas; *quia,* ait, *ille qui firmiter non amplius peccare proposuit, non tam cito relabitur, sicut domus solide aedificata non tam cito corruit.* Nec facile movetur signis specialibus doloris, quia signum verius paenitentiae est a peccatis abstinere.

HINC:

QUAER. 1.° *An recidivus absolvi possit cum signis paenitentiae ordinariis? vel saltem cum signis extraordinariis?*

2.° *An absolvi possit recidivus qui redit cum eodem numero peccatorum, si extraordinaria doloris signa prae se ferat?*

3.° *Quid de utroque confessario dicendum?*

SOLUTIO:

704. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Recidivus semper absolvi potest cum signis paenitentiae *extraordinariis,* siquidem huiusmodi signa argumentum indubium de paenitentis dispositionibus praebent, nec alia probatio ullatenus requiritur. Ita *communissime* theologi. Immo «semper ac confessario *positive* non innotescit, paenitenti *omnino* defuisse dolorem, ipsum absolvere potest». *S. Alph.,* l. 6, n. 461. — V. **Comp.,** nn. 633-738, 741. Cfr. dicta supra, n. 701.

2.° *Recidivus* rediens cum eodem pravo habitu, *nullo adhibito conatu* nulloque impleto medio ex iis, quae a confessario praescripta sunt, non potest absolvi, nisi signa *extraordinaria* (i. e. vera) doloris ostendat. Ceterum in omni casu ad bonum spirituale paenitentis quam maxime attendendum est, ut ait *S. Alph.,* n. 459. — V. **Comp.,** n. 741.

705. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.,* quia signa *extraordinaria* doloris argumentum certum de paenitentis dispositionibus praebent. Nec refert quod totidem peccata aut etiam plura commiserit, quia non de numero peccatorum, sed de dispositionibus paenitentis est inquirendum; dispositiones autem paenitentis ex signis *extraordinariis* certae evadunt.

706. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Non est arguendus *per se* BONFILIUS, ex eo quod pluries recidivos cum signis *mere ordinariis* absolverit. Etenim, ex *S. Alph.,* n. 454, licet absolvere pluries paenitentem qui versatur in occasione extrinseca peccati, non tamen praesente, etiam seclusis signis *extraordinariis* paenitentiae; ergo *a fortiori,* si agatur de recidivo in consuetudinem *intrinsecam,* seu *solitariam.* Recte autem egit BONFILIUS *toties quoties* praefatum iuvenem absolvendo, quia signa *extraordinaria* doloris, quae afferebat, semper in eius favorem militabant. Sic fertur S. Philippum Nerium, Romae apostolum, absolvisse, singulis hebdomadis per plures annos, iuvenem aliquem in eodem incontinentiae peccato pluries in hebdomada relaben-

tem, at semper postea sincere dolentem; et tandem de perfecta eius emendatione gavisus est.

707. — 2.° SEVERINUS, parochus, omnino est damnandus, quippe qui paenitentes excessiva severitate damnat. Numquid huiusmodi confessarius est Christi dignus minister? Eiusne vices gerit? Ipsiusne visceribus induitur? Numquid paenitentes in eo cognoscere valent patrem amantem, medicum prudentem, pium doctorem? Nequaquam; sed tantum severum iudicem et conscientiarum tyrannum! Quantum claudicans sit et absurda comparatio inter propositi et domus constructae firmitatem, nemo non videt. Numquid ignoras, o SEVERINE, ex propria etiam experientia, quanta sit voluntatis humanae mobilitas et fragilitas?

Audi *Chrysostomum* ad Theodorum, l. 2, n. 2: «Lubrica est natura humana; cito decipitur, sed cito a fraude se expedit; et sicut confestim cadit, ita confestim erigitur». *Gousset,* n. 544.

708. — *Sed obiicis:* Signum verius paenitentiae est a peccatis abstinere, nam ait *S. Greg.* in Evang., l. 2, hom. 34: «Paenitentiam agere est perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare». Et *S. Isidorus,* l. 2, de summo Bono: «Irrisor est, non paenitens, qui adhuc agit quod paenitet».

Resp. cum *S. Thoma,* Summ., p. 3, q. 84, a. 10: «Paenitere est anteacta peccata deflere et flenda non committere, scilicet, *simul dum flet, actu vel proposito.* Ille enim est irrisor, non paenitens, qui *simul dum paenitet, agit quod paenitet, vel proponit iterum facturum quod gessit...* Quod autem aliquis postea peccat vel actu, vel proposito, non excludit quin prima paenitentia vera fuerit. Nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. Sicut enim cucurrit, qui postea sedet, *ita vere paenituit, qui postea peccat*». *Gousset,* ibid. V. **Comp.,** n. 738.

CASUS XIII

DE RECIDIVIS 2.°

CAPRASIUS a longo tempore pessimam habet consuetudinem se polluendi. Saepius a confessario sine absolutione dimittitur, quia minime fuit emendatus. Tandem ad confitendum accedit non magis emendatus, immo cum maiori relapsuum numero, sed extraordinarie commotus ex repentina morte cuiusdam amici, sine confessione defuncti.

HINC:

QUAER. 1.° *An* CAPRASIUS *absolvi potuerit?*

2.° *An paenitenti non absoluto, ad longum tempus absolutio differenda sit?*

QUAER. 3.° *An facilius sit absolvendus recidivus in habitum solitarium aut intrinsecum, quam recidivus in occasionem extrinsecam?*

SOLUTIO:

709. — *R. ad* 1m *Quaes.* CAPRASIUS statim absolvi potuit, quippe qui signa doloris *extraordinaria* praebuit. Nec refert quod plura adhuc peccata commiserit, quia, si emendatio non apparet ex consuetudinis imminutione, de ea ex insolita contritione constat.

R. ad 2m *Quaes. Neg. omnino,* quia tanta dilatio ad nihil aliud prodest quam ad paenitentem a Sacramentis avertendum. Cum dilatio aliqua absolutionis expedire videtur, ad *breve tempus* fieri debet, v. gr. ad tres, quinque, octo, aut ad summum quindecim dies. V. **Comp.,** n. 739.

710. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.* cum *S. Alph.,* n. 463, ubi sic loquitur: «Dico quod si paenitens relapsus sit ob causam seu *fragilitatem intrinsecam,* ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosae, odii, blasphemiae, et similium, *raro puto differendam esse absolutionem* recidivo sufficienter disposito per signum *extraordinarium...*»

«Dixi 1.° si paenitens sit relapsus *ex causa intrinseca;* nam, si reinciderit ex causa extrinseca, dico absolutionem omnino differendam esse usque dum tollatur occasio, si sit voluntaria; si vero necessaria, donec periculum recidendi ex proximo fiat remotum.

»Dixi 2.° *raro;* nam *regulariter* censeo non discedendum a sententia communi..., nempe non esse differendam absolutionem paenitenti qui relapsus est ex *intrinseca* fragilitate, quia in tali paenitente magis sperandum, profuturam fore gratiam sacramenti, quam dilationem absolutionis.»

711. — «*Sed dices:* Cur differenda est absolutio paenitenti qui est in occasione extrinseca, et non illi qui relapsus est ex prava consuetudine, cum eodem modo impellat ad peccandum occasio extrinseca, ac prava consuetudo? — *Respondetur:* Alio quidem longe diverso modo ad peccatum impellit occasio extrinseca, quam pravus habitus; occasio per obiecti praesentiam, quae vividas excitat cogitationes, vehementer movet sensus ad peccandum, affectumque ad peccatum reddit intensiorem. Sic ideo paenitens maximam vim sibi inferre debet, non solum ad superandam tentationem, sed etiam ad conandum ut periculum per fugam familiaritatis cum persona complicis ex proximo fiat remotum. Prava autem consuetudo cum non habeat obiectum extrinsecum praesens, non ita utique, sicut occasio, ad peccandum impellit; unde fit ut paenitens minorem vim sibi inferre debeat ad abstinendum a peccato. Praeterea, cum pravus habitus sit quid intrinsecum et *inseparabile* a persona, extirpatio habitus minus quam occasionis remotio pendet *a propria voluntate;* et ideo magis sperandum quod Deus bonam voluntatem per maiora auxilia adiuvabit ad perseverandum».

* CASUS XIV

CONFESSARIUS CUM PUERIS

Controversia acerrima agitata est in quodam coetu sacerdotum, de rebus theologicis disputantium, circa pueros nondum ad primam communionem admissos. Alii volebant ut nunquam pueri huiusmodi absolverentur, quia instructionis et contritionis sufficientis non videntur capaces, adeoque exponitur periculo nullitatis sacramentum sine profectu puerorum. Alii contendebant absolvendos esse eos, qui peccatorum gravium rei viderentur. Alii vero asserebant omnes esse saltem aliquando absolvendos, nisi evidenter absolutionis incapaces apparerent; sed serio ac diligenter esse adlaborandum confessario, ut capaces fiant.

Similes quaestiones agitabantur de aetate in qua pueri ad confessionem essent admittendi, vel in gravi morbo ultimis Sacramentis reficiendi forent, et hinc et inde disputabatur.

HINC:

QUAER. 1.° *An aliquando absolvi possint vel debeant pueri, etsi dubitetur an peccati gravis sint rei?*

2.° *Quandonam ad confessionem admittendi sint?*

3.° *Quali aetate, urgente mortis periculo, sacro Viatico et extrema unctione donari possint, vel debeant?*

4.° *Quomodo generatim cum pueris procedendum?*

SOLUTIO:

712. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Absolvi possunt, et debent, quoties prudenter iudicat confessarius eos reatum peccati mortalis aut saltem venialis contraxisse, vel de hoc fundatam habet suspicionem. Esset enim summa imprudentia et immanis crudelitas tales pueros vinculis Satanae irretitos, et periculo aeternae damnationis expositos relinquere, aut eos privare gratia sacramentali. Nec dicas illos pueros vix esse doloris ad sacramentum requisiti capaces; nam *qui possunt a Deo separari per peccatum, bene etiam reconciliari possunt per paenitentiam.* Si tibi maior difficultas occurrat in iis ad dolorem praeparandis, non est sufficiens excusatio a maiori cura erga ipsos a te adhibenda. *S. Alph.*, nn. 432 et 666; in Praxi conf., n. 90; et Hom. apost., tr. ult., n. 37.

Hinc Pius X in decreto *Quam singulari,* a. VII, ait: «Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, cum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare

Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt ut penitus de medio tollatur».

713. — *R. ad* 2m *Quaes.* Pueri ad confessionem admittendi sunt quando censentur doli capaces, seu gaudere usu rationis, quia tunc formaliter peccare possunt, et proinde subiecti fiunt legi divinae et ecclesiasticae confessionis; quandonam autem censeantur doli capaces, non potest unica regula definiri; hoc enim non pendet a sola aetate, sed a qualitate ingenii, educationis..., etc., v. gr. si eos pudeat de mendaciis, de aliqua impudicitia commissa, licet septennes nondum sint. «Aetas discretionis tum ad confessionem tum ad sacram communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est *circa septimum annum,* sive supra, *sive etiam infra.* Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto confessionis et communionis». *Pius* X, decr. cit., a. I.

Unde pueri tenentur ad communionem paschalem et confessionem annuam ex quo usum rationis habeant, etsi nondum septennium attigerint. Cfr. can. 859, § 1, et 906, necnon resp. Comm. Cod. 3 ian. 1918. **Comp.,** vol. 1, nn. 158, 587.

Expedit autem puerulos, licet absolutionis nondum capaces, ad confitendum admittere, ut sic instruantur et confessioni assuescant. *Lacroix,* n. 1795. — V. **Comp.,** vol. 1, n. 587.

714. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Reficiendi sunt sacro Viatico pueri de vita periclitantes, qui sunt rationis usum adepti. Ratio est, quia ex una parte pueri in tali periculo constituti ex lege divina communicare debent, et ex alia parte ob magnam utilitatem ex Eucharistia suscipiendam tanta dispositio in suscipiente non requiritur. Graviter igitur errant parochi, qui S. Viaticum eiusmodi pueris administrare nolunt. *S. Alph.,* De Euch., n. 301; *Gousset,* n. 233; *Billuart*, dissert. 6, a. 7.

2.° Etiam pueri nondum septennes, sed ratione praediti, extrema unctione muniendi sunt. Ratio est, quia nulla conditio in ipsis deest, ut eam valide et licite recipere possint; siquidem sunt peccati actualis capaces, et de vita periclitantur. *S. Alph.,* De extr. unct., n. 720, *et alii communius,* quibus consonat *Bened. XIV,* De Syn., l. 8, c. 6, ubi approbat quod tradit Rituale argentinense, nempe non denegandam esse *extremam unctionem* pueris septennibus, nec iis quibus malitia supplet aetatem, licet ad septennium non pervenerint.

Quae omnia confirmantur ex citato decreto Pii X, ubi a. VII legimus: «Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et extremam unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant».

715. — *R. ad* 4m *Quaes.* Sic generatim agendum videtur: 1.° Permittantur pueri primum ipsi sua peccata explicare; si vero in hoc deficiant, praesertim si notentur doli capaces, iuvandi sunt per has aut similes quaestiones, v. gr. sequendo ordinem praeceptorum: An

diebus dominicis et festis devote Missae interfuerint? An in ea garriverint per notabile tempus? An catechismum neglexerint, an in eo attenderint? An parentibus vel praepositis inoboedientes fuerint? An aliquid a parentibus vel aliis abstulerint? An mentiti sint? etc.

716. — 2.° Si puer appareat audacior, interrogari poterit, caute tamen, an cum sociis indecenter egerit? Si fateatur, interrogari poterit, quid fecerit? Si peccatum veniale ex gravioribus fateatur, v. gr. furtulum, mendacium, expedit interrogare an frequenter fecerit, ut sic paulatim addiscat numerum in gravioribus esse explicandum. In dubio an pueri forte graviter peccaverint, etiam in materia levi, ex conscientia erronea, possunt interrogari an putaverint per id mereri infernum? et tunc *corrigenda est conscientia ubi falsa deprehenditur*. Ceterum caveat confessarius ne *nimius* sit in examinando pueros, et ne *indiscrete* interroget, quo fiat ut pueri horrorem confessionis concipiant.

717. — 3.° Si puer appareat satis instructus ad fidem spemque supernaturalem eliciendam, excitari potest, praemisso paucis actu spei et fidei, hoc modo, ad dolorem: «Fili, quo deveniunt qui peccant? Nonne ad infernum, qui in gravi peccato moriuntur, et ad purgatorium qui de venialibus non dolent, et paenitentiam non agunt? Patientur in inferno et purgatorio gravissimas poenas, in inferno aeternas, et in purgatorio temporales, saepe durantes per multos annos; possesne illas sustinere? Non posses per horam dimidiam iacere in rogo, vel manum tenere in accensa candela; quid ergo fieret, si deberes totus ardere instar ferri candentis multis annis in purgatorio, vel inferni igne sulphureo in aeternum? Possesne tolerare? Non posses, deberes tamen». *Reuter,* Neoconf., n. 402 et seq.

CASUS XV

CONFESSARIUS CUM MORIBUNDIS 1.°

LUBINUS, sacerdos, magno zelo erga moribundos accensus saepe saepius eos absolvere solet, etiamsi sensibus iam sint destituti et prius Sacramentis muniti fuerint, dum adhuc usu rationis gauderent. Sed a PAULINO socio reprehenditur, quia contra Ecclesiae praxim superflue sacramentum paenitentiae nullitatis periculo exponit: «moribundi enim, ait, Sacramentis semel muniti, sunt in pace relinquendi et tantum precibus adiuvandi».

HINC:

QUAER. 1.° *An expediat moribundos pluries absolvere, si morbus protrahatur?*

2.° *Quid de praxi utriusque sacerdotis?*

3.° *Quomodo generatim cum moribundis agendum?*

SOLUTIO:

718. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° *Expedit* sane *pluries absolvere* moribundos, qui adhuc usu rationis potiuntur; etenim delinquere possunt, et quidem frequenter; ergo etiam absolvi possunt, licet fortasse venialiter tantum peccent. Insuper absolutio pluries repetita, plurimum inservire potest ad moribundum, contra diaboli insidias et animi deiectionem praemuniendum et conformandum. *S. Alph.*, n. 480.

Sunt quidem confessarii qui in hoc excedunt, absolutionem decies, v. gr. per semihoram repetendo. Attamen confessarii saepius infirmum invisere debent, si morbus protrahatur, postquam Sacramentis munitus fuerit, ut eum in mediis doloribus et tentationibus extremi agonis solentur, et ad spem fiduciamque erigant (1).

2.° Immo expedit pluries iterum absolvere moribundos *sensibus iam destitutos*. Ratio est, quia intervallum lucidum habere possunt pro sequenti absolutione, licet forte in praecedenti nullum habuerint. Nec semel accidit, ut qui sensibus omnino destituti videntur, usum plenum rationis adhuc servent. Vide dicta supra, n. 487, et dicenda infra, n. 1192 seq. — Insuper, si usu rationis, licet brevi tempore, gaudeant, iterum atque iterum peccare possunt, et proinde etiam medicamine spirituali indigere. Ita *S. Alph.*, n. 482, in fine; et Hom. apost., n. 57, ubi dicit, *tales infirmos posse absolvi etiam ter vel quater in die.*

719. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Magnopere laudanda est agendi ratio LUBINI, et inducendus est ad eam sedulo prosequendam, pro fructu, auxilio ac solatio moribundorum, qui omni modo in tantis angustiis adiuvandi sunt.

2.° Consequenter ipse carpens PAULINUS iure meritoque carpendus est, ex eo quod praxi infirmis adeo salutari obsistat. Praxis autem illa, licet ab Ecclesia non expresse praescribatur, a pluribus theologis et praesertim a S. Alphonso, cuius doctrina ab Ecclesia approbata est, docetur et enixe commendatur, atque a piis confessariis communiter adhibetur.

720. — *R. ad* 3m *Quaes.* Confessarius, in excipiendis moribundorum confessionibus, non debet tam severe procedere circa numerum et species, quam cum ceteris; quia vires mentis et corporis paenitentis, aut forte instans mortis periculum, id non permittunt. Hoc praesertim valet: 1.° si paenitens aegre confiteatur, et minutis quaestionibus graviter defatigandus esset; 2.° si sacerdos iam accessisset cum sacro Viatico, aut si medicus instaret ut Viaticum cito infirmo mini-

(1) «Los párrocos y confesores no deben creer que han cumplido todo su ministerio, con haber administrado los últimos sacramentos a sus enfermos. Sigan visitándolos con la mayor frecuencia posible, para sostenerlos y fortalecerlos, cuando están cercanos a la muerte, contra los ataques del enemigo de la salvación. El Obispo no puede tolerar el comportamiento de un párroco, ecónomo o capellán que descuidare visitar a los enfermos, después de haberlos oleado». V. *Gousset*, n. 622.

straretur; tunc enim melius est ad dispositionem paenitentis, quam ad integritatem confessionis attendere; sufficit tunc infirmo imponere, ut confessionem repetat cum convaluerit.

CASUS XVI

CONFESSARIUS CUM MORIBUNDIS 2.°

Casus extremae necessitatis

ALBINUS, neosacerdos, ut vicarius, GERUNDIO parocho iam senescenti adiungitur; sed vix ad locum sibi assignatum advenerat imperitus ALBINUS, eique obsequia praestiterat, cum ecce GERUNDIUS audiens TITIUM concubinarium, a pluribus annis cum meretrice cohabitantem, moribundum iacere: «Perge, perge ocius, ait novo suo ministro; tu enim iuvenis velocius ad auxiliandum periclitanti advolabis. Eia, ne timeas, casus quidem gravissimus est qui tibi prima fronte occurrit; sed tales casus ad experientiam, mi bone, viam sternunt». Praesto adest tremebundus vicarius. Iubet statim eiici concubinam. TITIUS parere recusat: 1.° quia ista mulier est sibi et familiae necessaria; 2.° quia plures liberos ab ea suscepit; 3.° quia ab anno integro cum ea non peccavit, et ipse est ex hac vita iam iam discessurus. ALBINUS dubitat utrum possit hunc moribundum absolvere, Eucharistia reficere, sacro oleo perungere. Tandem nullum sacramentum ei concedendum esse statuit, et tristis moerensque recessit. Mox autem TITIUS animam efflavit, ante tribunal tremendi Iudicis compariturus.

HINC:

QUAER. 1.° *An* TITIUS *absolvi potuerit, et aliis muniri sacramentis, non eiecta concubina?*

2.° *Quid de rationibus ab illo allatis?*

3.° *Quid, si ageretur de concubina in domo amasii aegrotante, aut de meretrice in lupanari moribunda?*

4.° *Quid, si concubinatus esset occultus, v. gr. si famula cum hero clam male viveret?*

SOLUTIO:

721. — *R. ad* 1^m *Quaes. Communiter loquendo* absolvi non potuit, si concubinarius fuit publicus, ut in casu supponitur. Ratio est, quia, praeter occasionem peccati fugiendam, necessaria est satisfactio scandalo proportionata; seu per reparationem publicam, scandalum publicum omnino removendum est.

Dixi *communiter loquendo,* quia, si concubinarius graviter decumbens mulierem dimittere non possit, v. gr. si adeo sit derelictus,

ut, ea dimissa, neminem habeat qui ipsi necessaria praestet, tunc absolvendus est, et aliis Sacramentis muniendus, modo vere contritus iudicetur et coram adstantibus promittat, se mulierem eiecturum esse statim ac ad sanitatem redierit; in tali enim necessitate scandalum reparatur eo modo quo reparari potest; nemo quippe ad impossibile tenetur. *Bouvier,* Dissert. in 6m praecep. Decal., a. 2.

722. — *R. ad* 2m *Quaes. Per se* rationes a TITIO allatae non valent ad eum excusandum ab obligatione concubinam dimittendi. Etenim: 1.° *Non valet prima ratio,* scilicet concubinam esse ipsi et familiae necessariam, nisi neminem habeat praeter eam ad sibi auxiliandum, siquidem ratio scandali tollendi quam maxime urget. 2.° *Nec valet secunda ratio,* nempe eum liberos a concubina suscepisse; urget enim magis inde separationis obligatio, cum scandalum adhuc apertius sit. 3.° *Nec valet tertia ratio,* scilicet utrumque a concubinatu ab uno anno cessasse, quia ignorant alii an verum sit, et cohabitatio semper scandalum producit. Nec obstat quod TITIUS sit moriturus; scandalum enim prius tollendum est.

723. — *R. ad* 3m *Quaes.* Absolvenda erit haec concubina vel meretrix, si disposita videatur, et pariter erit oleo sacro ungenda, quia separatio ab occasione in eo casu est impossibilis. Poterit etiam S. Viaticum concubinae ministrari, quia in his circumstantiis facile scandalum cessabit ob evidentem rei necessitatem. Non tamen deferenda esset S. Eucharistia ad meretricem in lupanari ipso morientem, ob publicam decentiam, et quia absolute necessaria non est.

724. — *R. ad* 4m *Quaes.* Si concubinatus sit occultus, non erit *per se* urgenda separatio sub denegatione absolutionis, ob scandalum quod ordinarie sequeretur, si concubina in his circumstantiis dimitteretur. Sic enim publice manifestaretur commercium quod occultum est. Sed obtinenda erit a moribundo promissio dimittendi ancillam, si convalescat; et interea curandum est ut fiat saltem separatio ab habitaculo, atque ut ancilla ad eum non accedat, nisi urgente necessitate. Si autem mors non immineret, regulariter aegrotus absolvi non deberet, donec prius separatio facta esset, si fieri posset. *Bouvier,* ibid.

CASUS XVII

CONFESSARIUS CUM MULIERIBUS

Ne quid nimis

URBANUS inter alios confessarios valde conspicuus apparet. Cernis enim sedem eius ad confessionem ingenti mulierum caterva circumfusam. Sed oculos coniicias in adversam partem. Illic adstat confessarius alter, SEVERUS, scilicet. Vides quam rarae appareant piae

feminae ad eius pedes provolvendae! Quaeres forsitan, unde tantum discrimen inter clientelam utriusque confessarii proveniat? Rem tibi subiiciam. Provenit ex ipso discrimine quod inter utrumque intercedit. URBANUS, indole comis, corde bonus, peramanter et humanissimis verbis quascumque paenitentes ad se accedentes excipit, eisque animum facit, et imprimis sinit eas quantum libuerit verba profundere, magnaque patientia et amoenitate auscultat quidquid ipsis effutire placet. Cum autem gens muliebris ut plurimum garrula sit et loquax ex natura sua, haec agendi ratio confessarii ipsi gratissima est.

SEVERUS e contrario, indole austerus, liberius agit et severum semper vultum gerit, neque sinit sermones in longum protrahi. Ratio eius est, quia, ait, confessarius cum mulieribus *gravis semper et brevis esse debet*. Hinc semper urget et instat, ne paenitentes quidpiam inutile proferant. Quare frequentissime haec in ore habet: *Sufficit..., satis est..., deinde..., postea..., perge, perge...! utquid in his immoraris? Heus! haec sunt naeniae! sunt nugae! iam plus aequo istud dixisti... Ne, quaeso, tempus inutiliter conteramus.* Igitur prior confessarius semper oleum profundit, posterior acetum. Unus semper mellifluus est et gratissimus, alter vero austerus et ingratus. Sic URBANUS columbas allicit, SEVERUS vero eas abigit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo in genere procedendum sit cum mulieribus in spirituali directione?*

2.° *Quid de utroque confessario dicendum?*

SOLUTIO:

725. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Hac de re satis erit peritissimos et insignes audire magistros. Sic *S. Ignatius de Loyola* in Regulis pro sacerdotibus S. I., Reg. 9: «In audiendis confessionibus feminarum, severos potius quam familiares confessarii se exhibeant; in universum tamen paterna quaedam et spiritualis gravitas in eis eluceat (Reg. 16). Eos qui crebrius confitentur, maxime feminas, breviter expediant, nec de rebus ad confessionem non pertinentibus in confessione loquantur. Extra confessionem vero, si oportebit eas alloqui, id fiat in loco patenti, nec longum sermonem misceant, et oculos modeste demissos habeant» (Reg. 17).

726. — Sic *S. Alph.*, in Praxi confessarii, n. 119: «Summe cautus debet esse confessarius in excipiendis confessionibus mulierum, regulariter in confessionario cum iunioribus *sit potius rigidus quam suavis*. Extra confessionarium non immoretur ad colloquendum cum feminis in ecclesia, omnemque familiaritatem cum ipsis devitet. *Abstineat etiam a recipiendis munusculis,* et praecipue ad earum domos nunquam accedat, excepto casu gravis infirmitatis; et tunc magnam adhibeat diligentiam in audiendis illarum confessionibus; ianuam apertam relinquat; sedeat in loco ubi videri possit ab aliis, oculosque in faciem

paenitentis nunquam defigat; et hoc praesertim currit, si sint personae spirituales, cum quibus est periculum maioris adhaesionis... Unde, ait *S. Augustinus* apud *S. Thom.*, opusc. 64, de famil. dom.: *Sermo brevis et rigidus cum his mulieribus habendus est; nec tamen quia sanctiores, ideo minus cavendae; quo enim sanctiores fuerint, eo magis alliciunt*».

727. — Haec habet *Concina* de ministro sacramenti paenitentiae, c. 4, in fine: «Prudentia confessarii summopere elucere debet in feminarum confessione. Ad mulieres audiendas obarmet se confessarius, et divinis praesidiis *se muniat perinde ac si serpentis sibilos excipere deberet*. Vox, suspiria, lacrimae ipsae feminarum veneficia et praestigia sunt, quae magnetica quadam vi cor humanum inficiunt... Illa intima communicatio et totius interioris animi manifestatio, qua feminae vulnera sua exponunt, superat illam quae cum maritis intercedit. Nisi tota in Deum ordinata sit, si quidpiam humani misceatur, omnia in corruptionem recident... *Gravitatem semper cum mulieribus prae se ferat confessarius;* munuscula ab iisdem non accipiat. Nunquam illas audiat, nisi precibus munitus, et Dei praesentia obarmatus. Sermones semper breves sint... Consule tibi, et nunquam severioris supercilii cum feminis adhibiti te paenitebit; familiaritatis vero poenas dabis. Illud altius animo tuo insculptum haereat: *Melior est iniquitas viri quam mulier benefaciens*. Eccli., 42, 14».

Hinc Patres clamant: *Brevis et rigidus cum mulieribus sermo est habendus*. Tempore quo confessarius unius devotae femellae confessionem audit, viginti viros sanctificaret; et tamen nunquam illa contenta semper conqueritur, te ab illa esse alieno animo: propterea tuis commodis et humori inservit, ut existimari a te mereatur.

728. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Iam liquet ex dictis quid de utroque confessario sentiendum sit. Indulgentior et facilior unus; severior et durior alter; prior ianuam pandit variis abusibus et incommodis, pluribusque periculis, licet optima praeditus sit intentione; posterior animas nimis constringit, contorquet ac vexat, atque a frequentandis Sacramentis arcet. Uterque igitur aequam iusti medii bilancem teneat. *Ne quid nimis... In medio enim stat virtus*. Medium autem in paterna quadam gravitate consistit, ut supra dictum est.

729. — Tu igitur, URBANE, serva quidem hanc, quam tibi praestitit Deus, cordis clementiam, et animi urbanitatem ac mansuetudinem, sed maiori induere gravitate, et superfluos sermones tum tuos, tum paenitentis sedulo praescinde. Cave ne quidpiam patiaris humani, ita ut *oculus tuus* sit semper rectus et *simplex*. Memor esto ad te pertinere, in sacro tribunali, non solum munus patris, sed etiam iudicis et medici, immo te gerere personam Christi ipsius.

Tu autem, SEVERE, minus parce oleo, et minorem aceti copiam in animarum plagas infunde. Patientia maior tibi necessaria est, ut audias *quandoque,* licet invitus, nugas quae a mulieribus saepe solent admi-

sceri in confessione, nec possunt *semper* impediri; sic enim tantum aliquando veritatem expiscari poteris. Scito non omnes paenitentes, praesertim feminas, posse compendiosas confessiones peragere. *Brevis esse laboras, et ecce fis obscurus;* titubat, haeret paenitens, pluries dicta repetit, et nedum brevietur confessio, e contrario magis producitur. Quid igitur proderit? Quo iure vero dicere potes paenitenti, peracta confessione: *Vade in pace,* cum tu ipse eam in perturbationem deieceris? Recole pervulgatum axioma, scilicet: *Plures muscae melle, quam aceto capiuntur.* Sic etiam de paenitentibus.

CASUS XVIII

CONFESSARIUS CUM SPONSIS 1.°

Dialogus inter duos confessarios circa absolutionem sponsis dubie dispositis impertiendam

LANDULPHUS: Dic mihi, ROBERTE, dic, amabo, quaenam sit praxis tua cum sponsis pridie nuptiarum, plerumque imparatis ad te accedentibus; vel etiam cum adolescentibus, qui, sacramentum confirmationis suscipere cupientes, repente adveniunt cum iam instat caeremoniae peragendae dies, quin de ulla praeparatione facienda curaverint.

ROBERTUS: Praxis haec omnibus difficillima et intricatissima quidem est. Ego tamen methodum propriam inveni; hac cum pace omnium utor; omnibus et mihi suavis et iucunda est. *Experto crede Roberto.* Omnes huiusmodi ad me accedentes *conditionaliter* absolutos dimitto, et sic innumeris eripior difficultatibus. Tu vero, mi bone, quid in pari casu?

LANDULPHUS: Laxismo plena est praxis tua, ROBERTE; tu vero meam accipe methodum. Dimitto ego absque absolutione omnes paenitentes quos parum dispositos, vel prorsus indispositos reperio, ipsis tamen commendando enixe ut actum contritionis perfectae ante sacramentum sive confirmationis, sive matrimonii eliciant.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid de praxi* LANDULPHI, *seu de contritione perfecta praefatis paenitentibus praescribenda?*
2.° *Quid de praxi* ROBERTI *circa conditionalem absolutionem in simili casu?*

SOLUTIO:

730. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Praxis LANDULPHI minime probanda videtur; est enim insufficiens ad sacrilegium vitandum, illusoria et periculosa. 1.° Est *insufficiens:* etenim contritio perfecta in huiusmodi paenitentibus est valde difficilis, ne dicam moraliter impossibilis. Nam

supponuntur iuvenes salutis aeternae prorsus incuriosi, res religiosas fastidientes, Sacramentis et officiis christianorum alieni, in coeno vitiorum immersi, et saepe in ipsa fide dubii. Quandonam, quaeso, tales homines sibi solis relicti actum contritionis perfectae elicient? Nedum de ea solliciti sint antequam sacramentum vivorum recipiant, ne de illa cogitabunt quidem. Insuper, credis contritionis perfectae futurum esse capacem paenitentem qui indicia attritionis sufficientia praebere non potuit, dum a confessario excitaretur atque adiuvaretur? Fictitia erit eius contritio, non vera.

731. — 2.° Est *illusoria* et *periculosa:* etenim tales paenitentes, moniti de actu contritionis perfectae eliciendo ante sacramentum vivorum suscipiendum, facile existimantes satis esse ad suae obligationi satisfaciendum, si illum qualicumque modo eliciant, ipsius efficaciam minime consequuntur, et fucum sibi facientes, ad confitendum non accedent, et in peccatis tabescent; ergo non apparet qua ratione LANDULPHUS adeo commendet praxim perfectae contritionis paenitentibus, quos absolutione indignos reputat. Melius sane faceret, si sedulius et diligentius adlaboraret ut illas Christi oviculas, ab ovili aberrantes, ad meliorem frugem reduceret.

732. — *R. ad* 2m *Quaes.* Praxis ROBERTI non est, *ex omni parte* laudanda, neque probanda. — *Bona* quidem *est,* immo et enixe commendanda cum paenitentibus *dubie dispositis*, postquam confessarius *omnem sollicitudinem adhibuit ut eos ad dolorem de peccatis adduceret.* Etenim, cum forte sint sufficienter dispositi, iam habetur spes validitatis absolutionis, et proinde spes de matrimonio ab eis in statu gratiae suscipiendo; dum absque absolutione dimissi et consequenter in malam fidem acti circa propriam dispositionem, certo sacramentum vivorum in statu peccati mortalis suscipient, et animo deiecti, a confessione in posterum se retrahent.

733. — *Mala est* vero praxis ROBERTI cum iis, qui *prorsus indispositi* apparent, nec, adhibita omnimoda confessarii cura, magis disponuntur, v. gr. cum iis qui ad confessarium accedunt tantum ut confessionis schedam obtineant, vel integre confiteri nolunt, hoc solum effutientes, nempe quod fecerint id omne quod iuvenes eiusdem conditionis facere solent, et alia eiusmodi. Ratio est, quia absolutio ne conditionalis quidem dari potest, ubi dispositio ad sacramentum paenitentiae recipiendum omnino deficit. — Attamen confessarius nihil intentatum relinquere debet ut homines huiusmodi ad meliorem frugem reducat, et saltem conditionalem absolutionem iis impertire valeat. Recole dicta n. 395, et vide dicenda nn. 922, 923.

CASUS XIX

CONFESSARIUS CUM SPONSIS 2.°

1.° SYNESIUS, confessarius, inquietus de dispositionibus sponsorum matrimonii causa confitentium, industria utitur ad dubium dirimendum. Porrigit enim ipsis sponte schedulam confessionis, imperfecta confessione, hortando eos ut mox redeant ad reportandam absolutionem; quod si redeant, concludit paenitentes dispositos esse; secus vero indispositos, et consequenter se prudenter egisse.

2.° MARCUS autem schedulam confessionis libenter concedit iuvenibus, qui loco confessionis fatentur se unice ad praedictam schedulam obtinendam accedere, vel qui, rogati ut confiteantur, respondent se omnia patrasse quae iuvenes patrare solent.

3.° HENRICUS vero, cum sub nocte admisisset ad confessionem CAIUM, die sequenti summo mane matrimonium initurum, mox advertit eum plus aequo bibisse et esse semiebrium, et prorsus indispositum. Quamobrem, impertita ei sola benedictione, schedula confessionis concessa, ocius eum dimittit.

HINC:

QUAER. 1.° *An prudenter egerit* SYNESIUS?
2.° *An admittenda sit praxis* MARCI?
3.° *Quid vero de agendi ratione* HENRICI *dicendum sit?*

SOLUTIO:

734. — *R. ad* 1m *Quaes.* SYNESIUS minus prudenter egit, schedulas confessionis sponsis, dilata absolutione, tradendo. Ratio est, quia eos exposuit facili periculo non redeundi ad confessionem perficiendam, et proinde matrimonium sacrilege contrahendi. Quare igitur instat adeo ut sacramenti paenitentiae profanationem impediat, et nullatenus ut digne suscipiatur matrimonium attendit? — Errat SYNESIUS insuper, iudicando sponsos ad absolutionem reportandam non reverentes, dispositione ad sacramentum requisita carere; nam facile fieri potest ut sufficiente contritione polleant, vel saltem ad eam facili negotio disponi possint, et tamen ex incuria, aut mutata voluntate, non amplius redeant; ergo minime laudandus est SYNESIUS, immo *graviter* arguendus.

735. — *R. ad* 2m *Quaes.* Minime admittenda est praxis MARCI confessarii; falsum enim continet testimonium, siquidem asserit sponsum illem confessum esse, quod falsum est. Non est eroganda schedula confessionis simulato paenitenti, saltem *per se loquendo*. Dimittatur ille ad proprium parochum, vel ad eum a quo benedictionem nuptialem

accipere debet; hic autem iudicabit utrum eum ad nuptias, omissa confessione, admittere debet, necne. Neque in hoc est periculum frangendi sigillum; hoc enim oritur ex sola confessione sacramentali, qualem non facit ille qui, animo simulato, ad confessionem accedit. *Elbel,* n. 493.

736. — *R. ad* 3m *Quaes.* HENRICUS non est damnandus. Quid enim in illius loco fecisses? Confessio CAII fuit sacramentalis, et proinde ad sigillum obligans, cum semiebrius actum humanum ponere possit; ergo schedula confessionis, saltem extra confessionem, ei negari non potuit. Sed neque in ipsa confessione, ut patet ex circumstantiis, nam instat matrimonium celebrandum, et gravissum *per se* incommodum esset tum paenitenti, tum sponsae et aliis, si differri deberet. — Ceterum, qui non sunt parochi, prudentes sint in admittendis ad confessionem proxime nupturis, et in pluribus casibus ad parochum eos remittant, ne occasione schedulae ipsimet irrideantur.

CASUS XX

DEFECTUS CONFESSIONIS REPARANDI 1.°

NABORIUS, sacerdos, prolixa PETRI confessione excepta, totus impensus in salutaribus monitis ei suggerendis, et difficultatibus exsolvendis, impertiendae absolutionis prorsus oblitus est. Inadvertentiae omissionisque solum meminit, ubi, in sacrarium reversus, se ad Missam celebrandam parabat. Tunc vero secum volvere coepit quidnam remedii afferret, nec ei menti occurrebat. Contigit autem ut, dum Sacrum faceret, paenitens ille Eucharistiam suscepturus ad altare accederet. Quid tunc NABORIUS? Dum hostiam a pixide accepit PETRO porrigendam, secreto, ut adstantes non adverterent, dixit: *Ego te absolvo a peccatis tuis.*

HINC:

QUAER. 1.° *Quid agendum confessario, qui absolutionis paenitenti impertiendae oblitus est?*

2.° *An recte se gesserit* NABORIUS?

SOLUTIO:

737. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Nihil prorsus faciendum est, si paenitens venialia tantum clavibus subiecerit, ut res per se patet.

2.° Si mortalia accusaverit, et sit adhuc moraliter praesens quando confessarius ad oblivionem advertit, statim absolvendus est, licet prae turba non amplius cernatur, nisi facile sine eius offensione vel aliorum scandalo revocari queat.

3.° Si abierit, revocandus est sub aliquo praetextu, si facile fieri

possit, nisi mox ad confitendum redire debeat, et postulata prius eius licentia, atque manifestato absolutionis defectu, hic supplendus erit. Quod si res absque gravi incommodo fieri non possit, res tota Deo commendanda erit. — Si autem confessarius ex *gravi* sua negligentia absolutionem impertiri oblitus fuerit, etiam cum incommodo suo *gravi*, paenitentem admonere tenetur, supposito *gravi* damno **paenitentis**. V. n. 389 seq. et **Comp.**, n. 748.

738. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Recte egit NABORIUS absolvendo PETRUM, modo secreto, antequam ei sacram Hostiam porrigeret. Paenitens enim est moraliter praesens, adsuntque cetera requisita ad sacramenti validitatem. Neque obstat intervallum inter confessionem PETRI et eius absolutionem; non est enim tantum, ut unio moralis materiae et formae adesse desinat, aspecta sacramenti paenitentiae natura, seu forma iudiciali quae in hoc sacramento servatur. Etenim in paenitentia sufficit unio quam exigit actus iudicialis; porro actus iudicialis sinit, ut intercedat aliqua distantia inter accusationem et sententiam, quamvis, ait *S. Alph.*, distantia illa non tanta esse debeat in sacramento paenitentiae, quanta in iudicio forensi. Communiter autem admittunt theologi validam esse absolutionem, licet una hora post confessionem effluxerit. *S. Alph.*, l. 6, n. 9; *Lacroix, Tambur.*, etc. Immo, plures auctores intervallum illud magis producunt, ita ut pluribus videatur probabilissima sententia docens posse inter accusationem et absolutionem tantam intercedere distantiam quanta in iudicio forensi saepe intercedit inter examen causae et sententiae prolationem *(Ball.-P.*, vol. 4, n. 649; *Génicot*, vol. 2, n. 109 seq.), ut in casu sequenti dicetur.

* CASUS XXI

DEFECTUS CONFESSIONIS REPARANDI 2.°

GORDIANUS, sacerdos, audita confessione SABINAE, nescio qua de causa ad alia distractus, eam absolvere oblitus est Iam paenitens recesserat, quando confessarius ad errorem advertit. Primum obstupuit: sed stupor nullum malo remedium affert. Quid igitur faciet ille? Ecce ei deliberanti suboritur perspicua cogitatio. Novit SABINAM die sequenti venturam esse ad Missam audiendam et SS. Eucharistiam suscipiendam, adeoque occasionem eam absolvendi nanciscetur bonus sacerdos. Alia igitur die SABINAM exspectat, et mox eam cernens in templo, confestim absolvit, licet non monitam.

HINC:

QUAER. *An* GORDIANUS *valide* SABINAM *absolverit, vel quid facere debuisset?*

SOLUTIO:

739. — *R. ad Quaes.* Iuxta plures, ut dictum est in casu praecedenti, valida videtur absolutio SABINAE a confessario impertita, quia ex natura sacramenti paenitentiae, intervallum sat notabile intercedere potest inter confessionem et absolutionem, cum per modum iudicii sacramentum illud conferatur. Hoc enim suadet, aiunt, iudiciorum ratio, in quibus absolutio, vel damnatio, etiam longo tempore causae instructionem et rei confessionem sequi potest. Quare valide quis absolvitur a peccatis, quorum confessio pluribus etiam diebus praecessit. Sic *Saettler,* De Sacram. in genere, c. 1, q. 4; *Ball.-P.,* l. c.; *Génicot,* l. c. — Contrarium videtur sentire *S. Alph.,* l. 6, n. 9, ubi haec habet: «In paenitentia sufficit illa unio (inter materiam et formam sacramenti) quam exigit actus iudicialis, cum inter accusationem et sententiam soleat intercedere aliqua distantia temporis, quamvis in hoc sacramento *talis distantia non tanta debet esse, quanta fit in iudicio forensi.* Dicit *Lacroix,* l. 6, n. 8, cum *Tambur.,* quod valide absolvetur paenitens *post horam a confessione*». Nota tamen quod neque *Tambur.* nec *Lacroix,* ll. cc., negant id, quod asseritur in prima sententia.

Quid vero facere debuisset GORDIANUS? 1.° Nihil ipsi erat faciendum si paenitens venialia tantum clavibus subiecerit, ut dictum est in casu praecedenti. 2.° Si mulier mortale quodpiam accusaverit, confessarius debuisset procurare, ut eam die sequenti redeuntem ad confessionale advocaret, si *facile* id fieri potuisset, et manifestato absolutionis defectu, roganda fuisset ad denuo modo generali confitendum, actumque contritionis renovandum, ut absolveretur. Quod si confessarius non potuerit tunc facile paenitentem ad se revocare, eam tunc sub conditione absolvat. *Poterit* etiam eam sinere ut in bona fide Eucharistiam suscipiat, si *mox* habiturus sit aliam occasionem opportuniorem, v. gr. quia SABINA mox ad confitendum redibit. *Génicot,* Casus, vol. 2, tr. 15, sect. 3, cap. 3, cas. 1.

CASUS XXII

DEFECTUS CONFESSIONIS REPARANDI 3.°

EUCHARIUS, confessarius, adegit ALBERTUM mercatorem ad contractum, qui iniustus sibi videbatur, rescindendum, et ad lucrum, inde perceptum, restituendum. Postea vero, re melius perpensa, se errasse cognovit; sed non ausus est de errore paenitentem admonere.

HINC:

QUAER. 1.° *Ad quid teneatur confessarius, qui errores in materia iustitiae commisit?*

2.° *Quid de* EUCHARIO *dicendum sit?*

SOLUTIO:

740. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Si ex malitia, aut gravi negligentia, seu ex ignorantia graviter culpabili egerit, tenetur errorem retractare etiam cum gravi suo incommodo; et si id non faciat, damnum iniustum a se creatum compensare debet.

2.° Si inculpabiliter egerit, aut ex levi tantum negligentia, tenetur quidem ex iustitia errorem corrigere, sed secluso gravi incommodo. *S. Alph.*, n. 621. — V. **Comp.**, n. 749.

R. ad 2m *Quaes.* EUCHARIUS errorem suum corrigere debebat cum levi suo incommodo, quia damnum absque culpa gravi, immo potius bona fide, paenitenti creavit; sed graviter peccavit contra iustitiam id omittendo. Itaque adhuc nunc eadem obligatione ligatur, et, nisi paenitentem admoneat, eum indemnem facere debet. V. **Comp.**, nn. 749, 750.

CASUS XXIII

DEFECTUS CONFESSIONIS REPARANDI 4.°

DIDYMUS, confessarius, a SYLVIA interrogatur, utrum matrimonium cum ea cum SABINO initum validum sit? Casum dubitandi allegat sequentem, quod, scilicet, saepius cum consanguineo SABINI in secundo gradu peccaverit, licet gravida numquam evaserit. DIDYMUS vero respondit matrimonium validum esse. Putaverat ille impedimentum affinitatis ex copula illicita non se extendere ultra primum gradum; et insuper credebat copulam non dici perfectam, nisi mulier praegnans evaderet. Paulo post anxius et dubius de veritate huius resolutionis, nescit quid sibi agendum sit.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quomodo* DIDYMUS *erraverit?*
2.° *Si erravit, quomodo errorem emendabit?*
3.° *Quid, si confessarius* SYLVIAM *non noverit, vel nesciat ubi moretur, vel sine gravi incommodo eam advocare nequeat?*
4.° *Unde oriatur affinitas post Codicem et inter quos?*

SOLUTIO:

741. — *R. ad* 1m *Quaes.* Si agatur, ut videtur, de matrimonio ito antequam Codex canonicus vim habere inciperet, i. e. ante diem 9 maii 1918, DIDYMUS dupliciter erravit respondendo SYLVIAE matrimonium esse validum, scilicet: 1.° quia dabatur vera affinitas, etsi onceptio non sequeretur, modo copula fuerit perfecta, seu talis ex ua generatio haberi possit; 2.° quia affinitas ex copula illicita dirime at matrimonium, non tantum ad 1m, sed etiam ad 2m gradum. Matri-

monia autem ante Codicem nulliter contracta ex tali affinitate remanent nulla post Codicem, nisi sanentur. **Comp.,** nn. 1037, 1124 seq. Igitur DIDYMUS errorem corrigere debet, si copula reapse fuit perfecta. Praesumenda est autem perfecta, nisi de opposito certo constet, v. gr. quia de industria impedita fuit, horrendo crimine *onanismi* patrato.

Si matrimonium contractum fuit post diem 19 maii 1918, validum fuit, etsi affinitas illa contracta fuerit ante memoratum diem, quia impedimentum illud affinitatis ex copula illicita, abrogatum est vi Codicis.

Affinitas est propinquitas, quam quis contrahit cum consanguineis personae quacum matrimonium validum contraxit; seu est propinquitas orta ex matrimonio valido inter alterum et consanguineos alterius. Proinde exsurgit affinitas inter virum et consanguineos (etiam *illegitimos)* mulieris, et vice versa.

Affinitas oritur ex *matrimonio valido,* sive rato solummodo, sive rato et consummato (can. 97, § 1). Viget tantum inter virum et mulieris consanguineos, et inter mulierem et viri consanguineos (ibid., § 2). Affinitatis *gradus* ita computantur, ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa (ibid., § 3).

742. — *R. ad* 2m *Quaes.* Sponsos in bona fide relinquat, et quamprimum petat a SYLVIA facultatem loquendi cum ipsa de re ad confessionem pertinente. Haq autem impetrata, eidem aperiat matrimonii nullitatem, simulque inducat eam ad renovandum consensum, ut dicetur infra de matrimonii revalidatione.

743. — *R. ad* 3m *Quaes.* Si DIDYMUS nesciat ubi remaneat SYLVIA, vel eam admonere nequeat absque incommodo gravi, v. gr. periculo infamiae, seclusa ignorantia graviter culpabili, nihil aliud faciendum nisi rem Deo omnino commendare.

744. — *R. ad* 4m *Quaes.* Affinitas in linea *recta* dirimit matrimonium in *quolibet gradu,* in linea *collaterali* usque ad *secundum gradum* inclusive (can. 1077, § 1). — Igitur affinitas in linea *collaterali* solum dirimit matrimonium: *a)* inter contrahentem et *fratres defuncti coniugis* illorumque *filios; b)* inter contrahentem et *fratres patrum defuncti coniugis* illorumque filios. — Mutatus ergo est a Codice conceptus canonicus affinitatis. V. **Comp.,** n. 1036 seq.

CASUS XXIV

DEFECTUS CONFESSIONIS REPARANDI 5.°

PALMATIUS, sacerdos, audita TITII confessione, rescit eum mille aureos a quodam ditissimo viro surripuisse. Quaerit paenitens quo modo facienda sit restitutio, quia dominus laesus iam obiit, relicto

herede necessario. Confessarius ei iniunxit ut praefatam summam in causam piam impenderet, scilicet ad monasterium quoddam restaurandum; quod factum est. Haud multo post hoc consilium a se datum alteri sacerdoti narravit; sed ab eo mox audivit, se turpiter errasse. Sed quid nunc faciet? ipse interrogat.

HINC:

QUAER. 1.° *An* PALMATIUS *teneatur errorem suum corrigere?*
2.° *An monasterium, quod pecuniam accepit, hanc restituere debeat?*
3.° *Quid, si pecunia multis pauperibus erogata fuerit?*

SOLUTIO:

745. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia, obligando TITIUM ut pecuniam in piam causam impenderet, heredem damnificavit; et, licet bona fide egerit, nihilominus, ubi scit se erravisse cum damno heredis, iam non est amplius in bona fide; ergo ex iustitia tenetur errorem corrigere; secus enim censeretur velle damnum productum continuare. *Lacroix*, n. 1780.

746. — *R. ad* 2m *Quaes.* Certo monasterium tenetur hanc pecuniam restituere, nisi eam expenderit, nec inde ditius evaserit; quia donatio ipsi facta fuit omnino invalida, siquidem adstabat heres, iure certo gaudens, et rem repetens.

747. — *R. ad* 3m *Quaes.* Si pecunia iam moraliter consumpta, vel si multis pauperibus fuit distributa, ita ut recuperari nequeat, nihil prorsus faciendum est PALMATIO, nisi ut Deum oret, quatenus velit aliquo modo creditorem benedicere et compensare. Confessarius enim non tenetur damnum resarcire, quia supponitur bona fide se gessisse, culpam theologicam gravem non commisisse, nec posse sine gravi incommodo errorem corrigere. *Elbel*, n. 488.

CASUS

DE SIGILLO CONFESSIONIS

SCILICET

De obligatione sigilli; de usu notitiae in confessione acceptae; de variis modis sigillum violandi.

* CASUS I

OBLIGATIO SIGILLI

1.° FULBERIUS, confessarius, vir loquax et parum discretus, facile cum aliis, praesertim sacerdotibus, sermonem habet de rebus in confessione auditis, nec ullo cohibetur scrupulo, quia summopere cavet ne paenitentem ullum nominatim prodat. Evenit tamen, nec raro, ut audientes in paenitentium cognitionem deveniant.

2.° LAURENTIUS, olim PONTII famulus, huic centum francos surripuerat. Cum non haberet unde redderet, confessarium rogavit, ut vellet, etiam eo nominato, obtinere a PONTIO debiti condonationem. Remisit quidem debitum PONTIUS; sed pluribus aliis id manifestavit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit obligatio sigilli confessionis?*
2.° *An in ea detur materiae parvitas?*
3.° *An liceat uti opinione probabili in materia sigilli, seu quando probabiliter abest revelationis periculum?*
4.° *An* FULBERIUS *graviter sigillum violaverit in primo casu?*
5.° *Quas in poenas incurrat confessarius violans sigillum?*
6.° *An* PONTIUS *peccatum grave commiserit contra sigillum confessionis, furtum* LAURENTII *manifestando?*

SOLUTIO:

748. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Datur strictissima obligatio sub gravi servandi sigillum confessionis, ut constat ex iure naturali, divino positivo et ecclesiastico necnon, ex quasi contractu; 2.° haec

obligatio in omni casu urget, ita ut in nullo casu possibili liceat revelare quidquam in confessione auditum. *S. Thom.*, in 4, dist. 21, q. 3, art. 1, Quodl. 1, art. 8; *S. Alph.*, n. 634. **Comp.**, n. 753.

Quare in Codice statuitur: «Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem» (can. 889, § 1).

749. — *R. ad* 2m *Quaes.* Nulla datur materiae parvitas saltem in revelatione *directa,* quia materia etiam levissima in se, si revelaretur, maximum totius legis periculum induceret. V. **Comp.,** n. 755. *S. Alph.*, n. 635.

R. ad 3m *Quaes. Neg.* Ratio est, quia hic non agitur tantum de licito vel illicito, sed de removendo quolibet periculo offensionis fidelium et iniuriae sacramenti, ad quam remotionem datur obligatio *certa. S. Alph.*, n. 663. — V. **Comp.**, n. 756. Cfr. *Buccer.,* Casus, n. 18, et Inst. Th. mor., vol. 1, nn. 216, 217, 221.

750. *R. ad* 4m *Quaes. Affirm.*, quia ratio agendi Fulberii inducit, licet indirecte, proximum periculum revelationis. Nec excusatur Fulberius ex eo quod neminem nominatim prodat, quia datur revelatio sigilli quoties, ex dictis, proximus in cognitionem paenitentis venire potest. In memoriam revocet Fulberius quod, iuxta S. Off. in Instructione data die 9 iun. 1915, confessarii, qui sive in privatis collocutionibus sive in publicis ad populum contionibus loquuntur de submissis in sacramentali confessione potestati clavium, etsi reticeant omnia quae paenitentis personam quomodocumque manifestare queant, violant aliquo modo ipsum sigillum.

Quare iubet S. Officium locorum Ordinariis ac Superioribus religiosorum, graviter onerata eorum conscientia, ut in posterum curent *edoceri* sacerdotes sibi subditos, ut (excepto casu necessariae consultationis) *ne quid unquam attingant pertinens ad materiam confessionis* sacramentalis sub nulla forma nulloque praetextu, ne obiter quidem, nec directe nec indirecte, neque in publicis neque in privatis sermonibus, praesertim occasione missionum et exercitiorum spiritualium: sic eos edoceri curent, tam in scholis theologiae moralis, quam in conferentiis pro casibus conscientiae, necnon in publicis ac privatis ad clerum allocutionibus et adhortationibus. Necessariae consultationes fieri debent iuxta regulas traditas a probatis auctoribus; ut in examinibus pro eorum habilitatione ad excipiendas confessiones hac super re peculiari modo examinentur. Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 48, pag. 89.

R. ad 5m *Quaes.* Confessarius qui *directe* sacramentale sigillum violare praesumpserit, incidit *ipso facto* in excommunicationem latae sententiae *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatam; qui vero *indirecte* tantum, suspendi debet a celebratione Missae et ab audiendis confessionibus, vel etiam, pro delicti gravitate, inhabilis ad ipsas

excipiendas declarari; debet etiam privari omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva et inhabilis declarari ad ea omnia, et in casibus gravioribus *degradationi* subiici debet (can. 2368, § 1, 2369, § 1). V. **Comp.**, n. 753.

751. — *R. ad* 6m *Quaes. Affirm.*, si noverit PONTIUS rem sibi manifestari a proprio famuli confessario, ex obtenta illius facultate. Sic *S. Antoninus,* part. 3, tit. 17, c. 22, § 2, ubi ait: «Ad celandam confessionem tenetur is ad quem confessio pervenit *licite* vel *illicite, mediate* vel *immediate*... Item ille, cui de licentia paenitentis confessarius revelat». Consentit *D. Thomas,* qui rationem de hoc reddit, *quia,* ait, *participat aliquo modo actum sacerdotis*. Suppl. ad 3m p., q. 11, a. 3.

Clarius adhuc ex Codice: «Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque: *a)* interpres, *b)* aliique omnes ad quos notitia confessionis *quoquo modo* pervenerit» (can. 889, § 2). V. **Comp.**, n. 757.

NOTA. Inauditum fere est sigillum confessionis directe violatum fuisse, etiam a sacerdotibus impiis, apostatis vel amentibus, ut unanimes asserunt theologi, quod sane nonnisi specialissimae Dei providentiae tribuendum est (1). Sed non adeo infrequens est revelatio indirecta, quae ex imprudentia confessarii sequitur. Cavere igitur summopere debet confessarius, ne quidpiam dicat unquam, ex quo gravamen paenitentibus induci queat.

CASUS II

USUS EXTERNUS NOTITIAE CONFESSIONIS 1.°

1.° CHRISTOPHORUS, sacerdos, in minori Seminario seu collegio confessarius, notitia in confessione habita utitur, ut occurrentibus extra confessionem paenitentibus magis blandiatur, et sic ipsis animum faciat, necnon ut Superiores seu domus praepositos admoneat de maiori vigilantia et sollicitudine generatim habenda, imprimis in tali loco et tempore determinato.

2.° SATURNINUS, Episcopus, firmiter inter se statuerat proponere NEMESIUM pro cura notabili animarum. Sed, audita casu eius confessione, reperit eum esse indignum atque moribus corruptum et ad corruptionem proclivem. Hinc consilium mutat ad impediendam ruinam spiritualem plurium, et ipsius NEMESII aeternam damnationem.

---

(1) «Las revelaciones directas son de tal manera raras, que bien puede decirse que no se ven jamás. Se han visto sacerdotes apóstatas, y por un efecto de la especial protección de Dios a su Iglesia, aquellos sacerdotes respetaron el secreto de la confesión; se ven hasta locos, y, en medio de su desvarío, jamás se les escapa nada que pueda poner en peligro el secreto sacramental». *Gousset,* n. 515.

HINC:

QUAER. 1.° *An liceat uti notitia confessionis ad externam directionem, vel gubernationem?*
2.° *An liceat dicere esse invigilandum?*
3.° *Quid in specie ad singulos casus?*

SOLUTIO:

752.—*R. ad* 1m *Quaes. Neg.,* quia hoc in odium sacramenti et in gravamen paenitentis cederet. Constat etiam ex variis decretis S. Sedis. V. **Comp., nn.** 780, 781.

Quare Codex: «Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine paenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo. — Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt» (can. 890, §§ 1, 2).

753. — *R. ad* 2m *Quaes.* Confessarius minime potest dicere esse invigilandum in tali loco vel tempore, quia ex hoc evidens paenitentis sequeretur gravamen. *Controvertitur* autem an dicere possit *in genere* Superioribus vel praepositis: *Vigilate.* Refert *S. Alph.,* n. 657, plures qui ita sentiunt cum D. Thoma, sed nullam ipse sententiam profert. Hinc in praxi tutius est ut omnino sileat, perinde ac si nihil prorsus in confessione audivisset. Attamen posset confessarius, si ipse curam invigilandi habeat, uti notitia confessionis, secluso tamen periculo revelationis vel gravaminis paenitentis, ad se cautiorem seu vigilantiorem reddendum, quia semper potest proprios defectus emendare, quando ad eos advertit. *S. Alph.,* n. 657.

754. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° CHRISTOPHORUS violavit *indirecte* sigillum confessionis declarando Superioribus vel praepositis, specialiter invigilandum esse in tali loco et tempore determinato. Non potest autem stricte damnari ex eo quod dixerit tantum modo generali, sollicitudinem in vigilantia habendam esse, quamvis magis expediat ut omnino taceat. Satagere autem bene potest ut se magis amoenum erga paenitentes ostendat, ut iis animum faciat, eorumque fiduciam in se conciliet. Ratio est, quia nulla est in hoc revelatio confessionis, ut patet, neque gravamen paenitentium. *S. Alph.,* l. c.

2.° SATURNINUS, Episcopus, non potuit uti notitia ex confessione habita in externa gubernatione, ad indignum sacerdotem a munere amovendum. Sed debuisset mentem suam ipsi in confessione aperire, et eum inducere ad renuntiandum praedicto muneri, et quidem sub poena denegandae absolutionis. Quod si ipse renuntiare noluerit, dimitti poterit inabsolutus, sed munus ei erit conferendum. Non datur quidem in ratione agendi Episcopi violatio propria sigilli, cum Episcopus consilium suum nemini manifestaverit, sed adest gravamen paenitentis, et odium sacramenti, ut patentissimum est. *S. Alph.*, n. 657, etc.

CASUS III

USUS EXTERNUS NOTITIAE CONFESSIONIS 2.°

CAMILLUS, parochus, ancillae suae BERTHINAE periculose aegrotantis confessionem excipiens, comperit eam esse ex delicto gravidam. Obstupefactus et dolens haeret dubius et anceps, nesciens quid consilii sit capessendum urgente tantae infamiae periculo. Intricatissimi huius casus solutionem in aliam diem differt, donec fiat lux. Interea vero BERTHINA melius se habet. Lux affulget CAMILLO. Paucis post diebus, posito praetextu infirmae valetudinis, eam dimittere festinat. Subinde, cum ROSINAM in ancillam admittere intra se statuisset, audita eius confessione, novit eam nuperrime fuisse seductam; ideoque, invisa doctus experientia, statim a proposito recedit, ne casus ancillae dimissae recurrat.

HINC:

QUAER. 1.° *An* CAMILLUS *peccaverit* BERTHINAM *dimittendo?*
2.° *An etiam* ROSINAM *non requirendo?*

SOLUTIO:

755. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.,* quia egit ex notitia confessionis contra paenitentem, seu cum eius notabili gravamine. Potest quidem ipse ancillae imperare in confessione ut discedat, ad propriam infamiam vitandam, et scandalum ingens arcendum, et quidem sub comminatione absolutionis ipsi denegandae nisi velit exire, aut licentiam externe agendi sibi concedere. Quod si recuset, nihil parocho faciendum est, nisi ut divinae providentiae se commendet.

756. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Hic enim recurrit idem casus modo iam solutus. Proinde confessarius externe agere debet perinde ac si nihil sciret. Sed potest paenitenti propositum manifestare, et eam inducere ut sibi permittat mentem suam mutare; immo eamdem ad id sub poena denegandae absolutionis obligare, ut in primo casu iam dictum est.

CASUS IV

USUS EXTERNUS NOTITIAE CONFESSIONIS 3.°

HUGOLINUS, sacerdos, HADRIANAE puellae iam iam moriturae confessionem excipiens, rescit eam esse praegnantem. Eam adhortatur bonus pastor ad statum suum, sive medico, sive mulieri prudenti, aperiendum, ut saluti fetus prospici queat. Sed surdae canit ille. Periculum infamiae reformidans HADRIANA, protestatur hoc nulli mortalium

esse declaraturam. Miseram frustra adhortatam moerens sacerdos non absolutam relinquit, velut indispositam. Paulo post HADRIANA animam efflat, et cum fetu non baptizato tumulatur.

HINC:

QUAER. 1.° *An* HUGOLINUS *recte egerit absolutionem* HADRIANAE *negando, necne?*

2.° *An potuisset procurare ut per prudentem matronam, vel medicum, aperiretur latus puellae defunctae ut infans baptizaretur?*

3.° *An saltem id potuisset, si rem sub secreto naturali, non vero confessionis, novisset?*

SOLUTIO:

757. — *R. ad* 1^m *Quaes.* HADRIANA obligari potuit, et debuit *per se,* ad rem alicui matronae prudenti manifestandam, vel melius, si fieri potuit, eidem matronae scriptis et clausis litteris consignandam, non aperiendis nisi HADRIANA moriatur, ipsique restituendis si convalescat. Dixi *per se,* quia, etiam stante certa obligatione ex parte mulieris rem exterius manifestandi, non semper haec obligatio ipsi declaranda foret, nempe si praevideretur eam admonitioni obtemperaturam non esse. Tunc enim satis erit si confessarius paenitentem enixe adhortetur ut secretum suum mulieri prudenti prodat, quin ad id sub poena denegandae absolutionis urgeatur, ne mater simul cum prole in aeternum pereat. *Elbel,* n. 483.

Obligatio mulieris praegnantis significandi voluntatem ut post mortem incidatur, et extrahatur fetus baptismo regenerandus, datur, quamvis mulier a brevi tempore sit praegnans. *Eschbach,* Disp. physiol.-theol., pag. 367 seq. (ed. 2.ª); *Antonelli,* Medicina past., vol. 1, n. 313; *Debreyne,* Embriología, c. 2, § 3, pag. 250; *Haine,* vol. 2, pag. 481; *Alberti,* Theol. past., part. 1, n. 70; *Dr. Massana,* in ephem. *El Criterio católico en las ciencias médicas,* vol. 1, pag. 354 seq.

Omitti poterit sectio *sex primis* graviditatis hebdomadis, ait *Aertnys,* l. 6, n. 42 et n. 297, q. 9, cum *Cangiamila,* l. c., l. 2, cap. 11. Ratio est, quia tunc fetus est difficilis inventu, et vix poterit vivus reperiri.

Vix solidam spem adesse reperiendi fetum vivum si operatio peragatur ante *quartum* praegnationis mensem tenent *Capellmann,* l. c., pag. 27; *Génicot,* n. 145, et *Noldin,* De Sacram., n. 68; at, ut bene probat *Antonelli,* vol. 1, nn. 310, 311, complurima habentur exempla a doctoribus collecta de perdurante vita fetus, *quocumque tempore praegnationis,* et etiam multas post horas a morte matris. Cfr. *Ferreres,* La muerte real y la muerte aparente, n. 39 *b,* ed. 4.ª, et **Comp.,** n. 342.

Rituale, tit. 2, c. 1, n. 17, absolute praecipit: «Si mater praegnans

mortua fuit, fetus quamprimum extrahatur, ac si vivens fuerit, baptizetur».

758. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.* Ratio patet ex dictis in casibus praecedentibus, scilicet, quia, in hac hypothesi, usus externus notitiae ex confessione habitae est prorsus illicitus, quando odium sacramenti, ut in casu, inducere potest.

759. — *R. ad* 3m *Quaes.* Confessarius potuisset, defuncta HADRIANA, admonere prudentem mulierem, v. gr. obstetricem, ut baptismo infantis provideretur, quia res ei manifestata fuisset extra omnem confessionem, et ratio procurandi salutem prolis ab obligatione servandi secreti eum eximeret. Nec refert quod secretum commissum fuerit quasi in confessione, quia obligatio sigilli inhaeret *soli confessioni sacramentali,* siquidem non pendet ab arbitrio hominis, sed ex institutione Christi, qui eam soli confessioni sacramentali adnexuit. Prudentius autem in simili casu ageret confessarius, scriptum a puella requirendo, si fieri posset, ne de sigilli violatione accusetur.

CASUS V

QUID MISSIONARIUS DE SIGILLO 1.°

ALBERICUS, missionarius, cum primum ad missionis locum vel collegium vel conventum, ubi exercitia spiritualia est traditurus, pervenit, nihil antiquius habet quam ad confessiones audiendas statim convolare, ut agnoscat inde quomodo in instruendo sese dirigere possit; *quia,* inquit, *missionarius confessiones non audiens non est nisi cymbalum tinniens, aërem verberans, et practice praedicare nequit.*

Hinc, si quando ab audiendis confessionibus fuerit impeditus, diligenter a socio suo confessario, exquirit quibusnam in punctis magis sit insistendum.

HINC:

QUAER. 1.° *An notitia confessionis uti liceat ad contionandum?*

2.° *An missionarius petere possit a socio in quibusnam capitibus insistendum sit in habendis contionibus, si ille ex notitia confessionis sit responsurus?*

3.° *Quid de* ALBERICO *sentiendum?*

SOLUTIO:

760. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.,* secluso speciali revelationis periculo, et paenitentium gravamine. Ratio est, quia *per se* nulla est confessionis manifestatio, nullumque incommodum pro paenitentibus,

nisi in casu particulari aliquis videatur designari. Sed doctrina communis semper doceri potest; secus enim missionarius, multis auditis confessionibus, iam de nulla re loqui posset. *S. Alph.*, n. 654; *Elbel*, n. 525.—V. **Comp.**, n. 778.

761. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.*, si agatur de loco angusto seu qui non constet tribus hominum millibus, secus si locus sit amplissimus; quia, in priori casu, facile potest intervenire odium sacramenti ex gravamine paenitentium; secus autem in posteriori casu. Ceterum facilius et convenientius resciet missionarius ab *ipso parocho*, de quibusnam populus cum maiori fructu sit instruendus. *S. Alph.*, n. 654.

762. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° ALBERICUS, missionarius, uti potest notitia confessionis ad contionandum, adhibita tamen cautela, ne suspicionem hanc in auditores ingerat. 2.° Cavere debet ne, utendo notitia confessionis contionandi gratia, nimius sit. Cautius agat in angusta paroecia, et praesertim in coetibus religiosis valde exiguis. Licet autem auditio confessionum utilis sit ad contionandum, verum non est eam adeo necessariam esse. Nonne confessarius in aliis locis, vel religiosis communitatibus, sufficientem acquisivit experientiam, ut cum fructu praedicare possit, quin statim audiendis confessionibus vacare debeat? Vide tamen dicta supra, n. 750.

CASUS VI

QUID MISSIONARIUS DE SIGILLO 2.°

URBITUS, missionarius, ex notitia confessionis narrat quid sit talis regio, talis civitas vel pagus: «Hic, ait, regnat ingens morum corruptio, illic mirabilis morum innocentia; alibi nullus iam adolescens in statu gratiae reperitur; ibi innumerae confessiones generales fiunt, seu sacrilegae confessiones iterantur, alibi pauciores; *hodie in retibus meis captus est piscis ingens*, etc...». Exponit parochis quid de eorum paroecia sentiat, quamvis cum paroecianis non egerit nisi in tribunali paenitentiae. Eos admonet ut invigilent iuvenibus utriusque sexus, ne se mutuo pertrahant ad peccandum; nocturnos conventus aut alia huiusmodi impedire satagant, et mitius aut severius erga paroecianos agant. Facilem etiam sermonem habet inter prandendum de numero et qualitate paenitentium: «Hodie, ait, hum! pinguem feci venationem! Hominem habui qui a triginta annis non erat confessus; accessit amplissima matrona, vir specie externa spectabilis; decem confessiones sacrilegas iterare debui, etc...».

HINC:

QUAER. 1.° *An missionarius ex notitia confessionis dicere possit quid sit talis regio respectu morum? quid talis civitas? quid talis pagus?*

QUAER. 2.° *An possit monere parochos de vitiis et abusibus ex sola confessione cognitis?*
3.° *Quid de* URBITIO *dicendum?*

SOLUTIO:

763. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.,* si locus sit satis angustus, v. gr., si non constet tribus hominum millibus *circiter;* secus, si oppidum sit valde amplum, *et crimina publica saepius ibi patrentur.* Ratio est, quia, si sit locus angustus, licet tunc non reveletur persona, revelatio tamen redundat in infamiam totius communitatis et proinde cadit etiam in gravamen paenitentis qui illius communitatis membrum est; et ideo ex tali revelatione confessio odiosa ei redderetur. Incommodum autem illud non invenitur, si de magna civitate agatur, *ubi crimina publica* saepius patrentur. *S. Alph.,* n. 654, et alii communissime, contra paucos, quorum alii dicunt sigillum in nullo quantumvis angusto loco violari, et alii rigidiores qui dicunt ubique violari. Vide dicta supra, n. 750.

764. — *R. ad* 2m *Quaes.* Generatim *negandum* est, ob imminens revelationis periculum, praesertim si loca et circumstantiae particulares declarentur. Secus tamen, si paroecia sit amplissima et defectus generales tantum manifestentur, in sensu distinctionis iam modo factae. Verum, si agatur de vitiis generalibus tantum, numquid haec a parocho melius quam a missionario non cognoscuntur? quid igitur proderit manifestatio quam missionarius parocho faciet?

765. — *R. ad* 3m *Quaes.* URBITUS, missionarius, in pluribus sigillum confessionis *indirecte* violavit, et in aliis imprudenter locutus est. Etenim periculo revelationis sacrilegae se exposuit admonendo parochos ut nocturnos conventus et alia similia impediant, et dicendo aliquem non esse confessum a triginta annis, licet non nominetur, ob revelationis periculum, nisi paroecia sit amplissima, vel paenitentes ex aliis paroeciis etiam confluant.

766. — Male etiam fecit loquendo de numero confessionum sacrilegarum quas iterare debuit. In ceteris nulla est sigilli violatio; sed non raro imprudentia, inutilis loquacitas necnon iactantia, quae in viro apostolico in aedificationem non cedit. Praestat sane omnino silere de iis omnibus quae in confessionibus excipiendis peracta sint, licet sigillum nulli periculo exponatur. Cave praesertim, o missionarie, ne quidpiam dicas de auditis vel peractis quibuscumque in tribunali paenitentiae in mediis sacerdotum coetibus, vel inter prandendum, praesertim coram muliere ad mensam ministrante. Cfr. dicta n. 750. **Comp.,** n. 771 seq.

CASUS VII

COMPLICES CORAM EODEM CONFESSARIO

Uno fatente, altero silente

RANULPHUS et FLORINA, sponsi, matrimonium mox contracturi, confitendi gratia ad LAMPRIDIUM, parochum, accedunt. Prior confitetur FLORINA, quae, inter alia, peccatum cum sponso pluries patratum exponit. Succedit vice sua RANULPHUS, qui, peracta confessione, absque ulla peccati supradicti mentione, absolutionem postulat. Anxius autem confessarius interrogat tum generalius, tum particularius, urget et premit paenitentem iterum iterumque negantem, et prior ipse torquendo torquetur. Quid miser? Si absolvat, horrendum sequitur sacrilegium; si dimittat, aperta sigilli violatio. In hac tanta animi perplexitate versanti, lux aliqua affulgere videtur. RANULPHUM inducit et repugnantem determinat ad unius diei dilationem praetextu maiorem frugem ex sacramento colligendi, sed revera ut a FLORINA etiam rediura licentiam de peccato communi cum sponso loquendi, caute petere possit. Insuper ad tantum incommodum in posterum praecavendum, firmiter statuit, quoties in sacro tribunali sibi occurrent complices, a priori confitente praedictam licentiam postulare.

HINC:

QUAER. 1.° *An possit postulari a paenitente licentia loquendi de expositis in confessione, imprimis cum complice, et an expediat? quid in casu nostro?*

2.° *An confessarius possit vel debeat absolvere paenitentem negantem peccatum, quod novit confessarius intra confessionem?*

3.° *Quid de agendi ratione confessarii?*

SOLUTIO:

767.—*R. ad* 1^m *Quaes.* Confessarius sane potest licentiam postulare a paenitente ut utatur notitia confessionis tali vel tali modo, quia, cum sigillum confessionis in favorem paenitentis constitutum sit, obtenta ab eo licentia, corruit haec obligatio. Generatim vero talem licentiam a complice primo confitente raro petere expedit; nec debet praesumere confessarius quod alter, confitendo, peccata sua celaturus sit; esset tamen aperta sigilli violatio, si confessarius licentiam illam ab uno complice peteret postquam alter iam confessus esset; quia inde oriretur suspicio gravis quod hic peccatum suum non fuerit confessus. *S. Alph.*, n. 631; *Elbel*, n. 454, *et alii communiter.*—In casu nostro *imprudentissime* egit confessarius, quia periculo proximo sigillum violandi se exposuit, quantumvis caute egerit.

768. — *R. ad* 2m *Quaes.* Iuxta *communiorem et probabiliorem* sententiam, confessarius *potest* et *debet* talem paenitentem *saltem sub conditione* absolvere, si peccatum ex sola complicis confessione noverit, prout dictum est supra, n. 179 et **Comp.**, n. 725. — Iuxta omnes, non potest aperte negari absolutio, neque quidquam dici a confessario, quod paenitenti ingerat suspicionem peccati cogniti; quia confessarius nequit uti notitia confessionis ad negandum sacramentum alicui paenitenti, uti patet ex dictis.

769. — Confessarius igitur debet caute interrogare modo generali, sicut fecisset si complicis confessionem non audivisset; non autem potest specialiter de illo peccato interrogare, nec debet esse nimius in interrogationibus generalibus repetendis, quia in hoc esset periculum revelationis. Si confessarius rem extra confessionem ex aliorum relatione novisset, interrogare quidem posset paenitentem; sed generatim ipsi credere potius quam aliis deberet. V. **Comp.**, l. c.

770. — *R. ad* 3m *Quaes.* LAMPRIDIUS male egit, ut patet ex dictis. Debuisset igitur prudenter forma generali RANULPHUM interrogare, et negantem absolvere, vel *absolute* vel saltem sub tacita conditione: *si es dispositus;* sic enim prospicitur tum reverentiae sacramenti, tum sigillo confessionis servando, et simul saluti paenitentis, si forte in bona fide versetur. Neque frangitur sigillum per tacitam conditionem, cum nulla confessionis revelatio, nec ullum paenitentis gravamen interveniat.

CASUS VIII

LAICUS DE SIGILLO

FERFELLIUS, coniugatus, immediate post uxorem suam confitetur, et inter cetera dicit: «Pater, me miserum! quid faciam? Ecce! modo audivi uxorem meam se accusantem de fornicatione cum fratre meo patrata, priusquam mihi nupserit. Statui iam eam dimittere; nolo illam amplius in uxorem agnoscere». Confessarius, omnino obstupefactus, nescit prorsus quid ipsi respondere possit aut debeat, ne sigillum prodat, et etiam ne falsum dicat. Ut autem e vadis emergat, paenitentem acriter carpit ex eo quod confessionem uxoris auscultaverit. FERFELLIUS vero indignabundus recedit, et uxorem conviciis oppressam a se dimittit, cognatisque de divortio mirantibus, rem totam narravit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* FERFELLIUS *in his graviter sigillum sacramentale violaverit?*

2.° *An obligatus fuerit non solum ad uxorem servandam, sed etiam ad debitum ei reddendum?*

3.° *Quid confessario fuisset agendum?*

SOLUTIO:

771. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° FERFELLIUS graviter peccavit, confessionem uxoris audiendo, ut patet. — 2.° Graviter sigillum sacramentale violavit uxorem increpando, eam dimittendo, et ea quae ex confessione audiverat aliis narrando. Ratio est, quia usus est notitia ex confessione sacramentali acquisita ad agendum externe, cum maximo uxoris gravamine, immo et eius peccatum ex sola confessione cognitum directe revelavit; ergo multipliciter legem sigilli violavit.

772. — *R. ad* 2m *Quaes.* Nulli dubium esse potest FERFELLIUM obligatum fuisse ad habitationem cum uxore conservandam, quia non potuit eam dimittere quin ageret externe ex notitia confessionis, cum gravamine maximo mulieris. *Controvertitur* autem utrum obligatus fuerit ad debitum uxori reddendum. *Probabilius* negandum videtur. Ratio est, quia nunquam licet facere quod est intrinsece malum: atqui habere copulam fornicatoriam cum uxore illegitima, seu ex invalido matrimonio sibi coniuncta, est quid *intrinsece* malum; ergo etiamsi cognoscatur aliquid esse tale, ex notitia confessionis, non licet id peragere, utpote intrinsece malum; esset enim formalis fornicatio. Deus autem per sigilli obligationem non potest velle id quod est intrinsece malum; ergo reapse FERFELLIUS non tenetur debitum uxori reddere. *Lacroix,* n. 1978. — V. infra, n. 780. Aliqui dicunt Deum in hoc casu, ob sigilli reverentiam, concedere viro ius in corpus coniugis, non obstante matrimonii invaliditate. Ita *Lugo,* De iust. et iur., d. 17, n. 47. — V. **Comp.**, n. 779.

N. B. Hic supponitur matrimonium contractum fuisse ante Codicem. Si confessio et reliqua contigerint post Codicem, poterit a FERFELLIO peti sanatio in radice ad cautelam et uxorem reddere certiorem de obtenta sanatione. Cfr. supra, nn. 741-744. FERFELLIUS poterit etiam invitare uxorem ad renovandum consensum, sed forte illa nollet, ne eo ipso suum crimen fateri videatur, ad quod non tenetur.

773. — *R. ad* 3m *Quaes.* Confessarius summopere cavere debuisset, ne verbis suis rei veritatem confirmare videretur. Non potuisset igitur ulla monita particularia paenitenti praebere, ex quibus censeretur peccatum uxoris supponere. Sed, praemissa non adeo acri et vehementi obiurgatione ex eo quod aurem uxori confitenti admoverit, dicere debuisset res plerumque male audiri quando submissa voce proferuntur, et insuper ipsi non licitum esse uti notitia ex confessione habita, etiamsi aliquam certo acceperit, quod tamen existimare non debet.

CASUS IX

CONFESSARIUS A PAENITENTE DECLINANS

Ob incommoda ex praecedenti confessione cognita

1.° PASCHALIS, religiosus, in ecclesiam monasterii ad audiendam alicuius mulieris confessionem advocatus, et resciens illam esse BERTHAM, se excusat ab illa audienda, dicens tempus sibi deficere seu aliquo urgenti negotio detineri; alia autem secreta ratione movetur. Cupisne scire quaenam sit? Accipe. Alias eamdem BERTHAM iam audivit in confessione, et experientia novit eam esse admodum prolixam, morosam, taediosam, immo et scrupulosam; quapropter tanto oneri se subtrahere satagit.

2.° FAUSTINUS, sacerdos, ad confessionem RUTILLAE excipiendam accersitus, excogitato aliquo praetextu, se ab ea audienda excusat. Quare? Quia graves tentationes iam alias eam audiendo expertus est, et putat sibi periculosum esse si eam iterum audiat; nec existimat se teneri, cum propriae animae periculo huius mulieris confessionem excipere. Postea tamen timet ne sigillum confessionis violaverit.

HINC:

QUAER. 1.° *An confessarius declinare possit confessionem alicuius paenitentis, quia novit eum ex alia confessione esse intricatum, prolixum, aut male dispositum?*

2.° *An confessarius se excusare possit ab audienda aliqua muliere, quia ex eius confessione scit eam sibi esse periculosam?*

SOLUTIO:

774. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° *Neg.* quoties alii id animadverterent et in suspicionem de conscientia paenitentis venirent. Item quoties causam repulsae suspicari posset ipse paenitens, quia hoc cederet in eius gravamen; posset enim id habere ut tacitam exprobrationem suorum peccatorum, aut sui modi confitendi. *S. Alph.*, n. 659; *Lugo*, etc.

775. — 2.° *Neg.*, etiam *probabilius*, etsi nullus, ne paenitens quidem, suspicari posset eius confessionem a confessario declinari, v. gr. quando praetextus valde legitimus apparet, ut confessarius vocatus non accedat. Ratio est, quia etiam in hoc casu confessarius utitur notitia confessionis ad faciendum externe aliquid in se paenitenti ingratum, licet hic id nesciat. Quare, si confessarius nolit curam spiritualem istius suscipere, hoc ipsi in tribunali paenitentiae declarare debet; etenim, licet fuga e confessionali, aut excusatio ex praetextu apparen-

ier iusto non redderet confessionem tali paenitenti odiosam, eam tamen fidelibus odiosam redderet; quia, si scirent fideles posse confessarios ex colorato praetextu aufugere ab ipsis, ob notitiam de statu ipsorum conscientiae in confessione acceptam, facile gravamine afficerentur. *Roncaglia,* c. 2, q. 6; *Lugo,* disp. 23, n. 117, etc., contra *plures.*

776. — Licite tamen confessarius se celabit, si iustam habeat causam ob quam ab aliis etiam paenitentibus aeque excusari valeret. Nec obstat quod tunc paenitens etiam suspicari posset confessarium se celare ob audita sua peccata; nam in eo casu eius suspicio temeraria foret, et confessarius eam vitare non teneretur. Itaque potest et debet se gerere erga talem paenitentem, quemadmodum se gereret erga alium cuius confessionem nunquam excepisset. *S. Alph.,* n. 659.

777. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° *Affirm.,* si periculum illud proveniat ex eo quod ab ista muliere sollicitatus fuerit ad peccatum in praecedenti confessione. Ratio est, quia provocatio illa ad malum non est peccatum sub sigillo confessionis sacerdoti commissum; etenim non est peccatum quod paenitens confitetur, sed quod patrat inter confitendum, absque ulla connexione ad confessionem quatenus sacramentalem.

778. 2.° *Neg.,* si confessarius ex notitia confessionis sciat talem paenitentem solere extraordinaria confiteri peccata, ex quibus ille vehementer ad libidinem excitetur. Ratio est, quia notitiam huius periculi non habet nisi ex cognitione peccatorum paenitentis, et proinde periculum illud strictam connexionem habet cum eiusdem confessione; quapropter pergere debet ad illam confessionem excipiendam, divino fretus auxilio, a quo sane in his angustiis non destituetur. *Lugo,* disp. 23, n. 116, *et alii communius* contra *plures.*

CASUS X

PERPLEXUS CONFESSARIUS RATIONE SIGILLI 1.°

1.° COLUMBINUS, parochus, peracto Sacro, excipit DAMASI confessionem; sed absolutionem ei ad aliud tempus differt, ut pravae consuetudinis emendationem procuret. Sed ecce, dum parochus solus adstat in ecclesia, horis recitandis intentus, accedit ad eum DAMASUS, organs ut communionem sibi ministrare velit. Haeret primum anceps COLUMBINUS, et postea nutu capitis significat se eius petitioni obtemperare nolle.

2.° SIAGRIUS, laicus, accedit ad REMUNDUM parochum, confessiones excipientem, et ipse, vice sua, conscientiae secreta pandens, ait: «Pater, ego miserrimus hominum, socius fui plurium perversorum hominum, qui de nece tibimetipsi inferenda condixerunt; modo scele-

ris horrore perculsus, peccatum meum confiteor, et de illo intime doleo». Parochus, his auditis, mirum in modum perturbatur; attamen vehementi nisu secum luctans, religiose exsequi curat quidquid ad suum ministerium pertinet. Dimisso autem illo paenitente, nescit an surgere possit et fugere, ut vitae suae provideat, ceteris paenitentibus derelictis.

HINC:

QUAER. 1.° *An* COLUMBINUS *violaverit sigillum confessionis denegando communionem* DAMASO?

2.° *An* REMUNDUS *in secundo casu potuerit, illaeso confessionis sigillo, abire et vitae suae consulere?*

3.° *An liceat confessario recedere a paenitente, mortem ipsi minitante ob absolutionis denegationem?*

SOLUTIO:

779. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.,* quia COLUMBINUS notitia confessionis usus est cum paenitentis gravamine. Nec obstat quod paenitens occulte sacramentum petat, quia violatur sigillum confessionis, non solum aliis manifestando aliquid ex confessione cognitum, sed etiam aliquid agendo quod paenitenti onerosum esse potest. *S. Alph.,* n. 658; *Lacroix,* l. 6, part. 1, n. 145, *et alii communiter* contra *aliquos.* V. **Comp.,** n. 777.

780.—*R. ad* 2m *Quaes.* 1.° REMUNDUS abire potuit, illaeso confessionis sigillo, si ex tali cautione minime manifestabatur peccatum auditum, nec ullum gravamen pro paenitente sequebatur. *S. Alph.,* n. 659; *Lugo,* d. 23, n. 108; *Billuart,* diss. 8, art. 5, *et alii communiter.*

2.° Secus vero dicendum, si fugere nequibat, quin aliquo modo aperiret tale peccatum fuisse sibi revelatum, quia fuga illa fuisset tunc indirecta peccati auditi revelatio. Hinc iuxta *plures* non posset confessarius a celebratione Missae abstinere, quando novit in confessione ex aliquo criminis complice venenum in urceolo vini infusum esse, si alii complices intelligerent crimen ab aliquo sociorum revelatum fuisse. *S. Alph.,* n. 659; *Lugo,* d. 23, n. 110; *Elbel,* n. 524. — Attamen cum sumere calicem veneno infectum idem sit ac *directe* se ipsum occidere, quod est intrinsece malum, communius negant sacerdoti in casu id licere. V. **Comp.,** n. 779. Cfr. supra, n. 772.

781. — Excipe si confessio non sit sacramentalis, sed simplex communicatio, ut patet. Item si confessarius admoneretur quidem intra confessionem de insidiis sibi praeparatis, sed monitio illa nullatenus ad confessionem pertineret, v. gr. si paenitens non esset complex in proposito confessarium occidendi, sed illud fortuito, vel ex secreto novisset. Sequitur ex dictis.

In casu vero in quo confessio esset vere sacramentalis, paenitens

eneretur dare confessario licentiam utendi notitia ipsi in confessione communicata, ut ille a periculo se eximere posset, saltem si hanc absque periculo gravis damni proprii dare posset; quod si eam iniuste deneget, absque absolutione utpote indispositus dimittendus est.

782. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.*, modo ab aliis non advertatur hoc fieri ob denegatam absolutionem. Ratio est, quia ibi nulla sequitur sigilli violatio; minae enim illae non fuerunt materia illius confessionis, sed peccatum ibi commissum coram ipso confessario. Immo potest aliis dicere quod fugiat ob mortis periculum, et auxilium advocare, licet revelare non possit quod propter negatam absolutionem paenitens sibi mortem minatus sit. Si autem fugere possit quando minae intentantur, proinde similiter poterit postea non redire absque illa sigilli revelatione, ob eamdem rationem. Confessio enim cessat esse sacramentalis ex momento quo mors intentatur. *Lugo,* disp. 23, n. 116.

CASUS XI

PERPLEXUS CONFESSARIUS RATIONE SIGILLI 2.°

1.° HUGOLINUS, confessarius, audit ex confessione TITII ecclesiam in qua celebrare solet modo pollutam esse. Postquam discessit ille paenitens, insurgit in mente confessarii difficultas ad quam prius non attenderat. Quid de celebratione Missae die sequenti? Si ibi Sacrum faciat, legem Ecclesiae gravem infringet; si celebrationem omittat, sigillum confessionis violabit. Inter malleum et incudem constitutus, HUGOLINUS nescit prorsus quo se vertat. Tandem, excogitato aliquo praetextu, in alium discedit.

2.° PATERNUS, sacerdos, confiteri solet ALBERTO, quem pium reputat presbyterum. Sed ecce! ALBERTUS vice sua ad pedes PATERNI provolutus confitetur, et inter alia infandum crimen pandit, scilicet, se simulatum esse sacerdotem. Obstupefactus horrescit PATERNUS, et paenitentem non absolutum dimittit ad paenitentiam peragendam, antequam confessio perficiatur. Sedata autem animi perturbatione, cogitare coepit de alia difficultate, scilicet, utrum ipse possit aut debeat ALBERTO adhuc, sicut antea, confiteri.

HINC:

QUAER. 1.° *An possis, vel tenearis celebrare in ecclesia quam novisti ex confessione esse pollutam?*

2.° *An possis, vel tenearis confiteri illi cui solitus es confiteri, si ex confessione noveris illum non esse sacerdotem?*

SOLUTIO:

783. — *R. ad* 1m *Quaes. Controvertitur.* Duplex est sententia probabilis, speculative loquendo:

I.ª SENTENTIA, *probabilior,* ut videtur, *affirmat.* Immo, confessarius non tantum potest, sed debet facere sicut alias fecisset, seclusa confessionis notitia. Ratio est, quia prohibitio non celebrandi in ecclesia polluta non attingit confessarium, qui factum pollutionis non novit nisi ex confessione. Tunc enim is nihil prorsus scire censetur; ex mutatione vero loci, vel propositi, sequeretur usus illicitus notitiae confessionis. *Sporer,* n. 874, etc.

II.ª SENTENTIA *negat.* Ratio est, quia ex una parte urget praeceptum non celebrandi in ecclesia polluta, et ex alia parte minime urget praeceptum servandi sigillum, cum nullum adsit periculum revelationis apud alios, neque damni paenitentis. Haec sententia, ait *S. Alph.,* n. 660, est *satis probabilis,* si nulla fiat revelatio indirecta, nec ullum sequatur gravamen paenitentis, v. gr. si confessarius iustum praetextum alibi celebrandi exponat.

Ceterum iste casus raro in praxi evenit. Etenim, cum ad pollutionem *publica* et notoria violatio ecclesiae requiratur, difficile est ut ecclesia sit polluta, quin confessarius id extra confessionem cognoverit.

784. — *R. ad* 2m *Quaes. Controvertitur.* Alii *negant,* quia simulare receptionem sacramenti, est quid intrinsece malum; ergo non tantum potes sed debes desinere huic simulato sacerdoti confiteri. V. **Comp.,** n. 779.

Alii *affirmant,* quia, ad vitandam talem simulationem, sufficit ut intentionem non habeas absolutionem recipiendi, cum eam accipere non possis, et hoc declares, accepta eius licentia. Etenim intrinsece malum non est, si peccata tua declares sine intentione recipiendi absolutionem; porro ex causa gravi huiusmodi simulatio, vel cooperatio ad peccatum illus hominis, est licita ut mere materialis. Potes igitur et debes illi confiteri, saltem simpliciter aliquod peccatum manifestando, sine intentione absolutionis, vel potius petere ab ipso licentiam eum relinquendi, etiam sub poena non concedendae absolutionis. *S. Alph.,* n. 660, in fine; *Lugo,* disp. 23, n. 105; *Lacroix,* n. 1978.

Ceterum huiusmodi casus fere chimaericus videtur. Difficile enim evenire potest ut quis declaret in confessione se non esse sacerdotem, et tamen velit confessarium cogere ad sibi confitendum.

CASUS

DE EXTREMA UNCTIONE

SEU

De materia, forma, ministro, subiecto et obligatione extremae unctionis.

CASUS I

MATERIA EXTREMAE UNCTIONIS 1.°

ARCONTIUS, parochus, repente in medio prandio advocatur ad succurrendum MARCO, qui in subitam agoniam incidit. Dum ipse recta properat ad eum absolvendum, mittit RUFUM, vicarium suum, ut oleum sanctum quam citissime afferat. Vix confessionem morientis quoquo modo excepit, absolutionemque ei impertivit, ecce adest vicarius oleum deferens. Parochus tunc, timens ne tempus deficiat singulis unctionibus ordine peragendis, mandat RUFO ut inferiores partes aegri perliniat, dum ipse superiores inungit. Uterque autem singulas formas unctionum proprias adhibuit. Deinceps, dum MARCUS adhuc viveret, nescio quae dubitatio parochum incessit, utrum scilicet tali modo sacramentum licite et valide fuisset administratum. Ut angoribus finem imponeret, ipse solus sacramentum iterare statuit. Re autem perfecta, ecce nova dubitatio et anxietas maior ipsi supervenit. Etenim, dum attentius in sacrum vasculum oculos converteret, perpexit cum stupore oleum catechumenorum loco olei infirmorum per errorem a vicario fuisse allatum. Quapropter dubitat iterum de valore sacramenti iam bina vice collati. Mandat statim RUFO, ut oleum infirmorum afferat. Properat quidem ille, sed antequam revertatur, moribundus efflat animam, et gemebundus recedit parochus.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis sit materia valida extremae unctionis?*
2.° *An fuerit validum sacramentum cum oleo catechumenorum?*
3.° *An fuerit a duobus ministris valide et licite collatum, prout in casu?*
4.° *Quid, si unus formam proferret, dum alter ungeret?*

SOLUTIO:

785. — *R. ad* 1m *Quaes.* Materia remota extremae unctionis est oleum ab Episcopo benedictum. Constat ex Conc. *Trid.*, sess. 14, De extrema unctione, necnon ex can. 937, 945. Materia vero proxima est unctio quarumdam partium corporis, quae sunt saltem quinque sensus (can. 947, §§ 2, 3). V. **Comp.,** n. 830.

R. ad 2m *Quaes. Probabilius negative.* Codex enim ait: «Oleum olivarum, in sacramento extremae unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo, vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit» (can. 945). Certo tamen non constat de nullitate, quare in casu necessitatis, deficiente oleo infirmorum, chrisma vel oleum catechumenorum adhibendum est. *S. Alph.,* n. 709.—V. **Comp.,** nn. 833 et 254.

786.—*R. ad* 3m *Quaes.* Valide et licite extrema unctio collata est a duobus ministris in casu: 1.° *Valide,* quia sacramentum illud ex pluribus unctionibus et verborum formis dividuis coalescit, ita ut unctio quaelibet cum sua forma particulari habeat significationem integram, et ab alia forma independentem aptamque ad suum effectum producendum; quare nihil obstat, quominus vel *successive* vel *simul* a pluribus ministris confici possit.

2.° *Licite,* quia, posito sacramenti valore, periculum ne infirmus decedat antequam omnes unctiones perficiantur, licitum efficit ut eodem tempore minister unus superiores partes inungat, dum alter inferiores inungit; id tamen extra necessitatis casum absque culpa gravi fieri non potest, quia est contra ritum gravem et praxim Ecclesiae. *S. Alph.,* n. 724; *Voit,* n. 906; *Suárez, Lugo,* etc. V. **Comp.,** n. 839.

Nihilominus praestaret uti forma breviori, ut ex dicendis infra, n. 791, patebit.

787. — *R. ad* 4m *Quaes.* Invalidum foret sacramentum. Ratio est, quia idem sacerdos orare et ungere debet, ut patet ex epistola S. Iacobi: *Orent super eum* (infirmum), *ungentes eum oleo.* Constat etiam ex constanti praxi Ecclesiae. *Voit,* n. 905.

* CASUS II

MATERIA EXTREMAE UNCTIONIS 2.°

SABANUS, sacerdos, repente ad moribundum vocatus, dum festinaret quam citissime, erravit quoad oleum, et aegrotum sacro chrismate perlinivit. Dum vasculum claudit, obstupens ad errorem advertit. Dubius haeret an sit sacramentum iterandum. Ad tutiorem partem amplectendam propendit. Verum vix unctionem oculorum peregerat,

cum advertit aegrotum ita deficere ut nullum amplius vitae signum in illo appareat. Quapropter reliquas unctiones omittit. Sed ecce! posito aliquo intervallo, exclamant adstantes mulieres: *Vivit! adhuc vivit!* Attonitus respicit sacerdos, et cernit aegrotum reapse respirare et oculos aperire. En nova difficultas. Quid tu ipsius loco? Ipse vero, dubio perpenso, unctiones iam prius factas non sine angore repetit, ceteras subinde adiecturus; sed vix sequentem unctionem inceperat, cum absque ullo dubio aeger decedere *videtur*. Tunc ad tutius SABANUS unctiones reliquas perficit.

HINC:

QUAER. 1.° *An validum fuerit sacramentum cum chrismate collatum, vel an iterandum fuerit?*

2.° *An recte* SABANUS *unctiones oculorum iteraverit, cum advertit aegrotum non esse mortuum?*

3.° *An recte ceteras unctiones ultima vice prosecutus sit?*

4.° *Quid agendum fuisset* SABANO, *si advertisset tempus deficere ad omnes unctiones faciendas?*

5.° *An unctio quinque sensuum sit de necessitate sacramenti?*

SOLUTIO:

788. — *R. ad* 1m *Quaes. Negative, probabilius,* iuxta dicta in casu praecedenti, ad quaestionem secundam. V. **Comp.,** n. 833.

789. — *R. ad* 2m *Quaes.* Distinguendum est: recte egit, si intervallum ab unctione oculorum fuerit longum, v. gr. *unius quadrantis,* quia non potest tunc dari connexio moralis inter praedictas unctiones et sequentes. Licet enim singulae unctiones cum forma propria significationem ab aliis unctionibus independentem habeant, ordinari tamen debent ad earum complementum, et sacramentum, iuxta sententiam inter antiquos communiorem, in ultima tantum unctione perficitur, quia ex omnibus unctionibus simul sumptis constat. Variae igitur partes eiusdem sacramenti nimis distarent a se invicem. Deficiente vero unione morali inter varias unctiones, corruit probabiliter sacramenti validitas. Secus dicendum si breve tempus ab unctionibus oculorum effluxerit, ob oppositam rationem. In dubio tutior pars sequenda est. *Gobat,* n. 878; *Tambur.,* etc. Cfr. infra, n. 790.

790. — *R. ad* 3m *Quaes.* Bene egit SABANUS reliquas unctiones ultima vice prosequendo, cum probabiliter omnes homines adhuc vivere pergant per aliquod temporis spatium post instans illud, quod communiter mortis instans esse creditur. Cfr. infra, n. 1221 seq.

791. — *R. ad* 4m *Quaes.* SABANUS advertens tempus deficere, aut probabiliter defecturum ad omnes unctiones faciendas, debuisset facere unctionem unicam in pectore aut consultius in capite, e quo omnium sensuum nervi descendunt, ut ait *Benedictus XIV,* et adhibere bre-

viorem formam approbatam a S. Officio, die 25 apr. 1906, sequenti modo: *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.* Si autem aeger supervivat, unctiones in singulis sensibus cum forma propria fieri posse videntur ad maiorem sacramenti significationem (1). Cfr. *Ferreres*, apud *Razón y Fe,* vol. 16, pag. 236; *Vermeersch,* De religiosis, Suppl. per., vol. 3, pag. 58, n. 182; *Coppin-Stimart*, Sacr. lit. Comp., n. 686, edit. 4.ª; *Tanquerey-Quevastre*, n. 1260. Supplendas esse tantum orationes, non vero unctiones dicebant Card. *Gennari* apud *Il Monitore,* vol. 19, pag. 232; *Lehmkuhl,* n. 718, et in Comp., n. 938.—V. **Comp.,** n. 838.

Ex dictis n. praecedenti patet, quod si unctiones fieri coeptae sint cum infirmus certe viveret, prosequendae semper erunt, saltem sub conditione *si vivis*, donec perficiantur, quamvis infirmus interea obiisse videatur.

792.—*R. ad* 5m *Quaes.* Sententia *negativa* dicebatur a *S. Alph.*, n. 710, speculative probabilis; immo post decretum S. Officii 25 apr. 1906 et post novum Codicem (can. 947), videtur dicenda certa: quia forma illa brevis unicam exigit unctionem. Hoc dicitur certum ab *Ephem. liturg.*, vol. 20, pag. 451; ab *Il Monitore,* vol. 19, pag. 231, et a *Lehmk.*, n. 718, et in Comp., n. 938. Vide *Razón y Fe,* vol. 16, pag. 236.

In praxi et *extra casum necessitatis,* sub gravi praecepto, unctio quinque sensuum servanda est. Hanc quinque sensuum unctionem ad essentiam probabiliter requiri, *si adhibeatur ritus ordinarius*, tenet adhuc *Lehmkuhl,* ll. cc., licet libenter admittat probabilitatem oppositae sententiae. **Comp.,** n. 834.

CASUS III

MINISTER EXTREMAE UNCTIONIS

PHILEMON, parochus, 1.° alias ex incuria, alias urgente moribundi periculo, extremam unctionem ministrat sine stola, vel sine superpelliceo, vel sine lumine, aut etiam sine ministro, immo aliquando his omnibus simul praetermissis.—2.° Facile etiam brevitatis causa, varias omittit orationes, nec inungendo attendit ad cruces efformandas, neque ad servandum unctionum ordinem.—3.° Si oleum sacrum ipsi deficiat, guttulis illius reliquis magnam copiam olei non benedicti infundit, quia, ait, sicut modicum fermentum totam massam corrumpit, ita etiam modicum oleum sacrum magnam olei copiam consecrat. Alias oleum

(1) Quod hic iam dicebamus in editione anni 1914, confirmatum fuit per Codicem: «In casu necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviori, salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo» (can. 947, § 1).

superfluum anni praeteriti de industria servat, ut eo in casu necessitatis utatur. — 4.° Si Viaticum simul cum extrema unctione ministrandum est, hoc vel illud indiscriminatim praeponit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quinam ritus in extrema unctione servandus sit?*
2.° *An in necessitate sacerdos aegrum ungere valeat sine veste sacra, et ritu alias praescripto?*
3.° *An Eucharistia prius, aut extrema unctio ministranda sit, quando utrumque sacramentum eodem tempore conferendum est?*
4.° *An vel quomodo in singulis* PHILEMON *peccaverit?*

SOLUTIO:

793. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Sacerdos debet esse indutus superpelliceo et stola violacea. 2.° Debet adesse clericus inserviens, saltem unus ad deferendam aquam benedictam, aspersorium, necnon ad variis orationibus respondendum, etc. 3.° Recitandae sunt orationes a rituali praescriptae. Sic in *Rituali Romano*. 4.° Saltem probabilius debet etiam adesse lumen, ad minus tempore collationis sacramenti: sic ex consuetudine universali. 5.° Unctiones fieri debent per modum crucis, ut iam dictum est.

794. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* saltem *probabilius*. Ratio est, quia licet illud sacramentum forte non sit necessarium, est tamen valde utile; quare non praesumitur quod Christus, qui illud instituit in subsidium infirmorum in ultimo agone pugnantium, voluerit eos potius tanto bono privari, quam aliquem ritum omitti. Praeterea communiter admittitur posse ministrari Viaticum sine ulla veste sacra, urgente necessitate; ergo a fortiori extrema unctio, quae minorem requirit solemnitatem, cum minor sit eius dignitas. Ita *communiter* contra *plures. Lacroix,* n. 2116; *S. Alph.,* n. 726.

795. — *R. ad* 3m *Quaes.* Eucharistia priori loco ministranda est, ex praxi Ecclesiae et Rituali Romano; attamen inversio peccatum veniale non excedit, iuxta *Suárez, Lacroix et alios*. Stante autem aliqua iusta causa, inversio omni culpa vacabit.

796. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° PHILEMON nullum peccatum commisit, varias orationes et varios ritus accidentales et vestes sacras, *urgente necessitate,* omittendo. *S. Alph.,* nn. 724 et 728. — 2.° Peccavit *mortaliter,* praeter casum necessitatis, omittendo sive orationes varias, sive vestes debitas, sive plerosque ritus praescriptos. *S. Alph.,* ibid. — 3.° Peccavit etiam *mortaliter,* magnam quantitatem olei non benedicti cum parva quantitate olei sacri miscendo, et invalide sacramentum ministravit, cum invalidam materiam adhibuerit. Licet quidem oleum non benedictum in oleum sacrum infundere in casu necessitatis, sed semper in minori quantitate, et tunc revera tota olei quantitas est vere consecrata. *S. Alph.,* n. 708; C. P. **Amer. lat.,** n. 570; **Manil.,**

n. 674; **Comp.,** n. 832. — 4.° Peccavit autem *venialiter,* omittendo aliquas breves orationes, aliquosque ritus non essentiales: v. gr., non adhibendo signum crucis, etiam in unctionibus, vel ordinem unctionum invertendo, etc. *S. Alph.*, nn. 726, 727, 728. De peccato veniali etiam arguendus est, ex eo quod extremam unctionem sacro Viatico praemiserit, ut sequitur ex dictis in responsione ad 3^{m} quaes. Attamen, stante aliqua causa etiam mediocri, id omni peccato vacaret.

Probabilius peccavit saltem *leviter* extremam unctionem ministrando, extra necessitatis casus, absque lumine, vel absque ministro; sed *certo* de peccato non constat. V. **Comp.,** nn. 841, 843.

CASUS IV

UNGENS UNGENDUS

Tussanus, parochus, repente ad moribundum inungendum accersitur. Ocius bonus pastor praesto est, et alacriter properat, ut oviculae suae in extremis versanti succurat. Sed, heu! nesciebat ipse se prius e vita cessurum esse! Ecce vix unctiones oculorum alteriusque auris perfecerat, cum responsum mortis in seipso audit! Vox faucibus haeret, adstantes primum respicit, quasi ab eis auxilium impetraturus; sed mox oculos in altum erigit, utpote in solo Deo spem ponens, et corruit exanimis, ictu apoplexiae prostratus! Extemplo accersitur parochi vicarius, qui adveniens nescit cuinam moribundo prius succurrendum sit, nec utrum repetendae sint unctiones iam a parocho priori moribundo factae.

Hinc:

Quaer. 1.° *Quid faciendum, si sacerdos in mediis unctionibus deficiat?*

2.° *Cuinam moribundo prius succurrere debuerit vicarius?*

Solutio:

797. — *R. ad* 1^{m} *Quaes.* Si adsit praesens alius sacerdos, vel si statim advocari possit, hic supplere debet unctiones quae remanent, ne sacramentum complemento suo careat; sed repetere nequit unctiones iam factas, quia non deest unio moralis inter illas unctiones et sequentes. Si alius sacerdos haberi nequeat, nisi interiecta notabili mora, v. gr. quadrantis, omnes unctiones sub conditione repetendae sunt. *S. Alph.,* n. 724, in fine; *Lacroix,* n. 2098. — Si intervallum esset unius horae, vel amplius, modo absoluto unctiones repetendae forent. Recole dicta casu II, ad 2^{m} quaes.

In casu vicarius, qui supponitur statim adfuisse, non debet iterare unctiones oculorum neque unctiones aurium, si parochus integram for-

mam correspondentem protulerit, quia unica unctio integram habet significationem. Sed in tali eventu difficile constare potest, utrum formam aptam perfecerit; quapropter vicarius debuit sub conditione unctiones aurium iterare.

798. — *R. ad* 2m *Quaes.* Vicarius debuit prius succurrere parocho, tum quia ex casu videtur versari in maiori vitae periculo, tum etiam quia alter moribundus forte iam fuit valide inunctus, licet non omnes unctiones receperit, cum probabiliter unica unctio sufficiat, ad extremam unctionem valide conferendam. Cfr. supra, n. 792.

* CASUS V

SUBIECTUM EXTREMAE UNCTIONIS 1.°

1.° SYLVINUS, parochus, advocatur successive ad plures aegros sacro oleo inungendos, scilicet: 1.° ad TITIUM qui a tribus annis in amentia versatur; 2.° ad CAIUM sensibus destitutum, quem scit scientia privata versari in statu peccati mortalis, cuius reus evasit antequam usum rationis amitteret; 3.° ad puerum septennem, de quo dubitat utrum ad rationis usum pervenerit, necne. His omnibus SYLVINUS denegat sacramentum infirmorum, quia non videntur huius sacramenti capaces.

2.° ROGERIUS, sacerdos, cum baptizasset IACOBUM, iudaeum adultum, periculoso morbo laborantem, dubitat an possit eumdem oleo infirmorum ungere. Varios interrogat socios, qui in varias abeunt sententias.

HINC:

QUAER. 1.° *Quale sit subiectum capax extremae unctionis?*
2.° *An recte* SYLVINUS *extremam unctionem denegaverit aegris in casu recensitis?*
3.° *An possit dari extrema unctio adulto infirmo statim post baptismum?*

SOLUTIO:

793. — *R. ad* 1m *Quaes.* Subiectum extremae unctionis sunt omnes et soli baptizati, qui post usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versantur (Ita in can. 940, § 1). Constat etiam ex verbis S. Iacobi, 5, 14: *Infirmatur quis in vobis...,* et ex Conc. *Trid.,* sess. 14, c. 3.

R. ad 2m *Quaes.* SYLVINUS, parochus, in omnibus erravit: 1.° Erravit quoad TITIUM a tribus annis amentem. Amens enim qui non fuit perpetuo talis, est homo qui habuit usum rationis; ergo in vitae periculo est subiectum capax extremae unctionis. 2.° Erravit quoad CAIUM adultum et sensibus destitutum, ob eamdem rationem. Nec obstat

quod ille in statu peccati mortalis versatus fuerit, priusquam sensibus destitueretur; nam potuit elicere actum contritionis antequam usu rationis privaretur, et potuit etiam hic et nunc usu rationis gaudere, licet videatur sensibus carens. 3.° Erravit quoad puerum: ratio est, quia parochus vi sui muneris tenetur Sacramenta praebere ovibus suis quoties oves indigere possunt, et sacramentum sine irreverentia accipere valent; his enim conditionibus positis, oves ius habent ad Sacramenta, vel absolute recipienda, si sint absolute capaces, vel conditionate, si sint dubie capaces: atqui ex una parte extrema unctio potest sine irreverentia puero praedicto conferri, et ex alia parte puer ille potest ea indigere ad abstergendas peccatorum reliquias, cum dubium sit an usum rationis habeat, et proinde an peccaverit, necne; ergo iniuste sacramento infirmorum a parocho privatus est. *S. Alph.*, n. 719. Confirmatur ex can. 941: «Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub conditione».

800. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia per baptismum non absterguntur omnes reliquiae actualium peccatorum ante baptismum commissorum, prout sunt torpor, proclivitas ad malum, etc., licet deleantur omnia peccata omnesque peccatorum poenae. *S. Alph.*, n. 721, *et alii communiter*.

«Non tamen conferendum est sacramentum extremae unctionis illis neophytis moribundis, quos missionarius capaces baptismi censuit, nisi saltem habeant *aliquam intentionem* recipiendi *sacram unctionem* in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam». S. Off., 10 maii 1703; 10 apr. 1861. C. P. **Amer. lat.**, n. 568; **Manil.**, n. 672.

CASUS VI

SUBIECTUM EXTREMAE UNCTIONIS 2.°

SYNESIUS, vir valde pius, monitus fuerat a duobus medicis valde peritis ut valetudini suae attenderet; verendum enim erat, ne subito ictu apoplexiae extingueretur. Millenas ipsis gratias agens sibi quamprimum consulere voluit, et, ne privaretur gratia extremae unctionis, aut ne mente captus eam reciperet, enixe parochum rogavit ut sacramentum infirmorum sibi conferre vellet. Boni viri votis annuit benevolus pastor; sed, re perfecta, dubitavit utrum valide extremam unctionem SYNESIO ministraverit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* SYNESIUS *inungi potuerit?*

2.° *An extrema unctio conferri possit infirmo in periculo probabili tantum mortis?*

3.° *An in mero dubio periculi gravis?*

SOLUTIO:

801. — *R. ad* 1m *Quaes.* Negandum videtur. Sacramentum enim extremae unctionis valide conferri nequit, nisi adsint signa externa proximi periculi mortis. Porro illa signa in nostro casu non vere apparent, licet medici ex physiognomia iudicarint hominem apoplexiae obnoxium esse. Non apparet enim signum externum morbi gravis, forte iam imminentis. Secus tamen dicendum foret, si talia signa morbi gravis intus latentis cernerentur. *Gobat,* n. 875.

802. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.,* ut patet ex can. 941, supra, n. 799, citato. Ratio est, quia ad hoc sacramentum ministrandum valide et licite sufficit, si infirmus laboret morbo ita gravi, ut prudenter existimetur versari in periculo mortis; saepius autem iudicium prudens nonnisi meram probabilitatem exhibet. Haec sententia est *communis* et *vera,* ait *S. Alph.,* n. 714. Etenim, cum Christus collationem huius sacramenti hominibus reliquerit, credendum est sic eam reliquisse, ut illud concedere possint infirmis, qui probabiliter iudicantur in periculo mortis versari. Haec autem praesumptio confirmatur praeterea: 1.° ex decreto Eugenii IV supra relato, ubi dicitur «de cuius morte timetur»; 2.° ex Rituali Rom.: «Debet hoc sacramentum praeberi infirmis qui tam graviter laborant, ut periculum mortis imminere videatur».

803. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.,* quia praeceptum est, ne aliis quam vita periclitantibus ministretur; ergo requiritur ut adsit vera probabilitas, seu prudens timor mortis. *S. Alph.,* n. 714, in fine. Attamen, si sacerdos nesciat efformare iudicium de gravitate morbi, nec peritiores consulere possit, dubitet autem de proximo mortis periculo, propendere debet in sacramentum conferendum, quia tunc recte applicatur axioma: *Sacramenta propter homines.*

CASUS VII

1.° VETULA INUNCTA

ACHATIUS, sacerdos, vocatus ad TERSILIAM, vetulam octogenariam, annorum pondere potius quam infirmitate gravatam, absolutionem et Eucharistiam ei impertivit. Sed quia longo itinere distabat ecclesia, ne alias eamdem viam metiri cogeretur, extremam unctionem ei ministravit, quamvis nullum indicium proximae mortis in ea deprehendi posset.

2.° PUERPERA OLEO INFIRMORUM ROBORATA

BLANDINA, mulier puerpera, partus dolores prima vice patiens, se reputat ad extrema perductam, et enixe rogat parochum ut quam citissime oleo infirmorum ab eo illiniatur. Bonus pastor, illius lacrimis et eiulatibus commotus, eiusdem votis illico morem gessit, et postea dubitavit utrum recte egerit.

3.° CAPITE DAMNATUS

Extrema unctione munitus

SIFREDUS, homicidii reus, et ideo capite damnatus, dolore patrati criminis interius tactus est. Peracta confessione, acceptaque S. Eucharistia, etiam sacramento moribundorum confortari voluit, ideoque instanter beneficium illud postulavit. Votis autem eius annuit carceris capellanus.

HINC:

QUAER. 1.° *An vetula valide et licite potuerit inungi?*
2.° *An* BLANDINA *puerpera?*
3.° *An* SIFREDUS, *capite damnatus?*

SOLUTIO:

804. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* 1.° Potuit vetula inungi valide. Ratio est, quia iuxta commune adagium, *senectus ipsa morbus est,* proptereaque magno annorum pondere gravati in continuo mortis periculo versantur. Multiplici enim experientia constat multos, solo senio confectos, absque alio speciali morbo expirasse. Praeterea, ut sacramentum illud ministretur, sufficit periculum probabile mortis, ut supra, nn. 799 et 802, dictum est. Multo minus differendum est sacramentum illud usque ad ultimum infirmi halitum, cum ad aegrotos allevandos secundo institutum fuerit. *Elbel,* n. 56. — 2.° Potuit etiam inungi licite, aspectis praesertim casus circumstantiis, scilicet, ratione habita ad locorum distantiam et difficultatem. Quod enim est validum, facile fit licitum, imprimis causa gravi urgente; ergo ACHATIUS minime est inquietandus, idque plane patet ex can. 941, supra, n. 799, citato.

Immo ex decr. S. C. de P. F. 20 febr. 1801, «missionariis licere declaretur Viaticum et extremam unctionem ministrare senibus valde debilibus vel aliis infirmis, qui infra annum morituri praevidentur ex debilitate senili, ex ethica febri, vel ex alio morbo, etsi per plures menses duraturo, si, praetermissa occasione accessus vel transitus missionarii, qui locum illum, vix semel aut iterum in anno visitare potest, huiusmodi infirmi privandi essent extremis sacramentorum auxiliis». C. P. **Amer. lat.,** n. 565; **Manil.**, 669.

805. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° *Nego,* si mulier in hoc partu communibus tantum doloribus laboraverit, etiamsi prima vice pareret. Ratio est, quia non adhuc periculosa infirmitate laborabat. *Ita communiter theologi cum S. Alph.,* n. 713, in fine. — 2.° Secus vero, si mulier iam coeperit gravissimis et extraordinariis doloribus contorqueri, ita ut iam actu in proximo mortis periculo versaretur. Ratio patet; tunc enim revera iam periculose infirma fuisset. *S. Alph.,* ibid.

806. — *R. ad* 3m *Quaes. Nego.* Ratio est, quia extrema unctio non fuit instituta pro bene valentibus, sed pro infirmis tantum, ut patet ex verbis S. Iacobi: *Infirmatur quis in nobis...* Porro capite damnatus, licet morti proximus, non tamen est infirmus, nec ob infirmitatem moriturus. *S. Alph.*, n. 713. **Comp.,** n. 844.

CASUS VIII

OBLIGATIO EXTREMAE UNCTIONIS

Lampridius, graviter decumbens, renuit suscipere extremam unctionem, licet libenter fuerit confessus et sacro Viatico refectus; credebat enim se moriturum fore, si oleo infirmorum inungeretur. Quapropter cognati Lampridii enixe parochum rogarunt ut exspectaret donec aeger gravi sopore oppressus detineretur, vel usu rationis vi morbi destitueretur. Insulsis eorum votis indulsit plus aequo obsequens sacerdos. Cum Lampridius mox in delirium incidisset, se accinxit ad eum oleo sacro liniendum. Verum, ubi propius accessit, infirmus vasculum in quo s. oleum continebatur de eius manibus excussit, et horribiliter eiulans in phrenesi exstinctus est.

Hinc:

Quaer. 1.° *An gravis sit obligatio extremam unctionem suscipiendi in gravi mortis periculo?*

2.° *An graviter peccent parentes vel cognati, qui negligunt sacramenti illius recipiendi occasionem suis praestare?*

3.° *An graviter peccet parochus, si ex eius incuria paroeciani absque extrema unctione decedant?*

4.° *Quid ad casum?*

Solutio:

807. — *R. ad* 1m *Quaes. Controvertitur.* Duplex est sententia probabilis. *Negant S. Thom., Billuart et alii communius,* immo *communiter,* ait *S. Alph.*, n. 733. Sed *praxis* conformior opinioni affirmanti, ratione praesertim caritatis erga seipsum, enixe est suadenda. V. **Comp.,** n. 847.

808. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirmative,* saltem quoties aegroti cupiunt illud sacramentum suscipere, vel cuperent, si de gravi suo periculo admonerentur. Ratio ex principio generali caritatis deducitur. Tenemur enim, sub gravi, proximo indigenti auxilium spirituale valde notabile praestare, cum facile possumus. Hoc autem a fortiori valet, quando de proxime cognatis agitur. Constat etiam ex *Catechismo Romano,* De extr. unct., n. 18, ubi dicitur: *Gravissime peccant, qui illud tempus aegroti ungendi* observare *solent,*

cum, iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipit. Ita etiam C. P. **Amer. lat.**, n. 564; **Manil.**, n. 668.

809. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.* Pastor enim ratione officii tenetur ministrare sacramentum illud, saltem omnibus qui petunt, nisi iusta causa excuset; secus in re gravi non praestat id ad quod ex iustitia tenetur. Attamen hac obligatione non urgetur cum periculo vitae, v. gr. tempore pestis, si peste infecti iam confessi et absoluti fuerint, vel non censeantur in statu peccati mortalis versari. *S. Alph.*, n. 729.

810. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° LAMPRIDIUS graviter peccasse videtur, non quidem contra praeceptum recipiendi extremam unctionem, cum de praecepto non certo constet, sed contra veritatem fidei, scilicet, credendo false per hoc sacramentum mortem accelerari, nisi forte aliqua bona fide excusetur. *Elbel*, n. 31.

2.° Parochus non debuisset parentes audire, sed potius curare ut aegrotum suaviter disponeret ad voluntariam sacramenti susceptionem. Hoc autem facile obtinuisset, si LAMPRIDIUS fuerit bonae voluntatis. Si autem fuerit perversus et suae salutis incuriosus, omittenda fuisset extrema unctio, quia aeger ita dispositus exiguum fructum ex sacramento percepisset. *Elbel*, n. 58. Quod si aeger non absolute quidem, sed per errorem ex bona fide ortum, visus fuisset nolle sacramentum, potuisset inungi in delirio, quia revera tunc sacramentum velle implicite, seu in quantum mortem non adducit, censeri poterat.

CASUS

DE SACRAMENTO ORDINIS

SEU

De materia, de ministro et subiecto ordinis, tum ratione validitatis, tum ratione liceitatis.

CASUS I

ORDINIS MATERIA 1.°

1.° VITALIS, ordinandus sacerdos, studiose curat ut omnia adimpleat, quae ad sacram ordinationem ex parte sua requiruntur. Quando autem devenit ad instrumenta ordinis tangenda, tetigit quidem immediate et physice hostiam, conatusque est tangere immediate patenam, sed dubitat an hanc immediate tetigerit; hinc ab aliquot annis eius animum pulsat haec anxia cogitatio: Forte non es ordinatus sacerdos! forte invalide consecras, invalide absolvis!...

2.° BASILIUS, magister caeremoniarum in ordinatione, dum quinque ordinandi diaconi ad tangendum librum advocarentur, advertit ultimum extendisse quidem dextram, sed ob distantiam non realiter tetigisse, et cum aliis recessisse. Tunc iubet eum mox redire, et realiter tangere. Subinde, peracta sacra caeremonia, exorta est controversia an necesse fuerit hunc revocare.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sit materia sacrorum ordinum?*
2.° *An requiratur tactus physicus instrumentorum?*
3.° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO:

811. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Materia sacrorum ordinum est: 1.° *Pro sacerdotio,* impositio manuum, et traditio calicis cum vino, et patenae cum hostia superposita, saltem de praecepto; an vero de essentia, *controvertitur.* Apud graecos prior, seu sola manuum impositio, adhibetur.

2.° *Pro diaconatu,* impositio manuum et traditio libri evangeliorum. De necessitate utriusque pariter disputatur.

3.° *Pro subdiaconatu,* traditio calicis vacui cum patena vacua, et traditio libri epistolarum; neque constat an utraque sit essentialis. V. **Comp.,** nn. 863, 864. *S. Alph.,* n. 739.

Cardinali Vives (Comp., n. 650) tuta certaque videtur sententia tenens solam traditionem calicis vacui cum patena vacua esse materiam proximam subdiaconatus.

812. — *R. ad* 2m *Quaes.* Dicit *S. Alph.,* n. 743, duplicem dari sententiam probabilem, et consequenter tutiorem in praxi sequendam esse. Verumtamen sententia negativa non bene probatur ex resp. S. R. C. 3 dec. 1661 *(Decr. auth.,* n. 2143), in qua «Ad *scrupulum* fratris Ephrem... se non tetigisse *tactu physico* calicem in sua ordinatione ad presbyteratum», S. C. respondit «posse continuare celebrationem SS. Sacrificii absque ullo scrupulo, ac tuta prorsus conscientia». Diximus non bene probari negativam sententiam ex hac responsione, quia hic videtur agi tantum de mero scrupulo. *Palmieri,* h. l.; *Buccer.,* n. 884. Sufficit contactus mediatus, v. gr. medio aliquo velo vel chirotheca. S. Off., 22 ian. 1890. -- V. **Comp.,** n. 922. Cfr. *Mach-Ferreres,* vol. 1, n. 13.

813. — *R. ad* 3m *Quaes. Ad primum casum.* Pacem bonam habeat VITALIS, quia satis est quod immediate hostiam tetigerit, etiam in sententia eorum, qui tactum physicum instrumentorum requirunt; hostia enim et vinum sunt materia substantialis sacerdotii, quibus principaliter significatur potestas in corpus Christi, et propter solam decentiam ex praecepto Ecclesiae calix et patena usurpantur. *Gobat,* n. 109. Ita etiam S. Off., 8 maii 1895. — V. **Comp.,** n. 866; *Mach-Ferreres,* l. c.

Ad secundum casum. Diaconus ille fuit necessario revocandus, ut librum evangeliorum physice tangeret. Hoc ex modo dictis sequitur.

* CASUS I *bis*

ORDINIS MATERIA 2.°

TITIUS ordinatus fuit presbyter, et, ut ei dictum postea fuit, Episcopus omisit orationem *Exaudi nos quaesumus,* etc. Dictum etiam ei fuit postea omissionem fuisse suppletam, sed nescit quando aut quomodo; scit tamen manuum impositionem seu elevationem iteratam non fuisse, quod sibi videtur esse contra verba Greg. IX: «Suspensio autem manuum debet fieri cum oratio effunditur super caput ordinandi» *(Decr.,* lib. 1, tit. 16, c. 3).

Nunc post plures annos auxius est de valore suae ordinationis.

HINC:

QUAER. *An et quatenus repetenda manuum impositio ad orationem* Exaudi nos quaesumus? (1).

SOLUTIO:

813 *bis.* — *R. ad Quaes. Negative,* sed standum est resolutioni S. Rit. Congr., quae statuit in ordinatione presbyterorum praxim servandam esse Ecclesiae Romanae, quae manus ordinandis imponit in prima tantum oratione: *Oremus fratres carissimi.*

CASUS II

DUPLEX ORDINANTIS ERROR

GREGORIUS, Episcopus, IUVENALI, ordinando in subdiaconum, porrexit, nescio quo casu, aut cuius incuria, calicem cum vino et patena vacua; e contrario MARCO ad sacerdotium advehendo tradidit calicem vacuum cum patena et hostia superposita. Cum autem magister caeremoniarum ad errorem advertisset, dubitatum est utrum iteranda foret praefata caeremonia.

HINC:

QUAER. 1.° *An* IUVENALIS *valide ordinatus fuerit subdiaconus?*
2.° *An* MARCUS *valide ordinatus fuerit sacerdos?*

SOLUTIO:

814. — *R. ad* 1m *Quaes.* IUVENALIS valide subdiaconatum suscepit. Ratio est, quia Episcopus per traditionem calicis sufficienter significavit et expressit potestatem subdiacono conferendam. Nec obstat quod vinum in calice suffusum fuerit; hoc enim ut mere per accidens habendum est, iuxta axioma: *Quod abundat non vitiat;* vel iuxta regulam antiqui iuris 37, in 6.°: *Utile per inutile non vitiatur.*

815. — *R. ad* 2m *Quaes.* MARCUS invalide ad sacerdotium promotus est, saltem *probabiliter;* quia non sufficienter expressa fuit potestas consecrandi sanguinem Christi. Itaque, cum haec in collatione presbyteratus necessario significanda et exprimenda sit, consequenter caeremonia traditionis calicis iteranda fuit. Quod si interruptio moralis intercesserit, tota ordinatio erat repetenda. *Elbel,* n. 27; *Gobat,* n. 97. Ita etiam S. Off., 11 ian. 1899.— V. **Comp.**, n. 866; *Mach-Ferreres,* l. c.

---

(1) Cfr. S. Rit. C., 18 febr. 1843, n. 2851.

CASUS III

MINISTER ORDINIS

1.° HELLADIUS, Episcopus, senio et invaletudine gravatus, nequit nisi difficillime vacare simul Missae dicendae et conferendis ordinibus, solos tamen ordines conferre valet. Quid faciet? Id consilii capessit. Rogat Vicarium Generalem ut Sacrum faciat et praevias recitet orationes; ipse vero ea omnia, quae ad ordines essentialiter spectant, peragit.

2.° NATALIS, diaconus, iter trium dierum susceperat, ut ad civitatem perveniret ante sabbatum quatuor temporum, ordinis presbyteratus recipiendi causa. Sed variis detentus impedimentis, non advenit nisi ipso sabbato, hora decima matutina, scilicet iam absoluto Sacro. Perfecta erat generalis ordinatio. Nihilominus NATALIS enixe rogavit Episcopum ut in sui gratiam, spectata itineris difficultate, ordinationem iterare vellet. Iussit itaque Episcopus ut unus e neosacerdotibus Sacrum faceret, dum ipse sacerdotium novo huic candidato conferret.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid de ratione agendi* HELLADII *in primo casu?*
2.° *An licita fuerit ordinatio* NATALIS *in secundo casu?*

SOLUTIO:

816.—*R. ad* 1^m *Quaes.* HELLADIUS, Episcopus, *valide* quidem ordines contulit, cum ea quae ad ordinationem essentialia sunt adhibuerit; sed, *per se loquendo, illicite* egit, alteri celebrationem Missae committendo, contra Ecclesiae consuetudinem et Pontificalis rubricam, necnon contra canonem 1003, expresse statuentem: «Missa ordinationis vel consecrationis episcopalis semper debet ab ipsomet ordinationis vel consecrationis ministro celebrari». V. **Comp.**, n. 917. Itaque HELLADIUS, senio confectus, non valens Missam simul celebrare et ordines conferre, neque facile alium Episcopum accersere, debuiset a Summo Pontifice dispensationem a lege Ecclesiae impetrare.

Dixi *per se loquendo,* quia, accedente gravissima causa quae praevideri non potuit, lex praefata Ecclesiae cessare censeretur: v. gr. si Episcopus huiusmodi infirmitate corriperetur instante quatuor temporum ordinatione, dum multi ordinandi ex variis locis, sat dissitis, congregati sacros ordines requirunt, nec adesset alius Episcopus, qui sacram ordinationem obire posset; tunc enim propter magna incommoda, quae evenirent, si candidati sacris ordinibus non insigniti dimitterentur, absque scrupulo epikeia sane uti licitum foret.

Gobat, n. 254. Ceterum, hodie rarissime casus occurrere potest, cum, gravi interveniente causa, Episcopus sacros ordines quolibet die dominico aut festo de praecepto conferre possit, iuxta can. 1006, § 3. **Comp.**, l. c.

817. — *R. ad* 2m *Quaes.* De validitate ordinationis NATALIS minime ambigendum est, cum Episcopus materiam et formam sacramenti propriam adhibuerit; verum Episcopus ille omnino illicite ordinem presbyteratus praedicto diacono contulit. Ratio est, quia praetermisit sine sufficiente causa praeceptum Ecclesiae de Missa ab ipso ordinante celebranda, ut iam ad 1m casum dictum est. *Gobat,* n. 260. Praeterea egit contra Ecclesiae consuetudinem iniungendo neosacerdoti modo ordinato ut Missam hac ipsa die celebraret, et proinde denuo consecraret et communicaret. Etenim pro commodo unius ordinandi tanta derogatio consuetudini et praescriptioni Ecclesiae non erat admittenda.

CASUS IV

CANDIDATUS DOLOSE ORDINATUS

THEODORUS, ad sacerdotium candidatus, in examine doctrinae reprobatus, nihilominus dolose se cum aliis insinuavit ad ordinationem suscipiendam. Declarat publice Episcopus, rei ignarus, se non intendere ordinare eos qui legitime admissi non fuissent. THEODORUS, hoc non obstante, cum aliis ordinandis accedit, et sacrum ordinem suscipit.

HINC:

QUAER. *An valida fuerit ordinatio* THEODORI?

SOLUTIO:

818. — *R. ad Quaes.* 1.° THEODORUS fuit invalide ordinatus, si Episcopus habuit absolutam voluntatem, ut in casu, nec eam ne implicite quidem retractaverit cum ad ordinationes singulorum devenit. Ratio est, quia intentio ministri ad valorem sacramenti omnino necessaria est. Graviter autem peccaret Episcopus, si revera non intenderet ordines actu petentibus sacramentum conferre, quia ageret contra generalem Episcoporum consuetudinem, et occasionem gravissimorum peccatorum daret.

819. — 2.° Valida autem fuit ordinatio THEODORI, si Episcopus intendit solam comminationem facere ad indignos a sacris ordinibus arcendos. In dubio vero utrum Episcopus ita loquens habeat omnino intentionem non ordinandi, praesumendum est non habere, quia dubia in meliorem partem interpretanda sunt. Tutius tamen foret in praxi ipsum Episcopum de propria intentione interrogare. Quod si ipse dubius esset, ordinatio conditionaliter iteranda foret, modo candidatus in meliorem frugem sese receperit. *Pontas,* v. Ordines, cas. 30.

* CASUS V

MINISTER RATIONE IURISDICTIONIS

1.° THEOPHILUS, Lugduni natus, perrexit Tolosam ut perpetuo ibi habitaret, et ibi ab Ordinario loci absque litteris dimissoriis ordinatus est, licet a parvo tempore ibi degeret.

2.° NILUS, Burdigalae natus, dum eius parentes ad modicum tempus, alicuius negotii peragendi causa, ibi degerent, postea educatus fuit Tolosae, ubi prius habitabant genitores, et quo, mense elapso, reversi sunt. Perfecto autem studiorum curriculo, NILUS ad ordines candidatus nescit a quonam Episcopo ordinari possit; sed mox dubium solvit Archiepiscopum Burdigalensem adeundo, et ab ipso ordinationem requirendo. Sed repulsam passus est.

HINC:

QUAER. 1.° *Quisnam censendus sit proprius ordinandi Episcopus?*

2.° *Quinam litteras dimissorias concedere possint?*

3.° *An* THEOPHILUS *in primo casu licite ordinatus fuerit?*

4.° *An valida fuisset ordinatio* NILI *in secundo casu?*

SOLUTIO:

820.— *R. ad* 1m *Quaes.* Episcopus proprius, quod attinet ad ordinationem saecularium, est tantum Episcopus dioecesis, in qua promovendus habeat domicilium una cum origine, aut simplex domicilium sine origine; sed in hoc altero casu promovendus debet animum in dioecesi perpetuo manendi iureiurando firmare (can. 956).

Excipe: *a)* si agatur de promovendo ad ordines clerico, qui dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus est; *b)* vel de promovendo alumno, qui servitio alius dioecesis destinatur; *c)* vel de promovendo religioso professo (can. 956).

In tribus hisce casibus non est praestandum iuramentum: non in *a),* quia per susceptionem primae tonsurae iam est incardinatus cum obligatione perpetua Illic permanendi; non in *b),* quia ex hypothesi destinatur legitime alii dioecesi, v. gr. missionis; neque in *c)*, ut patet. Cfr. **Comp.,** n. 869.

Igitur, si agatur de suscipienda prima tonsura, Episcopus proprius pro saecularibus est loci Ordinarius, in cuius territorio ordinandus habet originem simul cum domicilio; vel, si tantum habet domicilium, iurare debet, se animum habere illic perpetuo commorandi, ut hic dictum est. Per susceptionem tonsurae, incardinatur clericus dioecesi, pro cuius servitio promotus fuit; unde Ordinarius huius dioecesis erit

Episcopus proprius pro subsequentibus ordinibus, nisi ordinandus legitime excardinetur et alteri dioecesi incardinetur. Tunc Episcopus proprius erit Ordinarius novae dioecesis.

Quare Episcopus pro ordinatione illorum qui nullum habent domicilium erit Episcopus loci in quo fit ordinatio, modo tamen ordinandus praevie acquirat ibi domicilium cum iuramento ad normam can. 956 (Comm. Cod., 17 aug. 1919). Qui autem a proprio Episcopo ordinatur servitio alius dioecesis, huic aliae dioecesi incardinatur ipsa ordinatione. Ibid.

N. B. Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius,* si *charactere episcopali polleant,* Episcopo dioecesano aequiparantur, quod pertinet ad ordinationem (can. 957, § 1). — Si episcopali charactere careant, possunt nihilominus in proprio territorio et durante tantum munere, conferre primam *tonsuram* et *ordines minores,* tum propriis subditis saecularibus ad normam can. 956, tum aliis, qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant; ordinatio extra hos fines ab eisdem peracta irrita est (ibid., § 2). — Formulas *excardinationis* et *incardinationis* vid. in **Comp.,** nn. 1413, 1414, et in App. ad C. P. **Amer. lat.,** n. 131.—V. **Comp.,** n. 706.

821. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Possunt eas dare sequentes, quandiu iurisdictionem in territorio retinent: 1.° Episcopus proprius, postquam possessionem suae dioecesis legitime ceperit ad normam can. 334, § 3, licet nondum consecratus. — 2.° Vicarius Generalis, ex speciali tamen Episcopi mandato. — 3.° De Capituli consensu Vicarius Capitularis post annum a sede vacante; intra annum vero solis arctatis ratione beneficii recepti, vel recipiendi, aut ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum. — 4.° Vicarius ac Praefectus Apostolicus, Abbas vel Praelatus *nullius,* licet episcopali charactere careant, etiam ad ordines maiores (can. 958, § 1). Vicarius tamen Capitularis eas concedere licite non potest iis, qui ab Episcopo reiecti fuerunt (ibid., § 2). V. **Comp.,** nn. 871, 872.

R. ad 3^m *Quaes.* THEOPHILUS *illicite* ab Archiepiscopo Tolosano ordinatus est, nisi iuramento firmaret animum perpetuo manendi in hac dioecesi, ut patet ex can. 956, supra, n. 820, citato.

822.—*R. ad* 4^m *Quaes.* NILUS *illicite* ab Archiepiscopo Burdigalensi ordinatus fuisset. Ratio est, quia spectari nequit ut locus origigis, dioecesis in qua quis ex fortuita occasione, v. gr. itineris matris, officii vel negotii parentum, nascitur. Ex Decr. Innoc. XII, 14 nov. 1694. Quapropter NILUS Tolosae ordinandus erat. *Reuter,* n. 456; *Lacroix,* n. 2169; *Gasparri,* De sacr. ordinat., n. 821 seq. — Ut posset ordinari ab Archiepiscopo Burdigalensi opus esset ut in hac dioecesi domicilium prius acquireret, et praeterea emitteret iuramentum de quo supra dictum est. V. **Comp.,** n. 869.

CASUS VII (1)

SUBIECTUM ORDINIS

1.° LUCIANUS, prava consuetudine secreto peccandi irretitus, iam emenso theologiae curriculo, advocatur a Superioribus ad ordinem subdiaconatus recipiendum. Obstat primum confessarius, sed postea lacrimis et signis paenitentiae indubiis LUCIANI victus, eum beneficio absolutionis donat, eique permittit ut promoveatur.

2.° POSTHUMIUS, scrupulosus, dum ordinandus esset sacerdos, timens ne in statu peccati mortalis versaretur, non habuit intentionem ordines suscipiendi, ut ipse ait, ne sacrilegium patraret. Attamen omnibus caeremoniis interfuit, et omnia sicut ceteri peregit. Finita autem ordinatione, putat se non esse ordinatum, et Missam celebrare non vult.

HINC:

QUAER. 1.° *An* LUCIANUS *potuerit admitti a confessario in primo casu?*

2.° *An* POSTHUMIUS *valide ordinatus censeri debeat? Et quid ipsi dicendum sit?*

SOLUTIO:

825. — *R. ad* 1^m *Quaes.* LUCIANUS admitti non potuit a confessario ad subdiaconatum recipiendum, *saltem generatim loquendo.* Non sufficit enim quod consuetudinarius in peccato turpi contritus et absolutione dignus videatur, ut accessus ad ordinem sacrum ei permittatur; sed requiritur insuper ut per emendationem, seu per temporis diuturnioris experimentum, probet se posse continentiam colere. Cfr. dicta supra, n. 37.—V. **Comp.,** n. 876.

826. — *R. ad* 2^m *Quaes.* 1.° Si certo constaret POSTHUMIUM intentionem suam revocasse, eius ordinatio invalida iudicanda foret, defectu voluntatis ex parte ordinem suscipientis.

2.° Secus vero dicendum videtur, si non certo constet de intentionis revocatione, ex parte POSTHUMII. Id colligitur ex eo quod voluntarie accesserit ad ordinationem et, sicut ceteri, omnibus caeremoniis interfuerit. Licet enim sibi videatur revocasse intentionem suam, non est tamen verisimile quod serio, efficaciter et deliberate eam revocaverit.

827. — Quapropter, quemadmodum vere scrupulosi saepissime putant consensisse in peccatum, ubi tamen consensum nunquam prae-

(1) Casus VI omittitur, quia de titulo familiaritatis ad sacros ordines suscipiendos, iam nunc suppresso, agebat.

buerunt, ita sane POSTHUMIUS noster, utpote valde scrupulosus, visus est sibi revocasse intentionem, licet eam minime revocaverit. Praeterea, utquid intentionem revocasset sacrilegii vitandi causa? Nonne plane scivit, ut neminem nisi mente captum fugit, maius sacrilegium committi sacramenti receptionem simulando, quam illud in statu peccati recipiendo? Igitur in praxi POSTHUMIUS minime inquietus esse debet. Ita *Elbel*, n. 24. Attamen, cum scrupulosus non semper rationem sequatur, remanere potest aliquis ambigendi locus; hinc tutius erit rem Episcopo subiicere, qui ordinem sub conditione iterabit, si id expedire videbitur.

CASUS VIII

SUBIECTUM RATIONE AETATIS

1.° PASCHASIUS, diaconus, cupit ordinationem presbyteratus suscipere; sed pridie ordinationis publicae advertit sibi deesse diem unam ad aetatem viginti quatuor annorum complendam. Inde graviter dubitat an propterea promoveri nequeat. Procedit tamen hoc innixus principio: *Parum pro nihilo reputatur.*

2.° HYACINTHUS, religiosus, licet deessent octo dies ad aetatem viginti quatuor annorum complendam, iubente Superiore, suscepit presbyteratum. Dubitat proinde utrum non suspensionem incurrerit et celebrando post suspensionem irregularis evaserit.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis aetas ad singulos maiores ordines requiratur?*

2.° *An* PASCHASIUS *licite ordinatus fuerit? An suspensionem incurrerit?*

3.° *An* HYACINTHUS *reapse suspensus et irregularis factus sit?*

SOLUTIO:

828. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Pro subdiaconatu requiritur annus *vicesimus primus* completus; pro diaconatu, *vicesimus secundus* completus; pro presbyteratu, *vicesimus quartus* completus (can. 975). V. **Comp.,** n. 884 *S. Alph.,* n. 799.

829. — *R. ad* 2^m *Quaes.* PASCHASIUS *graviter illicite* ordinem presbyteratus suscepit et, iuxta can. 1308, manet a recepto ordine suspensus, quia ordinem suscepit anno requisito non integre completo (V. **Comp.,** n. 1308). Quare falso applicavit principium: *parum pro nihilo reputatur.* Tempus enim praescriptum physice completum, ita ut nec hora desit ad inchoandum annum praescriptum, habendum est, quia secus annus praescriptus nullo modo inchoatus esset. Immo nec admittitur Episcopum pro tam exigua temporis parte dispensationem

concedere posse. *Gobat,* nn. 528, 531; *Many,* De sacra ordin., n. 85; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 2, n. 113.

830. — *R. ad* 3m *Quaes.* HYACINTHUS *per se* graviter peccavit, nisi bona fide fuerit excusatus. Et si bona fide fuit ordinatus, probabilius nequit absque Pontificis dispensatione in suscepto presbyteratu sollemniter ministrare, donec aetatem canonicam physice completam habeat: lex enim quae prohibet ne quis ante determinatam aetatem ordinetur, eo ipso vetat ante praedictam aetatem in ordine sic suscepto sollemniter ministrare. *Gasparri,* De sacra ordin., nn. 153, 494. Si vero mala fide fuerit ordinatus, suspensionem incurrit HYACINTHUS ad normam can. 1308. Quare si Missam celebret ante completam aetatem, *graviter* peccat, et irregularitatem ex delicto contrahit. Defectus aetatis, cessabit absque ulla dispensatione, adveniente canonica aetate. *Gasparri,* n. 494. **Comp.,** nn. 884 et 1308.

* CASUS IX

INTERSTITIA

1.° IOVINUS, ad subdiaconatum promotus in quatuor temporibus Quadragesimae, seclusa dispensatione qualibet, accessit ad diaconatum suscipiendum sabbato ante Dominicam Passionis, et sabbato sancto ad ordinem presbyteratus promotus est.

2.° LAMBERTUS, religiosus, venit e suo conventu, dissito itinere unius diei, feria sexta quatuor temporum, ad urbem in qua celebranda erat postridie sollemnis ordinatio. Venit autem serius, ita ut non potuerit insigniri quatuor minoribus ordinibus quos recepturus erat, et qui ideo differendi fuere in diem sequentem. Verum percupiebat illo sequenti die promoveri ad ordinem subdiaconatus. At dubitatum est utrum eodem die, tum ordines minores, tum subdiaconatum suscipere posset. Negativa fuit solutio, et ideo, acceptis minoribus ordinibus, ad aliud tempus pro subdiaconatu remissus fuit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam sint interstitia inter diversos ordines servanda?*

2.° *An duo ordines maiores eodem die suscipi possint, aut ordines minores eodem die una cum subdiaconatu?*

3.° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO:

831. — *R. ad* 1m *Quaes. Interstitia: a)* primam *tonsuram* inter et *ostiariatum,* vel inter singulos *ordines minores* prudenti Episcopi iudicio committuntur; *b)* acolythus vero ad subdiaconatum, subdiaco-

nus ad diaconatum, diaconus ad presbyteratum nequeunt antea promoveri, quam acolythus *unum saltem* **annum,** subdiaconus et diaconus *tres saltem* **menses** in suo quisque ordine fuerint versati, *nisi* necessitas aut utilitas Ecclesiae, *iudicio Episcopi,* aliud exposcat (ibid., § 2).

832-833. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.* Nunquam tamen, nisi de *peculiari licentia Romani Pontificis: a)* minores ordines cum subdiaconatu, *b)* duove sacri ordines uno eodemque die, *reprobata quavis contraria consuetudine,* conferri possunt; *c)* immo nec primam *tonsuram* conferre licet *una* cum aliquo *ex ordinibus minoribus*, *d)* neque omnes ordines minores una simul (ibid., § 3).

Igitur in interstitiis dispensare potest Episcopus, sed ex causa *necessitatis* aut *utilitatis* Ecclesiae. Nequit dispensare in his, quae § 3 prohibentur. — Potest tamen Episcopus ex causis praedictis conferre hodie tonsuram, die sequenti unum, duos, tresve ordines minores, alio die reliquos ordines minores et crastina die subdiaconatum, etc. V. **Comp.,** n. 885.

834.— *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Iovinus non potuit accedere ad diaconatum et presbyteratum diebus quibus id fecit, ut in casu, sine dispensatione Episcopi, quae facile conceditur. Sequitur ex dictis. 2.° Lambertus *per se* non potuit admitti ad ordinem subdiaconatus suscipiendum eodem die quo ordinibus minoribus insignitus fuit, ut modo dictum est; immo nec omnes ordines minores uno eodemque die licite suscipere potuit sine dispensatione Romani Pontificis. Cfr. n. 831.

* CASUS X

DE SACERDOTIBUS IN AMERICAM AUT PHILIPPINAS INSULAS DEMIGRANTIBUS 1.°

Titius, sacerdos, facultatem postulat ab Ordinario se transferendi in Americam latinam ut ibi perpetuo sua ministeria exercere valeat. Cum vero haec facultas sibi denegata fuerit, dicit se tamen velle illuc transferri ut necessaria ad suam sustentationem obtineat, ad quod ius naturale, ait, mihi potestatem facit. Igitur navem conscendit, in qua etiam vehebatur Caius eius condiscipulus, eiusdem fere aetatis, eique specie externa valde similis. Casu accidit ut hic in navi moreretur. Tunc Titius litteras Caii discessoriales accepit et ad Episcopum, qui Caium admiserat, se contulit ficto nomine Caii.

Hinc:

Quaer. 1.° *Quid requiritur ut sacerdotes se transferant in Americam vel in Philippinas Insulas in perpetuum vel ad diuturnum tempus?*

QUAER. 2.° *Quomodo, a quo et cum quo effectu litterae discessoriales concedi debent?*
3.° *An et quomodo ex una in aliam Americae et insularum Philippinarum dioecesim transire poterunt?*
4.° *Quid vero si agatur de religiosis dum in sua religione perseverant; aut de religiosis e claustro dimissis?*
5.° *Quaenam sint poenae contra violatores?*
6.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

834 *a.—R. ad* 1m *Quaes.* Pro sacerdotibus ob longum vel indefinitum tempus aut in perpetuum ex Europa vel ex Mediterranei oris ad Americam vel ad insulas Philippinas migraturis, fas esto Episcopis, non vero Vicariis Generalibus aut Capitularibus, litteras discessoriales concedere, hisce tamen servatis conditionibus: *a)* ut agatur de sacerdotibus cleri saecularis ex canonico titulo sibi propriis; — *b)* ut hi post ordinationem suam saltem per aliquot annos dioecesi deservierint; — *c)* et intra hoc tempus, sicut antea in Seminario, intemeratae vitae certum argumentum praestiterint, et sufficienti scientia sint instructi, adeo ut solidam spem praebeant aedificandi verbo et exemplo populos ad quos transire postulant, et sacerdotalem dignitatem nunquam a se maculatum iri, prout iterato praecedentibus decretis Apostolica Sedes praescripsit; — *d)* dummodo ad migrandum iustam habeant causam, e. g. desiderium se addicendi spirituali adsistentiae suorum concivium vel aliorum illic commorantium, necessitatem valetudinis curandae, vel aliud simile motivum, cohaerenter ad ea quae canon 116 Codicis in casu excardinationis requirit; — *e)* sub lege, *quae sub gravi ab utroque Ordinario servanda erit*, ut Episcopus dimittens, antequam licentiam ac discessoriales litteras concedat, directe pertractet cum Episcopo *ad quem,* illumque de sacerdotis aetate, vita, moribus, studiis et migrandi motivis doceat, ab eoque requirat, an dispositus sit ad illum acceptandum et ad aliquod ecclesiasticum ministerium eidem tribuendum, quod in simplici Missae celebratione consistere non debet, quoties migrans sacerdos aetate iuvenili et integris viribus polleat; neque licentiam et discessoriales litteras sacerdoti antea concedat quam responsionem ad utrumque affirmativam assecutus sit; — *f)* Episcopus autem *ad quem* exhibitum sacerdotem non acceptet, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae id exigat vel suadeat, aut alia iusta et rationabilis causa intercedat. S. C. Consist., 30 dec. 1918 (Decret., n. 1).

834 *b.—R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Discessoriales litterae non communi sed specifica forma conficiendae erunt, hoc est, exprimere debebunt consensum sive temporaneum, sive perpetuum vel ad beneplacitum Episcopi dimittentis, acceptationem Episcopi *ad quem*, et notas sacer-

dotis individuas, aetatis scilicet, originis aliasque, quibus persona describatur, adeo ut nemo circa eius *identitatem* decipi possit: aliter autem confectae litterae nihil valeant et nullae habeantur (ibid., n. 2).

2.° Firma manet praescriptio in decreto *Ethnographica studia* statuta, qua in Italia Ordinarii relevantur ab onere dimissoriales litteras, de quibus in superiori articulo sermo est, conficiendi; sed peractis iis quae sub n. 1 statuta sunt, rem deferent ad Sacram hanc Congregationem, quae licentiam scripto dabit cum utroque Ordinario communicandam (ibid., n. 3).

3.° Idem statuitur pro Episcopis Hispaniae et Lusitaniae, hac una differentia, quod onus licentiam concedendi attribuitur et reservatur Apostolicae Sedis apud eas nationes Legato (ibid., n. 4).

4.° Qui hisce litteris vel licentia carent, ad sacri ministerii exercitium admitti nequibunt: qui vero iis pollent, admittentur etiam in locis transitus, nisi peculiaris aliqua extraordinaria ratio obsistat, si ibidem infirmitatis aut alia iusta causa commorari parumper coacti fuerint (ibid., n. 5).

5.° Hisce servatis normis aliisque quae in tit. I, lib II Codicis statutae sunt, sacerdotes ex Europae dioecesibus dimissi, in Americae et insularum Philippinarum dioecesibus, utroque Ordinario consentiente, incardinari etiam poterunt (ibid., n. 6).

834 *c.* — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.* Episcopo *a quo* discedere desiderant et Episcopo *ad quem* pergere optant consentientibus, servatis in substantialibus normis sub nn. I et II positis, et docto quamprimum Ordinario sacerdotis proprio, vel, si agatur de sacerdotibus Italis, Hispanis et Lusitanis, S. Sedis officio a quo prima demigrandi licentia promanavit. Obligatio autem docendi Ordinarium sacerdotis proprium vel S. Sedis officium spectabit ad Episcopum qui sacerdotem in sua nova demigratione recipit (ibid., n. 7).

N. B. Curae et sollicitudini Ordinariorum Americae et insularum Philippinarum enixe commendatur ut provideant quo emigrati sacerdotes in domibus privatis vel in diversoriis, sive publicis hospitiis, non commorentur, sed in aedibus ecclesiasticis ad rem instructis vel instruendis, aut penes aliquem parochum vel religiosos viros. Quod si absque legitima causa parere recusent, eos post factam monitionem peremptoriam a Missae celebratione interdicant (ibid., n. 8).

R. ad 4m *Quaes.* Religiosi, dum in sua religione perseverant, trans Oceanum ad alias suae religionis domus mitti a suis Superioribus valebunt, hac una lege servata, super cuius observantia Superiorum conscientia graviter oneratur, ut agatur de religiosis qui sint intemeratae vitae, bonae exploratae que vocationis et studiis ecclesiasticis bene instructi; adeo ut retineri tuto possit in bonum animarum et aedificationem fidelium eorum missionem esse cessuram. — Religiosi exclaustrati, pro tempore quo extra conventum morantur, et religiosi saecularizati eadem tenentur lege ac clerici saeculares (ibid., nn. 9, 10).

834 *d.* — *R. ad* 5m *Quaes.* Sacerdotes qui, his legibus non servatis, temere arroganterque demigraverint, suspensi a divinis ipso facto maneant: qui nihilominus sacris (quod Deus avertat) operari audeant, in irregularitatem incidant; a quibus poenis absolvi non possint nisi a Sacra hac Congregatione (ibid., n. 16). — Absolutio tam suspensionis quam irregularitatis reservata est S. C. Consistoriali, ita ut neque qui possunt absolvere a reservatis papalibus a tali suspensione absolvere possint (S. C. Consist., 25 mart. 1914, c. 1, a. 8). Ab incurrenda hac censura excusat ignorantia etiam si fuerit gravis et supina.

834 *e.* — *R. ad* 6m *Quaes.* TITIUS incidit in suspensionem a divinis reservatam S. C. Consistoriali saltem ex quo descendit in Americam. Actus enim demigrationis non videtur completus nisi post adventum in respectivam regionem. Unde durante itinere, cum ipse suspensus adhuc non sit, poterit in navi confessiones excipere, et etiam Sacrum facere, si ex apostolico indulto ipsi aliunde hoc liceat.

* CASUS XI

DE SACERDOTIBUS IN AMERICAM AUT PHILIPPINAS INSULAS DEMIGRANTIBUS 2.°

SEMPRONIUS, sacerdos hispanus, facultatem petiit se transferendi in Philippinas insulas ad breve tempus pro negotio aliquo sibi urgenti. Data ipsi fuit licentia a proprio Ordinario ad quatuor menses, sed beneplacitum S. Sedis non reportavit. Quatuor illis mensibus finitis, ipse diversis praetextibus moram illic protraxit ad alios quatuor menses, et postea, nulla facultate petita, ad Americam septentrionalem confugit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid requiratur ut clerici pergere possint ad breve tempus in Americam vel in Philippinas insulas?*

2.° *Quid si agatur de religioso exclaustrato aut saecularizato?*

3.° *Quis habet facultatem prorrogandi licentiam?*

4.° *Quaenam sint poenae latae contra transgressores?*

5.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

834 *f.* — *R. ad* 1m *Quaes.* Clerici saeculares, qui ex Europa vel ex Mediterranei oris in Americam vel in insulas Philippinas ad breve tempus, semestre non excedens, pergere cupiunt, acceptatione non indigent Ordinarii illius loci, vel illorum locorum ad quae proficiscuntur, prout pro diuturna vel stabili commoratione requiritur. Sed de-

bent: *a)* iustam honestamve causam itineris suscipiendi habere, eamque Ordinario suo patefacere, ut discessorias litteras ab eo impetrare valeant; — *b)* muniri discessorialibus litteris Ordinarii sui, non in forma communi sed in forma specifica, cohaerenter ad ea quae superiori n. 1834 *b* praescripta sunt, causa temporanei itineris et spatio temporis in indulto indicatis; — *c)* reportare S. Sedis beneplacitum, quod dandum erit vel ab hac S. Congregatione vel ab Apostolicae Sedis Legatis, in locis ubi hi adsint; nisi urgens aliqua causa discessum absque mora exigat: quo in casu in litteris discessorialibus id erit exprimendum; — *d)* in quolibet casu instrui sufficienti pecuniae summa nedum pro itinere decenter suscipiendo, sed etiam pro regressu: ad quem finem Ordinarius cavere debet, ut summa ad revertendum necessaria deponatur penes aliquam nummulariam mensam, aut alio modo tuta sit, ne ulla reversioni obstet pecuniae difficultas.

R. ad 2^m *Quaes.* Religiosi exclaustrati durante exclaustrationis tempore, et religiosi saecularizati hac ipsa lege tenentur.

834 *g.* — *R. ad* 3^m *Quaes.* Expirato spatio temporanei indulti, si quis ex infirmitate aut alia iusta vel necessaria causa redire non valeat, Ordinarius loci licentiam prorogare poterit, docto tamen statim Ordinario sacerdotis proprio et S. Sedis Officio, a quo beneplacitum discessus datum fuit.

834 *h.* — *R. ad* 4^m *Quaes.* Poenae sunt eaedem ac in n. 834 *d* dictae sunt.

834 *i.* — *R. ad* 5^m *Quaes.* SEMPRONIUS incidit in suspensionem a divinis S. C. Consistoriali reservatam, ex quo pervenit in Philippinas insulas absque beneplacito S. Sedis. Quod si in Americam Septentrionalem confugit animo illic permanendi sive ad breve, sive ad longum tempus, aut in perpetuum, videtur praeterea incidisse in novam suspensionem pariter reservatam S. C. Consistoriali.

N. B. Leges de sacerdotibus migrantibus latae eos quoque attingunt sacerdotes, qui, aut in itinere transmarino aut in exteris commorationis locis, Europa minime excepta, agricolis aliisque operariis demigrantibus suum praestant ministerium, sive curam hanc sponte sua suscipiant, sive ad hoc assumantur officium ab aliquo ex iis *Operibus*, quae in migrantium commodum providenter hac nostra aetate instituta sunt.

CASUS

DE MATRIMONIO

DE SPONSALIBUS

SCILICET

De valore sponsalium; de eorum obligatione; de consensu sponsalitio vero, erroneo et conditionato; de solutione sponsalium.

* CASUS I

VALOR SPONSALIUM 1.°

BALDINUS cum LEONIA familiariter agit, et his verbis ei matrimonium promittit: *Non ducam aliam uxorem quam te.* Tacet LEONIA. Advertit BALDINUS huic non sufficere istam promissionem, et dicit: *Ducam te, et nullam aliam.* Acceptat puella promissionem, sed nullo alio verbo aut signo repromittit.

HINC:

QUAER. 1.° *An et quatenus sponsalia valida esse possint?*
2.° *An promissio* BALDINI, *variis formulis enuntiata, valida fuerit ex eius parte?*
3.° *An* LEONIA *acceptando censeatur repromisisse; et an valeant sponsalia in primo casu relata?*

SOLUTIO:

834 *k.* — *R. ad* 1m *Quaes.* Matrimonii promissio, sive *unilateralis,* sive *bilateralis* seu *sponsalitia,* **irrita** est pro *utroque foro,* nisi facta fuerit: *a)* per scripturam subsignatam a partibus, *b)* et **vel** a parocho, *aut* loci Ordinario, **vel** a duobus saltem testibus (can. 1017, § 1). — Si utraque, vel alterutra pars scribere *nesciat* vel *nequeat,* ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur, et alius testis addatur, qui cum parocho, aut loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus in § 1, scripturam subsignet (ibid., § 2). — Ex matrimonii promissione, *licet valida* sit, nec ulla *iusta causa* ab eadem implenda *excuset,* **non datur actio** ad petendam matrimonii *celebrationem;* datur tamen ad reparationem *damnorum,* si qua debeatur (ibid., § 3).

Hinc inferes: 1.° Omnes promissiones matrimoniales, in quibus non concurrant sollemnitates in hoc canone praescriptae, ita abrogantur a iure, ut nullam obligationem pariant, non modo in foro externo, sed *neque in conscientiae foro*. Similem abrogationem iam fecerat decret. *Ne temere* (2 aug. 1907) pro universa Ecclesia; et antea declarationes S. C. Conc. 31 ian. 1880 pro **Hisp.**; et S. C. sup. neg. eccles. extraord. 1 ian. 1900 pro universa **Amer. lat.** (cfr. *Ferreres,* Los Esponsales y el Matrim., nn. 43 seq., 50 seq., 54 seq.), sed *tantum* quoad contractus *bilaterales*.

2.° Promissiones *validae,* sive unilaterales, sive bilaterales, pariunt quidem *per se* obligationem in conscientia **etiam ad contrahendum matrimonium**, sed nullam dant *actionem,* sive *ius* ut quis apud tribunalia possit obligare aliam partem ad matrimonii celebrationem, et hoc quamvis nulla sit *causa iusta excusans* a promissione implenda. Haec denegatio actionis est noviter inducta per Codicem. Cessat ergo impedimentum impediens, quod actionem concedebat impediendi matrimonii celebrationem cum tertia persona.

Datur nihilominus *actio* ad postulandam damnorum reparationem, v. gr. si quis mala fide seduxerit puellam sub promissione sollemni matrimonii, vel in causa fuit, cur illa alias favorabiles nuptias amitteret. Tum damnorum sibi illatorum reparationem petere poterit in tribunali, non autem matrimonii celebrationem; immo haec actio (quae est *mixti fori)* non suspendit matrimonii celebrationem cum tertia persona. Comm. Cod., 2-3 iun. 1918: *Acta,* X, pag. 345.

3.° Praeterea in disciplina ante Codicem vigente, ex sponsalibus validis oriebatur in unaquaque parte *impedimentum dirimens* publicae honestatis (quod nunquam cessabat, nec per mortem alterius partis contrahentis) erga personas coniunctas in primo gradu consanguinitatis cum altera parte contrahente. Hoc etiam impedimentum abolitum est etiam pro his, qui illud contraxerunt ante Codicem. Si tamen matrimonium nulliter contractum sit ante Codicem propter hoc impedimentum, nullum perseverat post Codicem, donec convalidetur in forma exposita in **Comp.**, n. 1124. Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 52, pag. 239 seq.; Derecho sacramental, n. 429. Vide infra, n. 845, N. B.

835. — *R. ad* 2m *Quaes.* Non valet promissio priori formula enuntiata, *non ducam aliam quam te;* quia haec verba sunt mere negativa, et promittens potest nullam ducere, seu neque LEONIAM, neque aliam. Censetur enim dicere: *Te ducam, si forte aliquam duxero, sed non me obligo ad aliquam ducendam.* — Valet autem ex parte BALDINI (dummodo *aliae sollemnitates, quae necessariae fuerint,* accesserint) promissio posteriori formula expressa, scilicet, *te ducam, et nullam aliam;* quia haec verba consensum absolutum continent. *Reuter,* n. 479; *S. Alph.,* n. 842.

836. — *R. ad* 3m *Quaes. Neg., probabilius,* quia acceptatio pro-

missionis unius non includit necessario repromissionem ex parte alterius; unus enim acceptare potest obligationem alterius, quin seipsum obliget. Hic tandem resolvendum est non valere *sponsalia* (1) inter BALDINUM et LEONIAM inita, quia deficit clarus consensus ex parte sponsae. Consensus autem ille manifestus in contractu *bilaterali,* ut est contractus *sponsalitius,* omnino requiritur. Consequenter ex illa promissione unius et acceptatione alterius, nulla inducitur obligatio sponsalitia. Immo nec ipse BALDINUS ex promissione sua a puella acceptata videtur devinciri solitaria obligatione fidelitatis non ducendi aliam uxorem. Etenim, licet ille potuerit se obligare primum, exspectando puellae repromissionem, non censetur voluisse se obligare quin et LEONIA ipsa se obligare voluerit. *S. Alph.*, n. 836; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 4, n. 98, IV.

De valore promissionis unilateralis post Codicem, vide dicta in n. 834 *k*.

CASUS II

VALOR SPONSALIUM 2.°

QUIRINUS, nobilis familiae iuvenis, caeco amore ROSALIAE puellae plebeiae captus, cum ea, insciis parentibus, sponsalia contraxit. Parentes vero QUIRINI, accepta imprudentis promissionis notitia, nihil intentatum relinquunt, ut huic matrimonio, adeo familiae indecoro, obsistant. QUIRINUS vero cernens afflictos genitores, nolensque eos offensos habere, angustiis premitur. Quid igitur faciet miser? Cum ROSALIA agere minus urbane, immo frigide, incipit; deinde, allegato parentum dissensu, sponsae valedicit. Postea, ratus se liberum prorsus esse, matrimonium promittit LAELIAE, paris conditionis puellae, sed secreto castitatis voto obstrictae. Libenter quidem annuit illa; verum, hoc voto cognito, QUIRINUS renuntiat LAELIAE et matrimonium cum FLAVIA, eiusdem sorore, contrahit.

HINC:

QUAER. 1.° *An valeant sponsalia insciis parentibus inita?*
2.° *An possint licite invitis parentibus contrahi?*
3.° *An licite* QUIRINUS ROSALIAM *adegerit ad contractum sponsalium rescindendum?*
4.° *An valida fuerint sponsalia contracta cum* LAELIA, *non obstante voto secreto castitatis quod illa emiserat? et an validum fuerit matrimonium cum eiusdem sorore initum?*

---

(1) Sponsalia sunt contractus bilateralis, seu promissio deliberata, *mutua* et signo sensibili expressa futuri matrimonii inter personas habiles. **Comp.,** n. 932.

SOLUTIO:

837. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm. per se.* Ratio est, quia electio status debet esse libera et ab aliena voluntate independens. Valet enim matrimonium insciis et invitis parentibus contractum, ut constat ex *Trid.* sess. 24, c. 1, De reform.; ergo multo magis sponsalia, quae tantum ad matrimonium disponunt, et sunt minus firma.

838. — Dixi *per se,* quia quandoque non valerent sponsalia invitis parentibus inita, nempe «si promissio sponsalitia data sit pro eo tempore iisque circumstantiis, quibus matrimonium nonnisi cum peccaminosa parentum offensa contrahi potest, quia, v. gr. iustam et perpetuam habent causam contradicendi, non tantum illicita, sed etiam ipso facto invalida exsistit. Nam *promissio* ad rem impossibilem vel inhonestam ipso iure irrita est». *Wernz,* Ius Decretal., vol. 4, n. 99, III. Disparitas tamen personarum praecise non irritat sponsalia, si contrahentes illius conscii fuerint. *Reuter,* nn. 466, 467; *S. Alph.,* n. 849.

839. — *R. ad* 2m *Quaes. Nego generatim loquendo.* Ratio est, quia filii tenentur revereri suos parentes, et proinde in re tam gravi eorum consensum vel consilium petere. Excipe casum, in quo filii praeviderent parentes nuptiis honestis et convenientibus contradicturos esse. Attamen maxime est cavendum, ne suo soli iudicio confidant. Ita *communiter. Reuter,* ibid.; *S. Alph.,* n. 849.

840. — *R. ad* 3m *Quaes. Controvertitur* inter theologos utrum dissensus parentum sit causa sufficiens sponsalia valide inita dissolvendi; sed distinguendum est cum *S. Alph.,* n. 877: si parentes iniuste dissentiant a matrimonio, sponsalia dissolvi nequeunt; secus, si iuste contradicant, v. gr. si matrimonium vertat in dedecus familiae, etc. Igitur in casu nostro licite potuit QUIRINUS sponsalia dissolvere, licet valida ab initio fuerint, quia dissensus parentum omnino iustus videtur. Sed inutiliter sponsam induxit minus urbane, ut promissionem remitteret. Sufficiebat enim, ut allegato iusto et gravissimo parentum dissensu, ipse a sponsalibus resiliret. V. **Comp.**, n. 935.

841. — *R. ad* 4m *Quaes.* Sponsalia QUIRINI cum LAELIA invalida fuerunt, quia promissio sponsae, voto castitatis ligatae, fuit de re illicita, utpote Deo iam promissa et obligata, ac proinde obligare denuo erga hominem non potuit. *S. Alph.,* n. 873, ubi dicit hoc certum esse.

Proinde validum fuit matrimonium eiusdem QUIRINI cum sorore LAELIAE, postea initum, etsi contractum fuerit ante Codicem. Etenim, invalidis sponsalibus cum LAELIA contractis, nullum publicae honestatis impedimentum inde subsecutum est. *S. Alph.,* n. 873. — V. **Comp.**, n. 934.

A fortiori validum esset post Codicem, quia tale impedimentum iam abrogatum est.

CASUS III

UXOR FACILE A LACRIMIS TEMPERANS

DAFROSA, a paucis annis coniugata, rerum humanarum caducitatem mox experitur; cernit enim maritum, repentino morbo correptum, ad mortem iam iam properantem. Ipsa vero flere, eiulare, suspiriis et clamoribus aërem opplere coepit: «O me miseram! aiebat, quid faciam? Utinam et ego simul cum dilectissimo viro rapiar!» Id audiens GETULIUS, familiae amicus, qui olim cum DAFROSA luxuriose fuerat conversatus, cum ipsa sponsalia ab utroque et a duobus subscripta testibus secreto inivit. Sed, mortuo viro, statim adstat alius candidatus, FIDELINUS scilicet, qui praetendit DAFROSAM debere sibi nubere, non vero alteri, quia antequam illa defuncto coniugi nuberet, sibi matrimonium promiserat.

HINC:

QUAER. 1.° *An sint valida sponsalia inter* GETULIUM *et* DAFROSAM?

2.° *Quid, si pravum consortium inter utrumque habitum* DAFROSAE *matrimonium praecesserit, necne?*

3.° *An* DAFROSA FIDELINUM *ducere debeat, vi sponsalium prius cum eo initorum?*

SOLUTIO:

842. — *R. ad* 1^m *Quaes. Nego,* etiam praescindendo tum a circumstantia pravi consortii inter utrumque habiti, tum a promissione, quam DAFROSA ante matrimonium iam alteri fecerat. Ratio est: promissio nuptiarum, coniuge adhuc superstite facta, non tantum illicita, sed etiam ut omnino nulla haberi debet; quia iura huiusmodi promissionibus resistunt: sunt enim contra bonos mores, cum per illas detur ansa captandae mortis coniugis. *Sánchez,* l. 7, disp. 79, n. 40; *Gasparri,* De matrim., n. 11; *Génicot,* Casus, tr. 18, cap. 1, cas. 5.

843. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Si copula perfecta habita fuerit inter GETULIUM et DAFROSAM, stante huius matrimonio, et seria fuerit utriusque matrimonii promissio, non tantum illorum sponsalia invalida sunt, sed praeterea impedimentum criminis intercessit, ita ut, ne valide quidem, nisi, obtenta pontificia dispensatione, in matrimonium coniungi queant. Secus vero, si copula matrimonium DAFROSAE praecessit. V. **Comp.,** n. 1022.

844. — *R. ad* 3^m *Quaes.* In praxi standum est pro libertate. Quamvis enim *S. Alph.,* n. 875; *Rosset,* De matrim., n. 1020 seq., et aliis *probabilius* videatur non esse ex parte DAFROSAE exstinctam in casu

obligationem priorem sponsalium, haec tamen sententia certa non est, immo opposita multis videtur probabilior, nempe *Gasparri,* l. c., n. 104; *Ball-P.,* vol. 6, n. 136 seq.; *Santi-Leitner,* l. 4, tit. 1, n. 47; *Wernz,* l. c., n. 114, et aliis. V. **Comp.,** n. 937.

* CASUS IV

DE FORMA ET EFFICACIA SPONSALIUM 1.°

TITIUS sponsalia contraxit cum BERTHA in civitate Palentina die 19 aprilis 1908 coram notario et duobus testibus. TITIUS subscripsit scripturam, non autem BERTHA, scribere nescia.

Sed, quae est humanae voluntatis inconstantia! Post dies aliquot eum paenituit de sponsalibus cum BERTHA contractis, ac cogitare coepit de matrimonio contrahendo cum sorore BERTHAE, MARIA nempe, quam antea violaverat occulte, et quae ei significavit se gravidam esse ex praecedenti consortio cum ipso.

Igitur TITIUS cum MARIA aufugit in oppidulum dioecesis toletanae ubi NEMESIUM fratrem parochum habebat, eique narravit praegnantiam MARIAE, rogavitque ut ad infamiam vitandam eos coniungere statim vellet. Quod statim praestitit NEMESIUS. Praegnantia MARIAE falsa erat. Immo ipsa spongiam habebat intra vaginam temporae copulae ne praegnatio sequeretur, eamque post copulam secreto extraxerat.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid requirebatur ad valorem sponsalium iuxta decretum «Ne temere»?*

2.° *An sponsalia in* **Hispania**, *in* **Philippinis** *insulis atque in* **America latina** *decreto «Ne temere» regerentur?*

3.° *Quid de valore sponsalium inter* TITIUM *et* BERTHAM?

4.° *An validum sit matrimonium* TITII *cum* MARIA?

SOLUTIO:

845. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Eaedem ac nunc requiruntur ex Codice. Vide n. 834 *k.*

N. B. Ordinarius et parochus munus testis *authorizabilis* pro sponsalibus in territorio tantum sibi subiecto gerere poterant ac possunt, non extra illud. Aliorum testium partes quicumque gerere potest, modo rationis usum habeat et scribere sciat et possit. Cfr. infra, nn. 848, 849.

846. — *R. ad* 2^m *Quaes. Affirmative,* ut constat ex eo quod in ipso decreto expresse dicatur statutis in ipso legibus teneri omnes in catholica Ecclesia baptizatos, et quae in eo disposita sunt ubique vim

legis habere; contrariis quibuslibet etiam peculiari mentione dignis minime obstantibus. Quae verba sufficientissime derogant, iuxta vigentem stylum curiae, cuicumque consuetudini etiam centenariae aut immemoriali. Ita postea declaravit S. C. de Sacram. 13 martii 1910. Cfr. *Ferreres,* Los esponsales y el matrimonio según la novísima disciplina, nn. 178 seq., 554-576; 668-671; 890-913, edit. 5.ª

846 *a.* — *R. ad* 3m *Quaes.* Sponsalia inita inter TITIUM et BERTHAM valida dicenda sunt, saltem quoad formam externam. Contracta quidem sunt coram notario publico ad formam antiquam, quia forte sponsi ignorabant novam esse inductam disciplinam; sed de facto sollemnitates decreti *Ne temere* observatae sunt. Etenim sponsalia, cum nihil in contrarium dicatur, ad normam *generalem* scripturae publicae conscripta esse credimus, ideoque subscripta fuere saltem a duobus testibus, ita enim subscribendae sunt omnes publicae scripturae (1); subscripta etiam sunt a TITIO, quamvis non a BERTHA, scribere nescia. Addendus igitur erat novus testis (2), sed munus ipsius bene impletur a notario; qui praeterea in scriptura adnotavit BERTHAM non subscripsisse quia nesciebat subscriptionem apponere, ut omnino debet adnotare iis in casibus (3). Ergo habentur omnia requisita ad formam externam iuxta decretum *Ne temere.*

Si tamen, ut aliquando fieri permittitur (4), nullus ex testibus instrumentalibus subscripsit quia nesciebant, sed tantum subscripsere TITIUS, notarius, et alius nomine BERTHAE, sponsalia nulla omnino essent.

Valori non obstat copula TITII cum MARIA, sorore BERTHAE, quia talis copula, utpote inepta omnino ad generationem, non pariebat affinitatem.

846 *b.*—*R. ad* 4m *Quaes.* Matrimonium TITII cum MARIA invalidum est, utpote contractum ante Codicem, propter impedimentum publicae honestatis ortum ex sponsalibus validis cum BERTHA. Nunc satis erit ad convalidationem ut sponsi consensum renovent, cognita nullitate, quia impedimentum cessavit. Cfr. dicta n. 834 *k.*

Attenta dumtaxat forma extrinseca validum esset, utpote initum coram NEMESIO, parocho, intra limites sui territorii iuxta praescripta articuli IV decreti *Ne temere* (nunc a Codice confirmata).

In antiqua disciplina ante decretum *Ne temere* matrimonium fuisset nullum etiam quoad formam externam seu propter impedimentum clandestinitatis, quia NEMESIUS nullius e contrahentibus proprius parochus erat, nec illi erant vagi.

---

(1) Cfr. art. 20 de la ley del Notariado de 28 de mayo de 1862 *(Alcubilla,* vol. 8, pag. 379).
(2) Cfr. art. 64 del Reglamento del Notariado de 9 de nov. 1874 (Ibid., pag. 401).
(3) Cfr. art. 61 del Reglamento del Notariado de 9 de nov. 1874 (Ibid., pag. 401).
(4) Cfr. art. 66 del Reglamento del Notariado.

* CASUS IV *bis*

DE FORMA ET EFFICACIA SPONSALIUM 2.°

Privata sponsalia inivere NESTOR et CAIA anno 1912 iuramento firmata; et postea, ad maiorem firmitatem, in scripturam sponsalia redegerunt coram parocho territorii, qui, nescio qua de causa, oblitus fuit apponere subscriptionem, iamque mortuus est. Post menses aliquot PAULUS, optimae indolis iuvenis, optavit matrimonium inire cum CAIA, quae ei non acquievit, allegato sponsalium impedimento: quare PAULUS ad alias convolavit nuptias. Nunc vero NESTOR, relicta CAIA, matrimonium contrahere cupit cum VIRGINIA, sorore CAIAE.

HINC:

QUAER. *An Ordinarius in foro externo, aut confessarius in foro conscientiae impedire potuissent nuptias* NESTORIS *cum* VIRGINIA, *sive ante Codicem, sive post Codicem?*

SOLUTIO:

847. — *R. ad Quaes. Negative.* Etenim cum priora sponsalia privata omnino sint, et quae secundo loco inita fuere, praeter subscriptionem sponsorum, careant omni alia subscriptione, nulla sunt et irrita in utroque foro, tam post decretum *Ne temere,* quam post Codicem. Vide supra, n. 834 *k.* Quare nec impedimentum dirimens publicae honestatis oriri potuit post decretum *Ne temere,* nec obligationem ullam in conscientia pariunt, ne fidelitatis quidem. Cum vero propter bonum publicum irrita sint ante omnem iudicis sententiam, firmari nequeunt iuramento; secus iuramentum esset contra bonum publicum, ideoque vinculum iniquitatis. Aliunde iuramentum in casu est quid accessorium, quod, corruente principali, et ipsum corruat necesse est (1).

Dolendum sane quod CAIA amiserit optimam occasionem favorabiles nuptias ineundi cum PAULO; ex hoc tamen nulla stricta obligatio oritur pro NESTORE, cui tamen *suadendum* est ut cum CAIA, quae iam ipsi fidelitatem ostendit suam, matrimonium contrahat.

N. B. Etsi sponsalia valida essent, Ordinarius *in foro externo* eorum obligationem urgere nequit post Codicem. Cfr. n. 834 *k.*

---

(1) Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 67 seq., et praes. 100-112, 117, 119-138, 142-149, 150-160, 167 seq.; *Card. Gennari,* pag. 18-21; *Vermeersch,* De forma sponsal., n. 23; *Ojetti,* De forma sponsal., nn. 49, 55.

* CASUS IV *ter*

DE FORMA ET EFFICACIA SPONSALIUM 3.°

1.° CAIUS et ROSA, impuberes, sponsalia inire volentes insciis nec opinantibus ipsorum parentibus, opera ancillarum, pariter impuberum, usi sunt, ita ut CAIUS in propria domo scripturam subscriberet praesentibus ancilla propria et ancilla ROSAE, et similiter postea faceret in sua domo ROSA, praesentibus etiam et subscribentibus iisdem ancillis. In scriptura obliti sunt apponere locum et diem initi contractus.

2.° AUGUSTINUS et AMALIA inivere sponsalia coram AMALIAE fratre LEONARDO, parocho. Cum vero essent extra limites paroeciae LEONARDI, huic ad maiorem securitatem delegationem concessit parochus loci; et cum sponsi scribere nescirent, huius ignorantiae mentio omissa quidem est in scriptura, ad vitandam sponsorum erubescentiam, sed ANSELMUS, AUGUSTINI pater, subscripsit.

HINC:

QUAER. *An valida fuerint sponsalia in utroque casu.*

SOLUTIO:

848. — *R. ad Quaes.* 1.° Sponsalia CAII et ROSAE invalida fuere iuxta decretum *Ne temere* itemque iuxta Codicem, eo quod sponsi non fuerint simul in eodem loco cum testibus dum scripturam illi subsignarunt, nec satis est ut testes adfuerint suscriptioni utriusque cum diversis in locis ac temporibus sponsi subscripserint; item sunt invalida eo quod omiserint adnotare diem (mensem et annum) initi contractus. (S. C. C., 25 iul. 1908, ad I et II). Adnotare locum videtur etiam necessarium, saltem si sponsalia ineantur coram parocho. Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 163, 575, 580, 582, 713 seq., 718 seq., edit. 5.ª

Valori non obstat quod contrahentes sint in impubertate adhuc constituti, nam etiam impuberibus licet sponsalia contrahere; nec quod testes fuerint feminae et impuberes, satis namque est ut usum rationis haberent et subscripserint. Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 163, 199, 202, 650 seq., 857, edit. 5.ª

849. — 2.° Nulla quoque fuere sponsalia AUGUSTINI et AMALIAE, quia non fuerunt contracta coram parocho territorii in quo inita sunt (S. C. C., 28 mart. 1908, ad VII. Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 161, 201, 205, 580, 848); nec valori aliquid confert delegatio concessa a parocho territorii, quia talis delegatio pro sponsalibus concedi nequit a parocho neque ab Ordinario (S. C. C., 28 mart., ad VI). Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 201, 575 seq., 711, 724, edit. 5.ª

Nulla etiam fuerunt eo quod in scriptura omissum est adnotare sponsos non subscribere, eo quod scribere nescirent. *Ferreres,* l. c.,

n. 163; *Vermeersch,* l. c., n. 27; *Card. Gennari,* pag. 19; *Boudinhon,* Le mariage, n. 43.

Si in casu, sponsi scribere scivissent et subscripsissent, valida essent sponsalia, quia praeterea aderant duorum testium subscriptiones, LEONARDI scilicet et ANSELMI. Quod autem hi essent sponsorum consanguinei, nihil validitati officit.

N. B. Sacerdos cui parochus committit curam paroeciae propter absentiam, aut infirmitatem ipsius parochi, bene gerere potest munus testis *authorizabilis* pro sponsalibus. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 724; *Wouters,* pag. 25, ed. 3.ª; *Arquer,* n. 34; *Capello,* pag. 38, ed. 2.ª Vide tamen *Il Monitore,* vol. 23, pag. 520 seq.

* CASUS IV *quater*

DE FORMA ET EFFICACIA SPONSALIUM 4.°

In provinciali Concilio Valentino statutum est ut matrimonium contracturi, aliquot ante diebus se sistant coram parocho (vel coadiutore) eique declarent se velle libere et sponte matrimonium inter se inire nulloque ad hoc detineri canonico impedimento, eumque rogent ut ad banna publicanda procedere velit. Haec omnia a parocho (vel coadiutore) redigi debent in scripturam, eaque subsignanda est a parocho (vel coadiutore) et a contrahentibus. Quod si e contrahentibus uterque vel alteruter scribere nesciat, id in scriptis adnotabitur, et scripturam subscribent testes duo vel unus, iuxta numerum contrahentium qui scribere nesciant (1).

Igitur REMIGIUS et MARTINA praedictam scripturam subscripsere, sed paulo post MARTINA ante contractum matrimonium mortua est. Nunc REMIGIUS cum AGATHA, matre MARTINAE, quae vidua est, nuptias inire cupit. Verum cum huiusmodi scriptura sollemnitates a Codice pro sponsalibus requisitas habeat.

HINC:

QUAER. 1.° *An in provincia Valentina matrimonium contracturi, postquam coram parocho (aut vicario) comparuerint, et praedictam scripturam subsignaverint, censendi sint ligati contractu sponsalitio?*

2.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

849 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes. Negative.* Quamvis communiter scri-

(1) Cfr. Formulario prescrito por el Conc. Prov. *Valentino,* pag. 22 seq.

ptura praedictas sollemnitates contineat, non tamen est scriptura sponsalium. Ut sponsalia exsistant requiritur ut contrahentes velint se obligare mutuo ex iustitia ad matrimonium suo tempore inter se contrahendum, idque mutuo sibi promittant et acceptent; in casu nostro hanc voluntatem se obligandi non habent nec exprimunt, sed tantum simplex propositum testantur contrahendi.

Igitur ex tali scriptura oritur obligatio iustitiae contrahendi matrimonium (nec ante Codicem oriebatur impedimentum dirimens publicae honestatis, nec impediens). Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 720 seq.

Casu quo uterque contrahens aut unus saltem scribere sciat et uterque compareat ante coadiutorem qui non gerat vices parochi absentis aut impediti, tunc scriptura carebit sollemnitatibus requisitis a Codice canonico, quia deficiet subscriptio alterius testis, cum coadiutor in casu gerat vices testis simplicis non autem testis authorizabilis: nequit enim parochus delegare munus testis authorizabilis pro sponsalibus. Vide dicta supra, n. 849.

849 *b. — R. ad* 2m *Quaes.* Ut ex dictis patet, nihil obstabat ante Codicem quominus Remigius Agatham ducere posset. Nec a fortiori quidquam obstat post Codicem, quo etiam impedimentum dirimens ortum ex sponsalibus sublatum est.

N. B. Quod scriptura sponsalium sit tota manuscripta aut ex parte typis impressa nihil refert pro valore sponsalium, modo debitas habeat subscriptiones.

CASUS V

CONSENSUS ERRONEUS

Parmenio, de matrimonio ineundo cogitans, oculos convertit in Berthinam puellam, quae dotibus animi et corporis eminebat, licet divitiis non abundaret. Hoc suum consilium aperuit Berthae, eius genitrici, ut ipsius consensum obtineret. Bertha vero, quae, defuncto nuper viro, novis nuptiis inhiabat, existimavit se optimam nactam esse occasionem votis suis obsequendi. Omnibus igitur blanditiis Parmenionem sibi conciliare studuit, ut secum potius quam cum filia matrimonium iniret. Ingentem pecuniae copiam ex patris nuper demortui hereditate se accepisse simulavit, dum exiguam tantum summam inde perceperat, ut spe divitiarum hominem ad optatas a se nuptias induceret. Parmenio, ratus Bertham reapse divitem esse, sponsalia cum ea ita anno 1914 inivit; immo eius blanditiis illectus, turpiter cum ea conversatus est. Verum paulo post, cum esset matrimonium initurus, mulieris fraude detecta, illius nuptias reiecit, iterumque animum ad Berthinam convertit.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel qualis error consensum invalidet in contractu sponsalitio?*

2.° *An* PARMENIO *a sponsalibus cum* BERTHA *initis resilire potuerit, inspectis quae in casu?*

3.° *An nova sponsalia et ipsum matrimonium cum* BERTHINA *inire posset?*

SOLUTIO:

850. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Error *substantialis,* seu versans circa personam, certo invalidat contractum sponsalitium. Idem dicendum de errore circa qualitatem *per se* intentam velut conditionem *sine qua non.* seu in substantiam ipsam redundantem. Ratio est, quia ubi intervenit talis error, vel fraus, consensus deficit; ergo deficit contractus, utpote in consensu consistens. Idem tene de errore circa conditionem *servilem* alterius partis.

2.° Error *accidentalis* circa alias qualitates non invalidat contractum, sed si vere notabilis error ille fuerit et causam dederit contractui, hic erit *rescindibilis,* ad nutum partis deceptae. *Elbel,* n. 20; *Voit,* n. 1105; *Gasparri,* l. c., nn. 16, 87 seq.; *Wernz,* l. c., n. 97, I.

851. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Fuit enim gravi errore et insigni fraude deceptus; siquidem longe aberat quin BERTHA esset in eo statu, quem iactando prae se tulerat; neque PARMENIO, filia relicta, ad matrem se converterat, nisi spe fortunae multo maioris impulsus et allectus.

852. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Ante Codicem obstabat duplex impedimentum dirimens. *Primo* quidem obstabat impedimentum *publicae honestatis* ortum ex sponsalibus initis cum BERTHA, matre BERTHINAE, nempe eius consanguinea in primo gradu. Etenim, ex dictis supra, haec sponsalia habenda sunt ut valida: atqui sponsalia valida impedimentum publicae honestatis in primo gradu consanguinitatis inducebant: ergo... Nec refert quod PARMENIO a sponsalibus iuste resilierit, quia impedimentum semel exsistens nonnisi per dispensationem cessare poterat. Obstabat *secundo* impedimentum *affinitatis,* proveniens *ex copula illicita* quam PARMENIO cum BERTHA habuit, cum in casu dicatur eos inter se turpiter egisse.

2.° Post Codicem nullum iam obstat impedimentum dirimens, cum utrumque per Codicem sublatum iam sit. Cfr. supra, n. 834 *k*, et **Comp.**, n. 1037. Nec adest ulla contrahendi obligatio in conscientia, cum sponsalia legitime soluta sint.

CASUS VI

CONSENSUS CONDITIONALIS

ODILO et ODILIA, secundo gradu consanguinitatis inter se invicem coniuncti, sponsalia contrahunt, hac tamen adiecta conditione, *si Papa dispensaverit*. Subinde, communi consensu, supplicem libellum Romam ad dispensationem impetrandam mittunt. Interea ODILO, cum aliam puellam, VIRGINIAM scilicet, ODILIA pulchriorem, et aliis etiam dotibus praestantiorem invenisset, cum ea, priorum sponsalium ignara, nova inivit sponsalia. Paulo post, instante iam matrimonii inter ODILONEM et VIRGINIAM celebratione, ODILIA dispensationis litteras accepit, et statim ab ODILONE fidem sibi datam servandam esse reclamat. Anxius ODILO a confessario quaerit quid sibi faciendum sit? Confessarius autem ipse dubius et anceps quaerit quid sit ODILONI suadendum?

HINC:

QUAER. 1.° *An et quando valida sint sponsalia sub conditione?*

2.° *Quid de primis et de posterioribus sponsalibus ab* ODILONE *initis sentiendum sit?*

3.° *Quid* ODILONI *praescribendum, vel suadendum?*

SOLUTIO:

853. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Sponsalia inita sub conditione *de praesenti* hic et nunc valent, si conditio sit verificata; si autem sub conditione *de futuro* contrahantur, valebunt statim ac conditio adimpleatur, absque novo consensu contrahentium, modo neuter consensum antea datum revocaverit. Interea vero contrahentes tenentur ad exspectandum conditionis impletionem, si conditio honesta sit.

Quod si alteruter non exspectaret, sed contraheret nova sponsalia, haec *irrita* essent, quia essent promissio iniusta de re illicta. Cfr. *Gasparri,* n. 48. Verum disputant auctores utrum impleta conditione contractus sponsalitius firmus evadat, si alteruter ante verificatam conditionem *illicite* revocaverit suum consensum. Affirmant *Lugo,* De iust. et iur., d. 22, n. 384 seq.; *Lehmk.,* 2, n. 661; *Wernz,* l. c., n. 103, *et alii,* iudicantes *illicitam* retractationem consensus esse etiam omnino *invalidam. Negant* vero *Sánchez,* De matrim., l. 1, d. 8, n. 1; *Gasparri,* l. c., n. 48; *D'Annibale,* 3, n. 432, nota 24.

854. — 2.° Certum tamen est ante conditionis adimplementum sponsalia adhuc non valere. Quod intellige de conditione *suspensiva;* sed si conditio *resolutiva* foret, sponsalia statim valerent, v. gr.: contraho tecum sponsalia vel promitto matrimonium, sed si ante quatuor

menses lis, quam sustines, non fuerit finita per sententiam tibi favorabilem, liber ero.

855. — 3.° An vero valeant sponsalia, stante impedimento de se *perpetuo, dirimente* vel *impediente*, contracta sub conditione *si dispensetur?* Si impedimentum est huiusmodi ut in eo Rom. Pontifex dispensare soleat et contrahentes *causam* sufficientem dispensandi habeant, *probabiliter* de his iudicandum est sicut de aliis sponsalibus sub conditione de futuro honesta et possibili (sicut haec est) initis dictum est. Ita *Sánchez,* l. c., l. 5, n. 2 seq.; *S. Alph.,* n. 859; *Gasparri,* l. c., n. 50 seq.; *Ball. P.,* vol. 6, n. 57 seq.; *Rosset,* l. c., n. 831 seq.

At plures et graves auctores omnimodam nullitatem horum sponsalium non improbabiliter propugnant, ut *Santi-Leitner,* l. 4, tit. 5, nn. 32, 33; *Feije,* De disp. matrim., n. 394; *Aichner,* Comp. iur. eccles., § 159, cui sententiae praxis SS. Congregationum in concedendis dispensationibus favisse videtur. Cfr. *Wernz,* l. c., n. 95.

856. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Priora sponsalia ODILONIS probabiliter invalida fuerunt ex duplici capite: 1.° quia consensus sponsi revocatus fuit ante conditionis purificationem; 2.° quia inita erant inter eos, qui impedimento dirimente de *se perpetuo* detinebantur. His accedit, quod dispensatio Pontificis concedi solet cum clausula ut sponsis liberum omnino sit alia inire sponsalia.

Ex dictis pariter infertur posteriora sponsalia ODILONIS, *probabiliter* fuisse quoque invalida.

857. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Stante praecedenti controversia, ODILO urgeri nequit ad ODILIAM ducendam, sed ei permitti potest ut VIRGINIAM ducat; siquidem ex dictis, *probabiliter,* aut etiam *probabilius* valida sponsalia cum ea contraxit, et ad eam obligatur; ergo in bona pace est relinquendus.

CASUS VII

SOLUTIO SPONSALIUM 1.°

LEOPOLDUS, studio iuris navans operam, sponsalia iuramento firmata cum DOMITILLA honestissima puella inivit, promisitque se eam ducturum esse quando, laurea donatus, advocati munere potiretur. Tribus annis saepe saepius puellam invisit, fidemque datam inter colloquendum confirmavit. Quibus rebus ita eius animum sibi conciliavit, ut illa oblatas ab alio iuvene honestissimas nuptias respuere non dubitaverit. Sed LEOPOLDUS, audita vehementi contione de rerum mundanarum vanitate, fallaci mundo valedicere statuit. Ut maiore tamen prudentia procederet, spiritualibus exercitiis in quodam regularium conventu vacare voluit, quibus expletis, de consensu confessarii, tum castitatem

servare, tum etiam ordines sacros suscipere vovit. Absque mora, clericali habitu induto, minoribusque susceptis ordinibus, theologicis disciplinis toto animo vacavit. His cognitis DOMITILLA datam sibi fidem violatam esse conclamat, quam fidem ipsa, reiecto praeclaro connubio, adeo fideliter servavit. Hinc crebris epistolis et quaerimoniis LEOPOLDUM a concepto proposito dimovere conatur. Hic vero anxius quaerit a confessario quid sibi agendum sit?

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo sponsalia valida dissolvi queant?*
2.° *An licite et valide voverit* LEOPOLDUS?
3.° *Quid ei praescribendum, aut quid suadendum?*

SOLUTIO:

858. — *R. ad* 1m *Quaes.* Sponsalia valida multiplici ex causa dissolvi possunt, ita ut eorum obligatio vel in utroque vel in altero saltem sponso cesset. *Praecipue* ex his capitibus solvi possunt: 1.° mutuo partium consensu, ut patet, cum singuli e iure suo cedere possint; 2.° impedimento superveniente, cum matrimonium, stante impedimento, contrahi nequeat; 3.° electione status perfectioris ab alterutro facta, quia contrahens sponsalia non censetur sibi praecludere viam ad statum perfectiorem amplectendum; 4.° crimine gravi alterius, vel notabili mutatione status, quia consensus censetur conditionalis, nempe, *si res in eodem statu permaneant;* 5.° per Rom. Pontificis dispensationem. Cfr. *Gasparri,* l. c., n. 72 seq.; *Ball.-P.,* l. c., vol. 6, n. 134 seq.; *Wernz*, l. c., n. 110 seq. V. **Comp.,** n. 934 seq.

859. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia non censetur sponsalia promisisse, nisi sub tacita conditione, scilicet, *nisi statum perfectiorem elegero. S. Alph.,* n. 872; *Wernz,* l. c., n. 113; *Gasparri,* l. c., n. 96.—V. **Comp.,** n. 934.

860. — *R. ad* 3m *Quaes.* Nihil aliud LEOPOLDO praescribendum, nisi ut fideliter utrumque votum adimpleat, et suadendum ut sponsam enixe precibus suis Deo commendet. Quod autem sponsa alias nuptias favorabiles repudiaverit, ut fidem LEOPOLDO daret, per accidens est, et casum hunc calamitosum cum pace sufferre debet, donec novae nuptiae non contemnendae ipsi arrideant.

CASUS VIII

SOLUTIO SPONSALIUM 2.°

CORNELIUS, initis cum ELEONORA sponsalibus, in fornicationem prolapsus est. Accidit postea ut et ELEONORA se eodem crimine polluerit. CORNELIUS iam dolens, ex eo quod ditiorem sponsam non quaesiisset, re cognita, libenter arripuit occasionem ab initis sponsalibus recedendi, non obstante instantissima mulieris reclamatione.

HINC:

QUAER. 1.° *An fornicatio patrata, sive a sponso, sive a sponsa, sit causa iusta a sponsalibus resiliendi?*
2.° *Quid, si uterque in idem crimen lapsus fuerit?*
3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

861. — *R. ad* 1m *Quaes.* Sponsus, cognita sponsae fornicatione, a sponsalibus resilire potest, iuxta communem theologorum sententiam, quia notabilis mutatio in deterius ex parte sponsae habita est. Hoc dicit certum *S. Alph.*, n. 861. An vero sponsa pariter resilire possit, si sponsus fornicatus fuerit? Negat *S. Alph.*, cum aliis non paucis, quia fornicatio ex parte sponsi tantam non involvit turpitudinem. Sed responderi potest, quod, licet turpior habeatur lapsus sponsae quam sponsi, nihilominus notabilem status mutationem producere videtur; ergo sane in simili casu nollem sponsam repugnantem ad nuptias cogere. Qualem enim posthac fidelitatem a tali sponso sperare potest misella? V. **Comp.**, n. 937.

862. — *R. ad* 2m *Quaes.* Triplex datur sententia probabilis. I.ª SENTENTIA, quam *S. Alph.*, n. 862, dicit *probabiliorem* et *communem,* tenet posse quidem sponsum resilire, non vero sponsam, quia in hoc non haberetur aequa compensatio, cum lapsus sponsae turpior sit quam culpa sponsi.

II.ª SENTENTIA dicit neutrum posse resilire, sed dari compensationem. Ratio est, quia, sicut contracto matrimonio, si uterque coniux adulteretur, neuter divortium petere potest, ita, si post inita sponsalia uterque fornicetur, neuter resilire potest.

III.ª SENTENTIA e contrario statuit, utrumque recedere posse a sponsalibus, quia utrique per crimen alterius tribuitur iusta causa resiliendi. *Rosset*, l. c., n. 1038; *Ball.-P.*, vol. 6, n. 155 seq.; *Wernz,* l. c., n. 115.

In tanta doctorum disputatione, videtur **standum** esse **pro utriusque sponsi libertate**. Saltem, si ius resiliendi sponso tribuitur, aequum omnino apparet ut etiam sponsae concedatur; quia, ut dicit *Castropalao,* licet fornicatio sponsae turpior sit, attamen sponsus crimine suo etiam fidem datam violavit, et proinde tribuit sponsae iustam causam resiliendi.

863. — *R. ad* 3m *Quaes.* CORNELIUS *probabiliter* et, iuxta *S. Alph.*, etiam *probabilius,* potuit a sponsalibus resilire ob sponsae fornicationem, licet ipse etiam lapsus fuerit. *S. Alph.*, n. 862.

CASUS IX

SOLUTIO SPONSALIUM 3.°

1.° LUCILLUS, postquam sponsalia cum VERONICA contraxisset, non monita sponsa, peregre abiit. Cum iam per dimidium annum remansisset, nihil prorsus VERONICAE significans, haec de mora et silentio illius pertaesa, sponsalia cum PHILIPPO contraxit. Verum, dum fiunt proclamationes, redit LUCILLUS, et uxorem habere praetendit VERONICAM.

2.° EDMUNDUS sponsalia contraxerat cum HELENA, puella eiusdem conditionis et fortunae. Sed, cum iam iam nuptias esset celebraturus, pinguem hereditatem ex patruo defuncto percepit; quapropter HELENAM respuit, ut aliam aequalis fortunae ducat.

HINC:

QUAER. 1.° *An longa sponsi absentia absque sponsae consensu sit pro ea ratio sufficiens ad alium se convertendi?*

2.° *An mutatio fortunae in uno sponso sufficiat ad sponsalia dissolvenda?*

3.° *Quid ad casus?*

SOLUTIO:

864. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirm. per se,* nempe si sponsus discedat in regionem remotam, non coactus necessitate, sed voluntarie, non monita sponsa, sine spe celeris reditus; quia tunc sponsus, sic discedendo, censetur fregisse fidem, et iuri suo renuntiasse. *Rosset,* l. c., n. 1066; *Wernz,* l. c., n. 115. Attamen, si non satis constaret de animo mutandi domicilium, vel brevi revertendi, monendus esset per litteras, si fieri facile posset, ut rediret et promissionem impleret. Hoc facto, si moras protrahat liberum erit alteri parti resilire. *Reuter,* n. 497; *Laymann, Busembaum.*

865. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Si unus e sponsis decrescat notabiliter in fortuna, iusta est causa pro altero a sponsalibus resiliendi, ob mutationem status notabilem quae supervenit. Si vero unus multo ditior evadat, v. gr. pinguem accipiendo hereditatem, an ipse resilire posset? *Controvertitur.* Videtur *affirmandum,* quia revera magna disparitas inter sponsos secuta est. Ita *Illsung, Babenstuber, Ball.-P.,* n. 187 seq.; *De Angelis,* l. 4, tit. 1, n. 6; *Gasparri,* l. c., n. 85; *Wernz,* l. c., n. 117, nota 150, et plures *alii.* — Contradicunt tamen *plures,* ut *Rosset,* l. c., n. 1056 seq., quia nihil est mutatum in comparte, nec proinde deseri debet. V. **Comp.**, n. 934.

866. — *R. ad* 3^m *Quaes. In primo casu* VERONICA licite alias nu-

ptias contraxit, ob longam sponsi absentiam, ea non monita, habitam; quia merito praesumere potuit LUCILLUM iuri suo renuntiasse. Proinde tardius reclamat ille prior sponsus. Attamen VERONICA, si malit, ad ipsum redire potest, quia non contraxit cum secundo, nisi deficiente priore.

In secundo casu, non videtur inquietandus EDMUNDUS, saltem *probabiliter,* ex eo quod a prioribus sponsalibus resilierit, postquam pinguis hereditas ipsi advenerit; quia disparitas valde notabilis inter ipsum et sponsam secuta est. Hoc tamen tantum valet, si hereditas praevisa non fuerit, ut in casu supponitur.

CASUS X

SOLUTIO SPONSALIUM 4.°

Nimium ne crede colori

BIBIANA, puella egregias dotes corporis mentisque prae se ferens, multorum oculos in se convertit. Plures adsunt qui eius manum requirant. Sed ab ea praefertur SIDONIUS, quocum sponsalia contrahit. Iam instat matrimonii celebrandi dies. Confitendi gratia parochum adit BIBIANA, et haec inter alia pandit: 1.° se amisisse iam virginitatem pluries fornicando; 2.° se hic et nunc ab uno circiter mense gravidam esse ex crimine cum alio iuvene patrato; 3.° se iam aliam prolem peperisse, nemine sciente, praeter obstetricem, cuius ope infantem in nosocomio deposuit. His auditis, confessarius admodum angitur, nesciens utrum BIBIANAM obligare debeat ad haec omnia sponso declaranda, aut a sponsalibus resiliendum. Iudicat melius esse rem totam alto premere silentio. BIBIANA autem absoluta ad nuptias convolat.

HINC:

QUAER. 1.° *An defectus graves sint a sponsis invicem manifestandi ante matrimonii celebrationem?*
2.° *An* BIBIANA *praedictos defectus aperire debuerit?*
3.° *Quid de ratione agendi confessarii?*

SOLUTIO:

867. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° *Affirm.,* si defectus isti sint graviter *nocivi* vel iniuriosi alteri parti, v. gr., si sponsus laboret morbo venereo, vel si sponsa sit actu ab alio gravida, etc.; tunc enim sponsus laborans illo defectu illum patefacere debet, aut a sponsalibus resilire. Ratio est, quia, cum tali defectu contrahendo, gravem alteri iniuriam inferret.

2.° *Neg.,* si defectus non sint graviter *perniciosi* alteri, vel ei speciale incommodum non afferant, v. gr., si sponsa virginitatem amisit, vel sit rixosa, etc. Ratio est, quia nemo tenetur se infamare, ape-

riendo defectus, qui alteri non graviter nocent. *Reuter,* n. 569. *Voit,* n. 1164; *S. Alph.,* n. 864. — V. **Comp.,** n. 935.

868. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Bibiana non tenetur *per se* declarare se lapsam esse in fornicationem, et ideo se iam amisisse virginitatem, quia defectus ille non est sponso nocivus. Licet enim sponsus, cognito defectu illo, ius habeat resiliendi a sponsalibus, attamen, quamdiu ipse exceptionem non opponit, sponsa ius habet ad sponsalia. Et quamvis ipsa non possit virum decipere, fingendo se a tali defectu immunem, non tenetur tamen defectum manifestare; sed potest, etiam interrogata, dissimulare aequivoce respondendo: tunc enim non fingit, sed celat vitium occultum. *S. Alph.,* n. 863.

869. — 2.° Nec tenetur Bibiana declarare se prolem peperisse et in nosocomio aut in alio loco secretissimo reposuisse, modo solverit, vel secreto habeat unde proles alatur, *si quid ad hoc expendendum sit.* Ratio est, quia neque in hoc casu iniuriam sponso facit, cum nullum propterea detrimentum ille subiturus sit. Secus tamen, si factum non esset adeo secretum, ut semper a sponso ignorari posset, quia inde gravissima iurgia et dissensiones aliquando inter coniuges exorirentur.

870. — 3.° Tenetur autem sponso manifestare, se in praesenti gravidam esse, *per se loquendo,* vel a sponsalibus resilire, quia secus gravissimam iniuriam illi inferret, prolem extraneam in eius familiam inducendo, ab ipso enutriendam et in divisionem hereditatis cum filiis legitimis admittendam. Adde gravissima incommoda, quae subsequerentur si forte res detegeretur; quod facile fieri posset, si proles, octavo vel etiam septimo mense a matrimonio contracto, enasceretur. Excipiunt plures, si instantibus nuptiis, puella aliter, quam per matrimonium, famae consulere non posset; quia tunc non teneretur tantum famae detrimentum subire ad damnum temporale sponsi avertendum. Exceptionem probare videtur *S. Alph.,* n. 865.

871. — *R. ad* 3m *Quaes.* Quid de agendi ratione confessarii? Ex dictis satis patet, levius rem tractasse confessarium Bibianae, altum servando silentium. *Per se* non potuit eam absolvere, quin ipsi imponeret obligationem statum suum sponso manifestandi, aut a sponsalibus resiliendi, ut dictum est. — Attamen tantae potuerunt esse angustiae paenitentis, ut, ad eius famam salvandam, aut etiam honorem familiae conspicuae servandum, necnon ad ingens scandalum avertendum, eam in bona pace confessarius relinquere *forte* potuerit, aut etiam debuerit. Verum hoc *Matharan,* Casus, n. 41, et *Génicot,* Casus, tr. 18, cap. 1, cas. 8, satis probabile non habent, stante praesertim periculo, ne res a marito decepto detegatur, et maior uxoris infamia graviusque scandalum oriatur, dum forte ab irato coniuge dimittatur.

Utinam autem huiusmodi casus minus frequenter in praxi occurrerent! Quot sponsi invicem se decipiunt! Talibus nupturis ingeminandum foret effatum: *Nimium ne crede colori.*

CASUS

DE PROCLAMATIONE BANNORUM

SEU

De obligatione et modo banna proclamandi, necnon impedimenta matrimonii cognita revelandi.

CASUS I

OBLIGATIO BANNA PROCLAMANDI 1.°

EUGENIUS, parochus, sponsos proxime coniuncturus, tertiae proclamationis in Missa sollemni faciendae obliviscitur. Nuptiae differri nequeunt; omnia enim sunt parata, et familia spectabilis iam est ex diversis locis coadunata. Quid igitur faciet EUGENIUS, his pressus angustiis? An in vesperis supplere poterit? an in Missa diei sequentis? an tubae sonitu? an scripto ad ecclesiae valvas appenso? Post aliquam mentis fluctuationem, iudicat potius publicationem hanc tertiam omittendam esse, innixus principio: *Parum pro nihilo reputatur.*

Alias coniuncturus FLAVIUM et PULCHERIAM, ut optimos christianos sibi notissimos, nullam praemittit proclamationem, quia ipse certo novit nullum matrimonii impedimentum inter eos subsistere; ex quo sic concludit: *Cessante fine legis, etiam lex ipsa cessare debet.*

HINC:

QUAER. 1.° *An peccet graviter parochus, si unam solam proclamationem omittat?*

2.° *Quid requiratur ad legitimam proclamationem?*

3.° *An proclamatio fieri possit aliquando die feriali, aut scripto, sive praeconis voce, aut in vesperis?*

4.° *Quid ad casum, seu an vel quomodo in praedictis circumstantiis peccaverit* EUGENIUS?

SOLUTIO:

872. — *R. ad* 1^m *Quaes. Probabilius* affirmandum est, quia omittit partem valde notabilem praecepti sub gravi obligantis. Attamen opposita sententia *probabilis* vocatur a *S. Alph.*, n. 990. - V. **Comp.**, n. 943.

873. — *R. ad* 2m *Quaes.* Proclamationes fieri debent *tribus* continuis diebus *dominicis* aliisque *festis* de *praecepto, in ecclesia* inter *Missarum sollemnia,* aut inter *alia divina officia,* ad quae populus *frequens* accedat (can. 1024). **Comp.,** n. 941. — 1.° *Continuis,* id est, nullo die festo omisso; sed non videtur grave esse peccatum proclamationes fieri diebus non continuis, uno alterove festo interiecto: quin immo in pluribus regionibus consuetudo est ut fiant solis diebus dominicis, omissis festis per hebdomadam occurrentibus. *Schmalzgr.,* lib. 4, tit. 1, n. 23; *S. Alph.,* n. 991; *Lehmk.,* 2, n. 673. — 2.° *Inter Missarum sollemnia,* id est, in Missa paroeciali. Plures dicunt non posse fieri proclamationes pluribus diebus festivis, sibi immediate succedentibus, quia non suppeteret tempus fidelibus denuntiationem faciendi, nec proinde obtineretur finis Concilii. Sed alii contendunt posse fieri proclamationes diebus festis, etiam sibi immediate succedentibus, quia Concilium nihil excipit. Hoc dicit probabile *S. Alph.,* n. 992. Verum, ubi adsunt ordinationes episcopales id prohibentes, iis omnino standum est. *Gousset,* n. 770. Cfr. C. P., **Amer. lat.,** n. 595; C. **Manil.**, n. 708.

874. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem *octo dierum,* ita tamen ut, hoc spatio, duo dies *festi de praecepto* comprehendantur (can. 1025). Quod si recursus ad Episcopum non pateat, et periculum sit in mora, parochus poterit sponsos coniungere, omissis bannis, adhibita tamen diligentia, ut certus fiat nullum subesse impedimentum. V. **Comp.**, n. 947. — 2.° Banna publicari possunt in vesperis. — 3.° Possent etiam probabiliter haberi die feriali, si ex aliqua causa magna fidelium frequentia concurreret, et adesset iusta ratio. *S. Alph.,* nn. 991, 992. — V. **Comp.,** n. 941.

875. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° *In primo casu* EUGENIUS a peccato excusandus est, cum, urgente temporis angustia, unam proclamationem omiserit, quia lex Ecclesiae non urget cum tanto incommodo. Attamen, deberet omissionem in officio vespertino supplere, si ante illud de ea recordaretur, ut patet ex R. ad 3.m Ita *Gousset,* n. 771; *Bouvier,* etc. Verum EUGENIUS inniti non potuit in principio: *Parum pro nihilo reputatur;* quia, iuxta multos, non excusaretur a peccato gravi, si unam proclamationem absque iusta causa omisisset, et iuxta benigniorem sententiam a peccato saltem veniali immunis non evaderet; ergo falso axioma supradictum applicavit.

876. — 2.° *In secundo casu.* EUGENIUS a peccato mortali immunis esse nequit. Ratio est, quia in re gravi transgreditur formam diligentiae a Conc. *Trid.* praescriptam et a Codice confirmatam, absque necessitate, quae moram non patiatur. Praeterea, neque satisfacit fini praecepti, quia, licet forte non sint hic et nunc impedimenta, postea tamen ante matrimonium supervenire possunt, *S. Alph.*, n. 990. — V. **Comp.,** n. 943.

* CASUS II

OBLIGATIO BANNA PROCLAMANDI 2.°

1.° RUTILIUS et SABINA, diversae dioecesis, matrimonium sunt contracturi. RUTILIUS a suo Episcopo dispensationem obtinet a bannorum proclamatione. Parochus SABINAE, re cognita, eo ipso iudicat proclamationes etiam in sua paroecia esse omittendas.

2.° GENESIUS et LIVIA, sponsi, habitant eamdem civitatem, sed in diversa paroecia; habitis autem proclamationibus in paroecia GENESII, parochus LIVIAE iudicat hoc sufficere, ideoque a bannis proclamandis abstinet. GENESIUS autem duplex habet domicilium, in civitate scilicet, ubi tempore hiemali degit, et rure, ubi aestivo tempore commoratur. Parochus vero pagi, in quo sita est villa GENESII, etiam proclamationes prorsus omittit.

3.° ACHATIUS, parochus, sponsos diversae paroeciae benedicit, proclamationibus in sua paroecia sola habitis, ex eo quod regio sponsi remotior sit ut ibi fieri proclamationes curet, et insuper nesciat ubinam fieri debeant, an in domicilio originis vel parentum, aut variae habitationis, quam frequenter mutavit ille sponsus.

HINC:

QUAER. 1.° *An, uno sponso a bannis dispensato, censeatur etiam alter dispensatus?*

2.° *Si sponsi sint eiusdem civitatis, sed diversae paroeciae, an banna in utraque paroecia haberi debeant?*

3.° *Si vero sponsus duplex domicilium habeat, in urbe scilicet et rure, prout in secundo casu, an in utroque loco publicari debeant?*

4.° *An valeant excusationes* ACHATII *in tertio casu, vel quid ipsi fuisset faciendum?*

SOLUTIO:

877. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti iudicio potest ex legitima causa a publicationibus *etiam in aliena dioecesi* faciendis dispensare (can. 1028, § 1). Si plures sint Ordinarii proprii: *a)* ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur; *b)* quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest (ibid., § 2).

878. — *R. ad* 2^m *Quaes. Affirm.* Nam ex § 1 can. 1023 proclamationes fieri debent a proprio parocho; ergo, ubi diversae sunt paroeciae, diversae etiam fieri debent proclamationes. Ita fert generalis consuetudo et *Rituale Romanum* (cfr. etiam C. P. **Amer. lat.**, n. 595;

C. Manil., n. 708); ergo erravit prior Genesii parochus. Excipiunt plures cum *Laymann* casum, in quo paroeciae essent adeo propinquae ut notitia proclamationis ab una ad alteram facillime deferri posset, quia tunc finis legis obtineretur.

Si alius parochus investigationem, aut publicationes peregerit, de harum exitu statim per authenticum documentum certiorem reddere debet parochum, qui matrimonio assistere debet (can. 1029).

879.—*R. ad* 3m *Quaes. Affirm.*, si utrumque sit verum domicilium aut quasi-domicilium *(Carrière,* etc.); ergo non recte egit etiam posterior Genesii parochus.

Immo si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat (can. 1023, § 2).

R. ad 4m *Quaes.* Non valent Achatii excusationes. Debuit enim procurare ut proclamationes fierent in omnibus paroeciis, in quibus sponsus sive domicilium sive quasi-domicilium habeat. *Gasparri,* l. c., n. 191; *Wernz,* l. c., n. 139, III. Stante autem nimia difficultate ut banna in loco valde remoto habeantur, res tota ad Episcopum deferenda est. *S. Alph.*, n. 991; *Gousset,* n. 773. — Parochus quoque ad Episcopum recurrere debet in dubio ubinam proclamationes habendae sint. Prae oculis etiam habeat quae ex § 2 can. 1023 retulimus in Resp. praecedente.

Praeterea si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio, ad normam § 2, removeatur (can. 1023, § 3).

CASUS III

PAROCHUS ANCEPS

1.° Theophanius, parochus, iam aderat in ecclesia, paratus ad benedicendum matrimonium Romani et Germanae, proclamationibus debitis, ratione Germanae suae paroecianae, praemissis. Sed ecce! cum postulasset a Romano, extraneo, testimonium scriptum de proclamationibus a proprio parocho habitis, deprehendit duas tantum fuisse praehabitas proclamationes. Quid faciet? Non audens sponsos dimittere, eos, hoc non obstante, statim matrimonio coniungit.

2.° Fulgens, parochus sponsos benedicturus, iam bannis ex utraque parte rite habitis, audit ex rumore communi sponsos impedimento criminis ligatos esse, ob adulterium cum promissione matrimonii, durante priore coniugis sponsae, nunc viduae. Nullas quidem habet de re certas probationes, sed scandalum fidelium et sacramenti periculum

reformidat, et insuper non audet huic matrimonio obstare, cum nihil certum opponere queat. Tandem, ne intricatas sibi suscitet querelas, tacitus coniungit sponsos.

HINC:

QUAER. 1.° *An recte egerit* THEOPHANIUS *in primo casu?*
2.° *An* FULGENS *laudandus in secundo casu, vel quid ipsi agendum fuisset?*
3.° *An dubium vel probabilitas impedimenti sufficiat, ut parochus matrimonium benedicere prohibeatur?*

SOLUTIO:

880.—*R. ad* 1^m *Quaes.* THEOPHANIUS, stante casu ut iacet, *recte egit* ad nuptiarum celebrationem tacitus procedendo. Necessitate enim morali premebatur, et iudicare merito potuit legem Ecclesiae in eo casu non urgere. Sed, nisi impeditus fuerit, v. gr. absentia sponsi, testimonium illud prius requirere debuisset ut tantum incommodum impediret. Bonum est autem ut parochi suaviter inducant paroecianos ad deferenda varia testimonia et instrumenta pridie celebrationis matrimonii, in ipsum presbyterium.

881. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Non ex omni parte laudandus FULGENS. Debuisset enim diligenter inquirere a personis prudentibus et fide dignis an fundamentum grave rumor ille publicus haberet, et ipsos sponsos hac de re secreto interrogare. Quid, si hi negasset, etiam adiecto iuramento? Tunc eius nuptias benedicere potuisset. *Per se* autem fama impedimenti sufficit ad nuptias impediendas, ut constat ex can. 1031. Parochus igitur aut Episcopus, licet ipse solus habuerit impedimenti notitiam, modo id non sciat sub sigillo confessionis, matrimonium impedire tenetur. Nec obstat dicere quod peccatori occulto non liceat denegare sacramentum, quando publice petit. Hoc enim valet, cum aliud malum non evenit, nisi sacrilega perceptio sacramenti; secus autem, cum eveniunt alia gravia damna, quae plerumque ex matrimoniis invalidis accidunt. *S. Alph.*, n. 999, et Hom. apost., nn. 56 et 57. Vide dicenda infra, n. 889.

882. — *R. ad* 3^m *Quaes. Affirmative,* si agatur de dubio positivo *facti,* quo stante, iuxta omnes, illicitum est matrimonium contrahere absque dispensatione, quae ab Episcopo obtineri poterit (can. 15), ne sacramentum periculo nullitatis exponatur. *S. Alph.*, n. 902. — V. **Comp.**, n. 994, et vol. I, n. 181, q. 2.

CASUS IV

OBLIGATIO IMPEDIMENTA REVELANDI 1.°

1.° FABRICIUS, dubio agitatus, confessarium interrogat circa obligationem quoddam impedimentum revelandi. Ratio autem dubitandi multiplex est, scilicet: 1.° quia banna ex legitima dispensatione omissa fuerunt; 2.° quia sponsa est ipsius consanguinea, immo suamet soror; 3.° quia ex revelatione impedimenti, seu ex omissione matrimonii, cuius instat celebratio, sequetur familiae dedecus et aliorum scandalum; 4.° quia ipse solus novit impedimentum, et testimonium unius tantum videtur infimum. Confessarius tempus postulat ad inquirendum.

2.° COCLES, matrimonium cum MARINA contracturus, iam proclamatis bannis, sub secreto iurato declarat FABIO amico suo familiarissimo, se cum MARINA adulterium commisisse cum promissione matrimonii celebrandi cum ipsa vidua remaneret. Anceps autem postea FABIUS dubitare incipit an secretum suum, vel e contrario praeceptum revelandi impedimentum servare debeat. Interrogat confessarium, qui iudicat servandum esse secretum.

3.° HUPETIUS, medicus, artem suam erga MOEVIAM proxime nupturam exercendo, novit eam impedimento ligari cum suo sponso, qui recenter viduus effectus fuerat. Ipse autem tacet, ne fiduciae erga MOEVIAM et eius familiam iacturam faciat.

HINC:

QUAER. 1.° *An valeant* FABRICII *excusationes?*
2.° *An* FABIUS *excusetur reapse ab impedimento declarando?*
3.° *An* HUPETIUS *teneatur impedimentum revelare?*

SOLUTIO:

883. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* Etenim: 1.° non valet prima excusatio, quia lex Ecclesiae iubens ut impedimentum matrimonii reveletur, exsistit, et urget independenter a proclamatione bannorum. Remanet enim semper finis praecepti, qui est impedire ne matrimonia invalida contrahantur.

2.° Neque valet secunda excusatio; parvi enim refert quod sponsus vel sponsa tecum sint consanguinei necne, siquidem urget eadem ratio legis, seu matrimonii invaliditatem impediendi, et sic Ecclesiae malum arcendi.

884. — 3.° Neque valet ratio publici scandali. Licet enim aliquando sufficere illa possit parocho, ut sponsos, stante impedimento occulto, coniungat; ad privatos non pertinet de re tanti momenti iudicare.

Fabricius igitur rem totam parocho, vel Episcopo committere debet. Ipsi autem Superiores, pro eorum sapientia et prudentia, iudicabunt quid opportunius statuendum sit, ut tum religioni et publicae aedificationi, tum etiam honori familiae consulatur.

4.° Tandem, neque valet quarta excusatio. Ratio est, quia in praesenti materia testimonium unius bene valere potest. Etenim, si non inserviat per se solum ad matrimonium impediendum, inserviet ad inquirendum de facti veritate necnon ad monendum partes, aut unam ex ipsis, ad dispensationem petendam, etc. *S. Alph.*, n. 995.

885. — *R. ad* 2^m *Quaes. Neg.* Ratio est, quia secretum, sive promissum, sive commissum, etiam iuratum, *per se loquendo,* non obligat quando damnum grave communitati, vel tertiae personae imminet. Revelatio autem impedimenti inservit bono sacramenti, seu Ecclesiae, et bono ipsorum contrahentium; ergo male iudicavit Fabii confessarius secretum ipsi commissum ab eo servandum esse. Dixi, *per se loquendo,* quia theologi plures excipiunt secretum *consilii*, ut mox dicetur. V. **Comp.**, n. 949.

886. — *R. ad* 3^m *Quaes. Probabilius* negandum est, quia Hupertius impedimentum novit sub secreto *consilii,* scilicet, quia ab eo ratione artis suae petitum est consilium, ex quo illud impedimentum rescivit. Videntur enim illi, qui aliquam professionem publicam habent, eximendi ab obligatione revelandi impedimentum, quod professionem suam exercendo noverunt. Ita videtur expostulare bonum commune; quia, si fidem non servent, facile homines a se avertent, cum suo et totius societatis damno. *Collet, Bouvier, Gousset, Carrière,* etc. V. **Comp.**, ibid.

CASUS V

OBLIGATIO IMPEDIMENTA REVELANDI 2.°

1.° Leocadia confitetur se olim peccasse cum Antonio, futuro suo sponso, dum hic coniugatus erat; qui paulo post coniugicidium patravit. Hubertus confessarius, zelo percitus, praemissa seria obiurgatione, ei praecipit ut statim extra confessionem impedimentum matrimonii, ex ipsius crimine exortum, parocho revelet.

2.° Norbertus, parochus, confessionem excipiens Berthae mox nupturae, detegit eam obstringi impedimento ab ipsa invincibiliter ignorato. Nescit autem quid agere debeat. Monebitne paenitentem eam obligando ad matrimonium repudiandum, dispensationemve postulandam? Postulabitne ipse licentiam impedimentum istud declarandi? Aut tacitus Bertham absolvet? Undique illum premunt angustiae, incommodaque non parva. Denique iubet eam redire die sequenti, ut melius ad absolutionem praeparetur, sed revera ut ipse inquirendi tempus habeat

3.° SIAGRIUS et MELITINA mox matrimonio sunt coniungendi. VALERIUS novit certo SIAGRIUM et MELITINAM huius coniugi mortem intulisse. Hoc parocho declarat, sed externas probationes afferre nequit, et ipse non vult nominari. Parochus autem nescit quid sit faciendum.

HINC:

QUAER. 1.° *An laudandus* LEOCADIAE *confessarius?*
2.° *An* NORBERTUS BERTHAM *monere debeat de impedimento ab ea invincibiliter ignorato?*
3.° *An parochus, in tertio casu, matrimonio obstare debeat?*

SOLUTIO:

887. — *R. ad* 1m *Quaes.* HUBERTUS, confessarius, nedum laudandus, e contrario omni ex parte vituperandus est. Primo quidem, nimio zelo abreptus, munus patris in confessione non satis gessit, acriter et intempestive mulierem obiurgando. Si voluisset tantam ei obligationem imponere, debuisset prius eius animum pacificis verbis demulcere, et praeparare ad oboedientiam sibi praestandam. Deinde HUBERTUS non debuit praecipere LEOCADIAE ut ipsamet parocho impedimentum revelaret et explicaret, propriam turpitudinem aperiendo. Nemo enim tenetur legi Ecclesiae cum propriae famae damno satisfacere, ut sentiunt communiter theologi. *S. Alph.*, n. 995; Hom. apost., n. 56; *Carrière*, etc.

Quid igitur confessario faciendum fuisset? Debuisset paenitentem enixe adhortari, immo et obligare, ad ipsum sponsum secreto monendum de impedimento illo ex mutuo consortio coniugicidio exorto, ut ipse aut a matrimonio desisteret, aut dispensationem obtineret. Immo ipse confessarius debuisset operam suam offerre ad dispensationem obtinendam a S. Paenitentiaria, cum de impedimento secreto agatur.

888. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Debet enim confessarius impedire, in quantum potest, gravissimum damnum spirituale paenitentis, seu impedire quominus hic invalide matrimonium contrahat, et nullum evadat sacramentum, quod magnum est *in Christo et in Ecclesia.* Non urget hic tanta difficultas ac habetur quando, contracto iam matrimonio, impedimentum dirimens a confessario detegitur. In hoc enim posteriori casu summopere cavendum est ne paenitens bonae fidei statim moneatur cum periculo formaliter peccandi in usu fornicario matrimoniii, sed curandum est ut prius dispensatio secreta obtineatur, si fieri possit. Ante matrimonium autem paenitens, adhuc liber, non versatur in proximo peccandi periculo. Quod si admonitus, neglecta dispensatione, nihilominus nuptias petat, id suae malitiae imputare debebit. Excipiunt tamen merito plures theologi casum, in quo praevidetur paenitentem certo non obtemperaturum, quod non est communiter praesumendum. Laudandus autem est NORBERTUS, confessarius,

ex eo quod prudenter tempus adhibuerit ad difficultatem serio perpendendam.

889. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirmative,* si VALERIUS sit homo gravis et fide dignus. Etenim, si fama impedimenti, ex iure can., sufficit ut parochus obsistat matrimonio, a fortiori si certo ipsi constet subesse impedimentum. Insuper unicus testis fide dignus sufficit ut parochus matrimonium impediat, licet comparere nolit, ut constat ex declaratione Alexandri III, c. 13, De sponsalibus. *Gasparri,* nn. 178, 193; *Wernz,* l. c., n. 144. — Procedat igitur ad normam § 2 can. 1031, ubi statuitur: «Detecto impedimento certo: si impedimentum sit occultum, parochus publicationes peragat vel absolvat, et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel ad Sacram Paenitentiariam».

CASUS

DE NATURA MATRIMONII

SEU

De consensu coniugali absoluto et conditionali; de divortio a vinculo et a toro; de officio parochi quoad sponsos coniungendos.

CASUS I

CONSENSUS CONIUGALIS 1.°

1.° MAXENTIUS, nuptias cum SOPHIA celebraturus, debitis proclamationibus praemissis, statuto die, coram parocho et testibus, comitante sponsa, comparet. Interrogatus vero a pastore de consensu, capite tantum annuit. Sponsa autem prae gaudio flere incipit. Parochus vero commotus statim dicit: *Ego vos coniungo,* etc.

2.° BLANDINUS et BLANDINA nuptias celebrant, licet existiment se impedimento matrimonii secreto obstringi, et parentes BLANDINAE renuant. Abstinent autem a petenda dispensatione, tum ob verecundiam, quia BLANDINA habuerat copulam cum fratre BLANDINI et hic cum sorore BLANDINAE, tum quia timent ne repulsam patiantur, et a matrimonio contrahendo impediantur. Perfecta vero nuptiarum sollemnitate, BLANDINA, stimulo conscientiae impulsa, rem totam pandit parocho, qui, re perpensa, declarat nullum reapse subsistere matrimonio impedimentum. At nihilominus graviter de valore matrimonii adhuc dubitat, ob legitimi consensus defectum, tum ex parte sponsorum, tum ex parte parentum.

HINC:

QUAER. 1.° *An validus fuerit ex utraque parte consensus, in primo casu?*

2.° *An vel quomodo peccaverit parochus non requirens ut consensus verbis exprimeretur?*

3.° *An validus fuerit consensus* BLANDINI *et* BLANDINAE *in secundo casu, et proinde an validum sit ex hac parte eorum matrimonium?*

4.° *An consensus parentum requiratur ad matrimonii validitatem, vel liceitatem?*

SOLUTIO:

890. — *R. ad* 1m *Quaes.* Consensus fuit certo validus ex parte sponsi, quia de iure naturali ad valorem contractus sufficit ut consensus certo signo exprimatur. Adde quod ex variis locis iuris canonici id etiam constat, apud *S. Alph.*, n. 887. Immo ex § 1 can. 1086 aperte constat consensum matrimonialem non solum verbis sed etiam signis *valide* manifestari posse (1). Non fuit autem validus consensus ex parte sponsae, quia lacrimae non sunt signum naturale et manifestum per se consensus. Neque satis esset, si manum a sponso apprehensam non retraheret. Secus vero, si ipsa manum protenderet, quando fides datur. *S. Alph.*, n. 889.

891. — *R. ad* 2m *Quaes.* Si consensus fuisset clare signis manifestatus ex utraque parte, parochus peccavisset quidem agendo contra rubricas, seu legem Ecclesiae, quae requirit, ut consensus *verbis* exprimatur; sed *probabilius* venialiter tantum deliquisset. Ita *communiter* cum *S. Alph.*, n. 888. Sed in nostro casu parochus non videtur a culpa gravi excusandus, ex eo quod festinaverit benedictionem impertire quin de consensu sponsae certus satis esset, et proinde matrimonium periculo nullitatis exposuerit. Debuisset enim commotionem comprimere, et signa consensus indubia requirere.

892. — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.* Nullo enim exsistente impedimento, matrimonium illud validum apparet; quia sponsi non erant omnino certi de impedimento, sed existimabant tantum adesse. Proinde contrahere volebant in quantum poterant, seu dare consensum in verum matrimonium, si forte impedimentum non exstitisset; ergo de facto, non subsistente impedimento, valet consensus. Ita *communiter. Lacroix,* n. 531; *Carrière,* etc. — Maior evaderet difficultas, si sponsi essent omnino persuasi de impedimenti exsistentia. Attamen, etiam in hoc casu *probabilius* validum erit matrimonium, si dolentes de impedimento illo, sponsi cupiant esse veri coniuges, et impedimentum declarare non audeant ex verecundia, aut timore ne matrimonium impediatur, etc., non autem velint vivere in concubinatu. Tunc enim censendum est valere matrimonium ob voluntatem praedominantem illud contrahendi. Verum in praxi inducendi essent ad consensum renovandum *ad cautelam. Lacroix,* n. 531; *Carrière,* etc. V. **Comp.,** n. 996, 1059.

Haec confirmantur ex can. 1085: «Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit».

893. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Consensus parentum minime requiritur ad matrimonii valorem. Constat ex Conc. *Trid.*, sess. 24, c. 1. Et reapse, de iure naturali, contrahentes ius habent in proprium cor-

(1) «Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis.»

pus, nec parentes ullo iure in corpus filiorum fruuntur. V. **Comp.,** n. 1062.

2.° Requiritur vero ad liceitatem, generatim loquendo, quia filii debent parentibus honorem, reverentiam et obsequium, maxime in his quae ad familiam spectant. Constat etiam ex Conc. *Trid.,* ibid. Cfr. etiam C. P. **Amer. lat.,** n. 594; C. **Manil.**, n. 706. — V. **Comp.,** ibid.

CASUS II

CONSENSUS CONIUGALIS 2.°

IOVINUS, coniugatus, negotiorum causa a patria digressus, turpiter cum THERESIA conversatur. Simulans autem se ab omni vinculo solutum, novum cum eadem matrimonium attentare non dubitavit. At paulo post, THERESIA derelicta, repente in patriam revertitur. Sed ecce, vix advenit, cum rescit uxorem suam iam obiisse quando THERESIAM duxit. Cogitabat de ea adeunda vel accersenda, cum novit AEMILIAM viduam valde divitem velle ad novas nuptias transire. Quapropter, occasionem nactus, eius manum requirit. Celebrato hoc novo coniugio, IOVINUS, ad meliorem frugem se recipiens, adit confessarium, cui omnia a se gesta manifestat. Hic vero graviter dubitat de valore utriusque matrimonii, scilicet, prioris cum THERESIA, et posterioris cum AEMILIA contracti. Ratio autem dubitandi est, quia non censetur ille serio contrahere, qui alterius vinculi conscius est, quod in utroque casu recurrit.

HINC:

QUAER. 1.° *An validum fuerit matrimonium* IOVINI *cum* THERESIA *contractum?*

2.° *An validum fuerit connubium eiusdem cum* AEMILIA *initum?*

3.° *Quid generatim agendum cum eo, qui post nuptias declarat se non verum dedisse consensum?*

SOLUTIO:

894. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* IOVINUS enim minime dubitans quod uxor sua superstes foret, non potuit verum consensum praestare; proindeque ficte tantum consensit in nuptias cum THERESIA ineundas, seu nihil aliud intendit, nisi vivere in mero concubinatu, sub ficta specie matrimonii. Hoc enim ex omnibus casus circumstantiis elucescit; ergo ut omnino invalidum habendum est. Hic autem locum non habet criminis impedimentum, tum quia uxor IOVINI iam e vita excesserat quando ille scelestus vir rem habuit cum THERESIA et ei matrimonium promisit et attentavit, tum quia etiamsi IOVINUS adulterium patrasset, connubium THERESIAE promittendo, adulterium illud non fuisset for-

male ex utraque parte, adeoque defuisset aliqua conditio requisita ad impedimentum criminis incurrendum. V. **Comp.**, n. 1022.

895. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.* Sequitur ex dictis. Etenim, si quid obstaret validitati huius matrimonii, esset matrimonium cum THERESIA initum, sed prorsus invalidum fuit; ergo... Nec difficultas oriri potest ex eo quod IOVINUS, contrahendo cum AEMILIA, se ligatum erga THERESIAM existimaverit; nam, cum ignoraret utrum coniux viveret necne, minime certus erat de valore matrimonii cum THERESIA initi, et proinde cum AEMILIA contraxit in quantum poterat: atqui poterat valide, nullo subsistente impedimento; ergo valide contraxit cum AEMILIA; ergo cum illa remaneat et in bona pace vivat. V. **Comp.**, n. 1059.

896.— *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Quoad *forum externum* fides ei non est adhibenda, nisi ex circumstantiis peculiaribus pateat eum fuisse metu gravi adactum, etc... (Cfr. S. Rota R., in pluribus causis apud *Acta,* VIII, pag. 28 seq.). Aliquando tamen ex unius agendi ratione probatur hunc ficte consensisse, et matrimonium declaratur nullum instante comparte (Cfr. S. Rota R., *Massilien.*, 1 iul. 1911: *Acta,* III, pag. 525 seq.). 2.° *In foro* autem *interno* ordinarie obligandus est ad verum consensum praestandum, ut sic iniuriam comparti illatam reparet, nisi ipsa libenter ad separationem consentiat, vel ipse ad nuptias cogatur. V. **Comp.**, n. 1062.

CASUS III

CONSENSUS CONDITIONALIS

PATRITIUS, iuvenis nobili stirpe oriundus, sed fortunae bonis non abundans, avunculum habet divitem, a quo universalis heres instituendus erat, si matrimonium sibi gratum esset initurus. Iter agens extra patriam, occasione data MARTINAM sub spe matrimonii defloravit, immo et gravidam effecit. A patre puellae minis adactus, eam quidem ducit, sed ea conditione si avunculus consenserit, quia ait se non posse, invito avunculo, matrimonium contrahere, quin amplam amittat hereditatem. Ipse autem existimabat pro certo avunculum his nuptiis nunquam consensurum esse. Res interim a patre MARTINAE, ope cuiusdam amici, ita pertractatur, ut avunculus consensum praebeat. Quod cum rescivisset PATRITIUS, in patriam rediit, ibique alteram puellam sibi copulavit. Denique, vehemente quadam contione audita, conscientiae stimulis pressus, confessarium adit, cui haec omnia aperit. Haeret autem anceps sacerdos, nesciens quid de valore utriusque matrimonii sentiendum sit.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quando matrimonium sub conditione initum validum sit?*

QUAER. 2.° *An sit licitum, et a parocho admittendum?*
3.° *An, purificata conditione in matrimonio conditionali, novus partium consensus requiratur?*
4.° *Quid de casu sentiendum, et quid* PATRITIO *praescribendum?*

SOLUTIO:

897. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Valet matrimonium sub conditione *de praeterito* et *de praesenti,* si conditio, quamvis inhonesta sit, fuerit adimpleta, ut patet. Cfr. *Gasparri,* l. c., n. 966. — 2.° Valet etiam matrimonium sub conditione honesta *de futuro,* purificata conditione, quia consensus conditionalis per conditionis eventum fit absolutus, et proinde contractum perficit. Cohaeret Codex: «Conditio semel apposita et non revocata: si de futuro licita (sit), valorem matrimonii suspendit» (can. 1092, 3.°). Cetera quidem Sacramenta non valent, si conditio de futuro sive a ministro sive a subiecto apponatur, quia eorum effectus suspendi nequit. Secus vero de matrimonio, quia rationem contractus habet. V. **Comp.,** n. 1060.

898. — *R. ad* 2m *Quaes.* Prorsus illicitum est in omni casu, ob maxima incommoda, quae ex illo modo contrahendi sequuntur; ideoque nunquam a parocho est permittendum. V. **Comp.,** ibid.

899. — *R. ad* 3m *Quaes.* Nequaquam; consensus enim, manente conditione, est tantum suspensus; ergo, ea purificata, fit absolutus, modo tamen interea non sit retractatus; ergo novus consensus minime requiritur.

900. — *R. ad* 4m *Quaes.* seu ad casum. 1.° Non valet prius PATRITII matrimonium, ob defectum veri consensus. Ficte enim consensum praebuit, nolens reapse nuptias cum MARTINA contrahere. Ratio ex hoc deducitur, quod conditionate consentiendo pro certo habebat conditionem minime purificandam fore; ergo non consentiebat nisi quia putabat consensum nullum effectum esse habiturum, alias non consensisset; ergo revera nullus fuit consensus; ergo nullus contractus. Confirmatur ex hoc quod audiens purificatam fuisse conditionem contra eius exspectationem, statim fugam arripuerit, non se reputans contractu suo ligatum. Nec obstat quod ad meliorem frugem receptus PATRITIUS, stimulis conscientiae pressus fuerit. Locum his animi anxietatibus satis dederat, pluries MARTINAM graviter decipiendo et etiam turpiter deflorando. Quod si consequenter circa valorem prioris matrimonii aliquo dubio laboravit, dubitatio illa in nullo gravi fundamento innititur, neque conscientia consequens in actum praecedentem influere potest.

901. — 2.° Quapropter valet posterius matrimonium PATRITII. Etenim, si quid valori huius matrimonii obstaret, nihil aliud esset nisi impedimentum ligaminis cum priori sponsa contractum: atqui nullum est tale impedimentum, cum ex dictis invalidum fuerit illud matrimo-

nium defectu consensus; ergo PATRITIO praescribendum est ut secundae uxori, utpote legitimae, adhaereat, et cum ea in bona pace vitam ducat. Praeterea ipsi iniungendum est ut pro suis facultatibus compenset damna, quae priori sponsae intulit, et imprimis ut debitas expensas pro educatione prolis susceptae conferat.

CASUS IV

SOLUTIO MATRIMONII 1.°

BENIAMINUS, iudaeus, coniugium cum ANNA inivit et consummavit. Elapsis circiter annis duobus, cura et studio catholici sacerdotis, de religionis christianae mysteriis edoctus, fidem catholicam sincere amplexatus est. Omnem curam adhibuit, ut coniugem suam ad veritatis agnitionem adduceret; at incassum. ANNA enim, licet cum pace habitare non recusaret, in iudaica tamen lege se ad vitae exitum perseverare velle declaravit. Quid vero BENIAMINUS? Uxore derelicta, mundo valedicens, ut Deo perfectius inservire posset, religiosae cuidam familiae adiunctus est, ubi, elapso tyrocinii anno, vota nuncupavit. Post annos aliquot, Anna, quae innupta perseveraverat, ipsa quoque baptismum suscepit, et voluntatem suam significavit, ut cum suo coniuge cohabitaret. Nescit autem BENIAMINUS utrum ad uxorem redire possit, aut etiam debeat.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quando matrimonia infidelium consummata dissolvantur?*

2.° *Quid in casu sentiendum, et quid* BENIAMINO *agendum?*

3.° *An* BENIAMINUS *potuisset ipse matrimonium aliud contrahere si in religionem non fuisset ingressus?*

SOLUTIO:

902. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Matrimonium infidelium, etiam consummatum, dissolvi potest ratione vinculi, quando, uno coniuge ad fidem catholicam converso, alter recusat habitare cum ipso pacifice, vel sine contumelia Creatoris. Ille autem casus est triplex, scilicet: 1.° si coniux remanens in infidelitate nolit cum altero cohabitare, id est, si discedat; 2.° si nolit habitare *sine iniuria Creatoris,* seu religionis; 3.° si eum vult attrahere ad peccatum mortale. *S. Alph.,* n. 956. Cfr. can. 1120, § 1.

903. — Eruitur ex verbis Apostoli (1 Cor., 7, 12. 15), ubi ait: *Si quis frater habet uxorem infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam... Quod si infidelis discedit, discedat;*

non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi; in pace autem vocavit nos Deus. Cfr. etiam Innoc. III, in *cap. Quanto* 7, De divortiis.

Sed bene notandum est quod «antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet, salvo praescripto can. 1125, partem non baptizatam interpellare: 1.° An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere; 2.° an saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris. Hae interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit» (can. 1121). Cfr. **Comp.,** n. 1116, 5.°

Non modo ad *liceitatem,* verum etiam ad *validitatem* novi coniugii omnino requiritur, ut fiant praedictae interpellationes, ut patet ex verbis citatis can. 1121. Ex *dispensatione* Pontificis, interpellatio unico quaesito fieri potest: num coniux infidelis converti velit. Quod si nolit converti, quamvis pacifice cohabitare velit et absque contumelia Creatoris, tunc, posita illa Pontificis dispensatione, pars conversa poterit valide ac licite transire ad secundas nuptias *(Wernz,* Ius Decretal., vol. 4, n. 704); vel etiam ordines sacros suscipere, aut religionem profiteri.

904. — *R. ad* 2m *Quaes.* Beniaminus *per se* non potuit, absque Pontificis dispensatione, derelinquere suam uxorem, nec *valide* religionem profiteri. Attamen sive ex lege sive ex consuetudine adesse potest dispensatio generalis, vi cuius pars conversa non modo possit aut debeat partem infidelem deserere, sed etiam illi permittatur valide ad alia vota transire, si pars infidelis converti nolit, quamvis pacifice cohabitare velit. *Buccer.,* n. 980; *Laurentius,* Inst. Iur. eccles., n. 692. Sic statutum reperitur in Conc. *Tolet.* IV, cap. 62 (cfr. c. 10, caus. 28, q. 1), quoad conversos ex iudaismo, vel ex mahomedanismo: quae dispositio, sive ex consuetudine sive ex approbatione S. Sedis, vim legis habere potuit. Eamdem praxim alibi viguisse testantur *Laymann,* De matr., part. 2, c. 3, et *Santi-Leitner,* l. 4, tit. 19, n. 13. Cfr. tamen *Wernz,* 4, n. 704. **Comp.,** n. 1116.

Potuit igitur vi talis dispensationis, si illius factus sit particeps, Beniaminus valide profiteri: quo in casu Anna a vinculo matrimonii libera manet, saltem probabilius. V. **Comp.,** n. 1115, q. 10.

905, 906. — *R. ad* 3m *Quaes.* Saltem *probabilius* Beniaminus non potuit aliud validum inire matrimonium absque dispensatione Pontificis, ut dictum est in quaesito superiori. V. **Comp.,** n. 1114, q. 7.°

CASUS V

SOLUTIO MATRIMONII 2.°

FELICIANUS, matrimonio cum SYLVIA contracto et nondum consummato, uxori et mundo valedicens, divina afflante gratia Ordinem religiosum ingressus est, ibique vota sollemnia nuncupavit. SYLVIA et ipsa Congregationem quamdam mulierum ingressa, votum castitatis simplex coram Episcopo emisit. Lapsu vero temporis, e concepto fervore paulatim decidens, SYLVIA e Congregatione egressa est, et ad saeculum rediit. Tunc ad exteram regionem se contulit, nuptiasque celebravit cum HERMANNO, cui totam vitam occultavit. Rebus tamen postea cognitis, HERMANNUS, existimans irritum esse suum matrimonium, SYLVIA dimissa, novis nuptiis inhiare coepit; sed antea quaerit a confessario utrum id agere possit.

HINC:

QUAER. 1.° *An professio religiosa solvat matrimonium?*
2.° *Quonam iure illud dirimat?*
3.° *An matrimonium* SYLVIAE *cum* HERMANNO *validum et licitum fuerit? Et quid de proposito* HERMANNI *ad alias nuptias convolandi?*

SOLUTIO:

907. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirmative,* modo matrimonium sit tantum ratum et non consummatum. Constat ex Conc. *Trid.,* sess. 24, can. 6: «Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per sollemnem religionis professionem alterius coniugum non dirimi, anathema sit». Hoc igitur ad fidem pertinet. Constat etiam ex variis decisionibus SS. Pontificum, praesertim Alexandri III, Innocentii III, etc., necnon ex constanti Ecclesiae praxi.

908. — *R. ad* 2^m *Quaes. Controvertitur:* iuxta plures, de iure naturali; iuxta alios, de iure ecclesiastico *(Suárez,* De relig., tr. 7, l. 9, cap. 23, n. 20; *Gasparri,* n. 1082; *Wernz,* n. 698); sed probabilius, iuxta communiorem sententiam, de iure divino ab Ecclesia declarato. Sic *P. Perrone,* De matrimonio christiano, tom. 3, sect. 2, c. 6. *Carrière,* n. 311 et seq.; in eiusdem Comp., n. 97; *Bened. XIV,* Quaest. can., 546; *Rosset,* n. 672; *Palmieri,* Tr. de matr., th. 25, III; *Sánchez,* l. 2, d. 19, n. 3.

909. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Matrimonium istud est validum. Non obstat enim primum SYLVIAE matrimonium cum FELICIANO, siquidem per professionem FELICIANI solutum est, iuxta superius dicta. Nec obstat votum castitatis ab ipsa SYLVIA apud moniales emissum, cum votum illud fuerit simplex tantum, licet coram Episcopo emissum.

Verum gravissime peccavit SYLVIA, matrimonium ineundo, quia violavit votum castitatis, quo se obstrinxerat. Debuisset ad dispensationem pontificiam recurrere. Nunc vero *(pro foro interno)* Episcopum adire satis erit. HERMANNUS autem, valido coniunctus matrimonio, ad alias nuptias convolare non potest. Cum SYLVIA igitur in bona pace vitam ducat. V. **Comp.,** n. 1108.

CASUS VI

DIVORTIUM A TORO ET HABITATIONE

1.° CLAUDINA a viro suo varias ob causas discessit, scilicet: 1.° quia ipsa a marito saepe verbis, necnon verberibus impetitur; 2.° quia vir cum muliere malae famae frequens consortium habet, et ab ea discedere recusat; 3.° quia maritus vino deditus, singulis fere diebus inebriatus, omnia subvertit, domumque tota nocte clamoribus implet, ita ut ipsa ne oculum quidem claudere valeat.

2.° CYRINUS, ob uxoris adulterium, ex iudicis sententia divortium fecit, quamvis ipse secreti adulterii reus foret. Quapropter dubitat an ipsam revocare teneatur.

3.° MARCELLINUS, obtenta separatione ab uxore, de adulterio iuridice convicta, statum clericalem amplecti statuit, et ordines sacros successive suscepit. Sed ecce! vix erat ordinatus sacerdos, cum uxor innocentiam suam iuridice probat, virumque ad se redire iubet.

HINC:

QUAER. 1.° *Quibusnam de causis divortium fieri possit?*

2.° *An valeant rationes a* CLAUDINA *allatae in primo casu, etiam seorsim sumptae, ut discedere possit etiam privata auctoritate?*

3.° *An* CYRINUS *in secundo casu teneatur uxorem revocare? Quid si adulterium tantum post separationem commisisset?*

4.° *An* MARCELLINUS *in tertio casu teneatur ad uxorem redire et maritali modo cum ea vivere?*

SOLUTIO:

910. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Divortium a toro et habitatione fieri potest: 1.° mutuo consensu, ad tempus de iusta causa, vel in perpetuum ad vitam perfectiorem amplectendam; 2.° ob adulterium alterutrius, ut patet tum ex verbis Christi, Matth., 5, 32: *Qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam moechari;* tum ex Codice: «Propter coniugis *adulterium,* alter coniux, *manente vinculo: a)* ius habet solvendi, etiam *in perpetuum,* vitae communionem, nisi in crimen consenserit, *b)* aut eidem causam dederit, *c)* vel illud expres-

se aut tacite condonaverit, *d)* vel ipse quoque idem crimen commiserit» (can. 1129, § 1); 3.° *a)* si alter coniux *sectae acatholicae* nomen dederit; *b)* si *prolem* acatholice educaverit; *c)* si *vitam criminosam* et ignominiosam ducat; *d)* si grave seu animae seu corporis periculum alteri praebeat; *e)* si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, aliaque id genus (can. 1131, § 1). Cfr. **Comp.**, nn. 1117, 1121.

911. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Valet prima ratio *per se,* id est si vexatio sit gravissima, seu vere saeva, et notabiliter excedens modum corrigendi permissum; ex quo grave malum immineat, v. gr. periculum mortis, mutilationis, etc. 2.° Valet quoque secunda ratio, si CLAUDINA *moraliter certa* sit de adulterio mariti sui, ut ex casu constare videtur. Ratio est, quia matrimonium non obligat ad redditionem debiti, et ad alia munera adimplenda, nisi conditionate, scilicet, si alter coniux fidem coniugalem servet; ergo, si alter fidem fregerit, haec obligatio cessat. 3.° *Per se* autem non sufficit tertia ratio, nisi vitam communem nimis difficilem reddat. In primo autem et secundo casu CLAUDINA divortium facere potest, etiam propria auctoritate, *per se loquendo,* ut conveniunt doctores communiter, ratione adulterii (1), saltem si adulterium sit notorium; immo probabiliter etiamsi fuerit occultum, quamvis in hoc casu plures nec improbabiliter contradicunt. *S. Alph.*, n. 968. Idipsum etiam admittendum est ratione saevitiarum, quia saepe esset periculum in mora, et nemo tenetur exspectare sententiam iudicis cum gravis damni periculo. Insuper iniuriae etiam gravissimae non semper in foro externo probari possent. Immo can. 1131, § 1, post enumeratas causas quas n. 910, 3.°, retutimus, dicit eas esse causas legitimas divortii auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet, et periculum sit in mora. *Elbel*, n. 376.

In *praxi* tamen et *ante factum* dissuadenda est separatio, privata auctoritate facta, excepto casu *adulterii notorii*. V. **Comp.**, n. 1120.

912. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° CYRINUS tenetur in casu uxorem suam revocare. Ratio est, quia paria habentur delicta, cum uterque coniux alteri fidem fregerit. Mutua igitur compensatio ex utraque parte orta est; ergo CYRINUS iniuste egit divortium procurando, et iniustitiam hanc reparare debet uxorem revocando. *Pontas,* v. Divortium, cas. 3.

Confirmatur ex § 1 canonis 1129, supra n. 910 citato, ubi plane asseritur ius ad divortium non conferri ex causa adulterii, si alter coniux idem crimen commiserit.

2.° Si vir adulterium commisisset tantum post separationem *iuridice* obtentam, non teneretur, saltem probabiliter, uxorem revocare, quia haec per sententiam iudicis omni iure erga maritum spoliata fuit.

---

(1) Confirmatur ex can. 1130, qui expresse dicit: «Coniux innocens, sive iudicis sententia *sive propria auctoritate* legitime discesserit, nulla unquam obligatione tenetur coniugem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium», etc. Ergo supponit divortium legitime fieri posse propria auctoritate ob adulterium.

V. **Comp.**, n. 1119. *S. Alph.*, n. 967. — Si autem separatio fuisset *privata* et adulterium uxoris occultum, CYRINUS teneretur redire ad uxorem eum revocantem, quia paria crimina compensatione tolluntur (l. 5, *Decret.*, tit. 16, cap. 7).

913. — *R. ad* 4m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia uxor iniuste iure suo privata est; ergo hoc ius suum repetere potest; ergo, si repetat, ei reddendum est. MARCELLINUS igitur vitae laicali restituendus est. Sed cum castitatem promiserit in ordinis susceptione, debitum petere non poterit, sed reddere tantum. *Pontas*, v. Divortium, cas. 4, post *S. Thom.* et *S. Bonav.* In praxi autem, ratione reverentiae sacerdotio debitae, roganda foret mulier, immo et enixe hortanda, ut e iure suo cederet, et virum in pace relinqueret.

CASUS VII

DIVORTIUM A TORO ET HABITATIONE 2.°

1.° URSINUS et ACHARIS, coniuges, in perpetuis iurgiis viventes, nec verbis solum, sed etiam verberibus contendentes, mutuo consensu, ad operandam animae salutem, divortium a toro et ab habitatione faciunt. Sed ab ALBERICO confessario sine absolutione dimittuntur, donec cohabitaverint.

2.° MANLIUS, resciens uxorem a pluribus annis adulterium commisisse, separationem iuridicam urget, quamvis certo noverit eam ad meliorem frugem sese recepisse, et sanctam quidem vitam nunc peragere.

3.° GERMANUS, matrimonio cum CLARA ab uno anno coniunctus, iam totam hereditatem a matre defuncta receptam potando exhaurit, dum pater proprium patrimonium comedit. CLARA, ex fructibus dotis maritum simul et socerum sustentans, ab utroque verbis asperis et durioribus verberibus indesinenter lacessitur. Teneram oviculam inter duos lupos cerneres! Quid tunc CLARA? cum prolem nullam ex viro susceperit, et suscipere in tam misera conditione timeat, clam fugit ad domum paternam, nec ad maritum redire consentit.

HINC:

QUAER. 1.° *An coniuges in primo casu legitime separari potuerint, et an recte egerit confessarius?*

2.° *An recte* MANLIUS *separationem petiverit in secundo casu?*

3.° *Quid, si* MANLIUS *condonasset uxori, vel si cognito crimine, cum ea cohabitasset?*

4.° *Quid dicendum de* CLARA *in tertio casu?*

SOLUTIO:

914.—*R. ad* 1m *Quaes. Per se loquendo,* isti coniuges in perpetuum separari nequeunt, mutuo consensu. Ratio est: 1.° quia huiusmodi separatio nunquam scandalo caret; 2.° quia tenentur lege caritatis et pietatis, seposita occasione, mutuum amorem fovere, et *alter alterius onera* portare; 3.° quia fere semper maxima incommoda ex tali divortio subsequi solent, scilicet odia reciproca, familiarum dissensiones, periculum incontinentiae, etc.; secus tamen si accedat alia ratio gravis, v. gr. si viri saevitiae in uxorem sint intolerabiles, ut in casu praecedenti dictum est, etc. Quare *per se* recte egit confessarius hos coniuges absque beneficio absolutionis dimittendo. Attamen conari debuit, ut eos verbis pacificis ad mutuam reconciliationem adhortaretur. *Pontas,* v. Divortium, cas. 7. Aliquando etiam solutio integra huiusmodi casus a solis rerum adiunctis pendere potest; decisio igitur ex circumstantiis temperari debet; in praxi enim quandoque utendum est aliqua *epikeia,* separationem ad tempus permittendo.

915. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.,* absolute loquendo. Ratio est, quia, cum uxor fidem fregerit, vir utitur iure suo; paenitentia enim uxoris non tollit de medio factum, quo eiectione digna fuit. *Pontas,* v. Divortium, cas. 10, post *S. Thomam* et *S. Bonav. Comitolus,* t. 1, q. 144, ubi asserit esse sententiam communem theologorum. — Attamen in praxi valde inducendus est maritus ut uxori condonet paenitenti, et eam non dimittat. Igitur, ex rigore iuris, MANLIUS uxorem dimittere quidem potest, sed ex quadam convenientia non expedit ut iure suo utatur; attendere etiam debet ad famam uxoris non prostituendam, atque ad scandalum non creandum. Quamobrem, si haec culpa mulieris secreta sit, eam propalare non potest; tunc igitur satis erit, si debitum coniugale ei deneget; et melius faciet, si, adhibita misericordia, peccati uxoris omnino immemor fiat.

916. — *R. ad* 3m *Quaes.* Si MANLIUS condonasset uxori, minime posset separationem urgere, quia condonando e iure suo cessisset; ubi autem quis e iure suo cessit, iam eo amplius non gaudet, nec proinde eodem uti potest perinde ac si illud servasset. Idem est dicendum, si, cognito crimine uxoris, cum ea pacifice habitaverit et matrimonio usus fuerit, quia haec agendi ratio esset vera condonatio, saltem implicita. Ita *communiter.*

Confirmatur ex can. 1129, § 1, ubi quoad ius instituendi divortium causa adulterii excipitur casus quo coniux innocens adulterium expresse aut tacite condonaverit. Cfr. n. 910. — Ex eodem autem canone, § 2: «Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero coniuge sponte, maritali affectu, conversatus fuerit; praesumitur vero, nisi sex intra menses coniugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut legitimam accusationem fecerit».

917. — *R. ad* 4m *Quaes.* Quid dicam de te, infelix CLARA, mulierum miserrima? heu! infauste experiris id, quod Apostolus praedixit generatim coniugibus adfuturum: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi:* reapse, quot alias mulieres eiusdem infelicitatis socias reperies! Sed exiguum tibi est solatium quod aliae uxores bene multae tuae miserae conditionis sint participes: aliorum lacrimae, tuarum fontem exsiccare non valent. Igitur, ne gravamen maius tibi afferam, nolo te damnare ex eo quod a marito adeo in te saevo discesseris, neque te urgere volo, saltem in praesentibus circumstantiis, ut cum eo cohabites ad duras et iuges verberationes sufferendas: nam canone 1131, supra n. 910, 3.°, citato, tibi ius planum fit divortium instituendi, si res ita sint, ut tu hic in casu exponis.

918. — Sed cave ne tolerabilia velut intolerabilia iactes. Novimus enim solitum esse uxoribus aerumnas suas exaggerare, ut iugo maritali subtrahantur. Verum, quod vir tuus et socer ventri indulgeant indesinenter, unus manducando et alter bibendo, non est ratio sufficiens ut ab eis discedas. Neque valet timor, ne proles superveniens bonis fortunae destituatur. Deus enim, qui *pascit volatilia caeli, dat escam timentibus se.* Si consilium a me petis, tibi suadeo ut cum viro tuo cohabites, parata ad omnia incommoda, adiuvante divina gratia, patienter toleranda. Non obstabo tamen quin civilem bonorum separationem postules, quatenus leges id ferant; immo suadebo ut facias.

CASUS VIII

PAROCHI MUNUS

1.° SIGISMUNDUS, parochus, non raro anxietate laborat quando ad nuptias benedicendas advocatur, ne cooperetur sacrilegiis unius vel utriusque sponsi, qui absque debita dispositione ad sacramentum vivorum accedere videtur, praesertim in casibus sequentibus: 1.° si accedant sponsi, confessionis testimonium non perhibentes, vel aperte confiteri recusantes; 2.° si unus dispositus quidem videtur, alter vero peccator publicus vulgo habetur; 3.° si agatur de concubinariis vel publicis peccatoribus, iam contractu civili constrictis, et simul habitantibus. Etenim, si in praefatis interveniat parochus, manifestum fit sacrilegium; si vero assistentiam deneget, alia incommoda nec parva subsequentur. Quid igitur faciet? Quid tu ipsius loco?

2.° PANTALEO, parochus, excipiens confessionem FLAVIAE die sequenti nuptias celebraturae, deprehendit eam in prava consuetudine hucusque protracta versari. Quid faciet confessarius? Timens ne indispositam absolvat, dilata absolutione, iubet illam, elapsis quindecim diebus a contracto matrimonio, ad confitendum redire, putans expedire magis unum sacramentum quam duo vel tria periculo profanationis exponi.

HINC:

QUAER. 1.° *An parochus assistere possit matrimonio illorum, qui male dispositi videntur?*
2.° *Quid si unus tantum sit indispositus?*
3.° *An parochus testimonium confessionis a sponsis necessario requirere debeat?*
4.° *Quid ad casus?*

SOLUTIO:

919. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.,* saltem probabilius. Ratio est, quia parochus non est minister sacramenti, nec illud confert, sed assistit tantum tanquam testis seu notarius publicus, ad quem non spectat examinare contrahentium merita, sed fidem facere, et testari ea quae videt. *Lugo,* De Sacram., d. 8, n. 226 seq. — A fortiori id esset dicendum, si sponsi in concubinatu viverent, vel etiam si essent peccatores occulti, et publice peterent matrimonium contrahere. V. **Comp.,** nn. 285, Reg. III, 931, 987, q. 6.°

920. — *R. ad* 2m *Quaes.* Si unus e sponsis sit indispositus, parochus *facilius* matrimonio assistere poterit in favorem innocentis. V. **Comp.**, ibid.

921. — *R. ad* 3m *Quaes. Nego per se loquendo.* 1.° Ratio est, quia nulla datur lex Ecclesiae generalis id praescribens, et praeterea sponsi possent exsistere in statu gratiae, vel in illo per contritionem perfectam reponi. *Gousset,* n. 754.

2.° *Affirmandum* autem est, ubi exsistit lex particularis, ut in multis locis reapse habetur, nisi adsit nimia difficultas in huius legis observatione, praesertim erga eos, qui iam matrimonium civiliter contraxerunt; sed antea generatim ab Episcopo resciendum est quid, casu occurrente, agendum sit. *Gousset,* n. 754. — V. **Comp.**, n. 931.

N. B. Ex Codice «si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium» (can. 1066).

922. — *R. ad* 4m *Quaes. Ad primum casum.* 1.° Sponsi sunt quidem enixe adhortandi ut confiteantur ante matrimonii celebrationem, non vero absolute cogendi nisi lex particularis id praescribat, neque sit servatu difficilior. — **2.°** Quando unus sponsus est dispositus, parochus certe in illius favorem matrimonio assistere potest, licet alter ut peccator publicus habeatur. — 3.° In tertia hypothesi, faciet quidquid poterit parochus ad sponsos digne disponendos; si res non succedat, nihilominus illos coniungere poterit, maioris mali vitandi gratia.

923. — *Ad secundum casum.* Non placet parochi PANTALEONIS decisio, ac agendi ratio. Debuisset FLAVIAM meliori modo possibili ad absolutionem praeparare, et dubie dispositam conditionate absolvere.

CASUS

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII

SEU

De efficacia impedimentorum; de voto simplici; de voto ingrediendi religionem; de impedimento erroris, voti sollemnis, consanguinitatis, cognationis spiritualis, affinitatis, honestatis publicae, criminis, disparitatis cultus, metus, ligaminis, clandestinitatis; de matrimoniis haereticorum; de assistentia parochi, etc.

* CASUS I

IMPEDIMENTORUM EFFICACIA

Celina, puella, dum, nescio quo casu, in statu involuntariae ebrietatis versaretur, a Titio opprimitur. Elapsis pluribus annis, rei prorsus inscia Celina, cum Caio, Titii fratre, nuptias celebrat. Postea autem, cum id, fatente ipso Titio, rescivisset, de matrimonii valore multum angitur. Ad Germanum parochum statim properat, dubitationemque suam ei aperit. At ille: «Nihil est quod timeas, filia, inquit; nulla debetur poena ubi nulla datur culpa, et insuper lex ignorata obligare nequit».

Hinc:

Quaer. 1.° *An impedimenta invincibiliter ignorata matrimonium irritent?*

2.° *An incurrantur, seclusa culpa, ubi rationem poenae habent?*

3.° *Quid ad casum?*

Solutio:

924. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirmative.* Ratio est, quia impedimenta dirimentia sunt leges irritantes, quae proinde matrimonium prorsus invalidum faciunt, licet ignorentur. Irritatio enim locum habet independenter a voluntate et cognitione contrahentis. Unde in can. 16, § 1: «Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur». V. **Comp.**, n. 992.

925. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirmative.* Ratio est, quia in eo casu

impedimenta primo habent rationem vinculi, et secundo tantum rationem poenae. **Comp.,** n. 993. — Unde post Codicem non videtur iam solide probabilis sententia tenens hoc impedimentum non contrahi, si uterque coniux huius legis exsistentiam ignorabat. Cfr. **Comp.**, n. 1026, N. B. 1.°

926. — *R. ad* 3m *Quaes.* Turpiter et crasse erravit GERMANUS parochus; non agitur enim ibi de poena, sed de lege Ecclesiae, matrimonium irritante; ergo nullum est CELINAE matrimonium, et proinde revalidandum, *si fuit contractum antequam Codex canonicus vim obligandi haberet.* Si autem contractum fuit post Codicem, validum erit, non propter rationes allegatas a GERMANO, sed quia tale impedimentum a Codice sublatum est. Vide n. 969. GERMANUS autem ad studium theologiae moralis remittendus est. Vide **Comp.,** n. 1037.

* CASUS II

IMPEDIMENTA DUBIA

ANTONIA, a GERUNDIO viduo in matrimonium requisita, libenter annueret, nisi scrupulus unus aut alter obstaret, scilicet: 1.° dubium quoddam de morte mariti sui, in Indias profecti negotiationis causa, de quo a viginti annis nihil prorsus audivit; 2.° dubium de aliqua affinitate cum ipso GERUNDIO contracta, propter turpe consortium inter ipsam ANTONIAM et GERUNDII patruum habitum, non certo tamen consummatum. Scrupulum utrumque facile solvit ABUNDIUS, parochus, qui ait: *Impedimentum dubium, impedimentum nullum est; sicut lex dubia, lex nulla.* Contracto autem matrimonio, audit ANTONIA ab alio confessario, non sibi licere in tali matrimonio permanere, quia matrimonium dubium ius certum ad cohabitationem dare nequit. Mulier igitur anxia quaerit cuinam credendum sit.

HINC:

QUAER. 1.° *An liceat contrahere matrimonium cum impedimento dubio vel probabili?*

2.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

927. — *R. ad* 1m *Quaes.* Distinguendum est inter impedimenta iuris, vel facti, et inter impedimenta iuris ecclesiastici, aut iuris divini et naturalis.

Hinc: 1.° Licet contrahere matrimonium cum probabilitate impedimenti *iuris ecclesiastici,* quia Ecclesia censetur defectum supplere, cum supplere possit. Unde in can. 15: «Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Ro-

manus Pontifex dispensare solet». V. **Comp.,** vol. 1, n. 181, q. 2; vol. 2, n. 994, et *S. Alph.*, n. 901.

2.° Non autem licet contrahere matrimonium cum impedimento dirimente in dubio *iuris divini,* quia probabilitas non tollit periculum invaliditatis sacramenti, et Ecclesia in hoc casu supplere minime potest.

3.° Neque licet matrimonium contrahere cum dubio vel probabilitate *facti,* quamvis impedimentum sit *iuris ecclesiastici.* Ratio est, quia, cum factum dubium possit subinde evadere certum, maxima incommoda ex separatione coniugum sequerentur. Quapropter communiter docent theologi tunc Ecclesiam non supplere, quia supplendo minus sapienter ageret; ergo non censetur supplere; ergo, in dubio vel probabilitate impedimenti huiusmodi, recurrendum est ad dispensationem pro cautela. Sed sufficit ad Episcopum recurrere, ut patet ex can. 15, nuper citato.

N. B. Si vero agatur de impedimento quod reddat personam simpliciter inhabilem erga omnes alias personas, poterit matrimonium contrahi, etiam in dubio facti *iuris divini* vel naturalis, v. gr. in impedimento ligaminis, vel impotentiae, modo accedat declaratio Summi Pontificis, tanquam unici interpretis legis divinae. *S. Alph.*, n. 902; *Buccer.*, n. 1031. Sic Leo XIII concessit uxoribus italorum eorum, qui pugnaverunt apud Aduam, et de quorum vita vel morte nihil probari certo potest, ut possent ad alias nuptias convolare, modo constaret eorum maritos tali pugnae adstitisse. Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 31, pag. 252. Idem responsum applicatum est pro uxoribus eorum, qui pugnaverunt apud Mukden in bello Russo-Iaponico. Cfr. *Acta,* III, pag. 29. Etiam in dubio facti de impotentia permittitur matrimonium, et a fortiori si concurrat dubium facti cum dubio iuris, ut in casu feminae excisae. Ita ex can. 1068, § 2. Cfr. *Ferreres,* De Vasectomia duplici, necnon de matrimonio mulieris excisae, n. 205 seq. V. **Comp.,** nn. 994, *N. B.*, 1003.

928. — *R. ad* 2^m *Quaes.* 1.° ANTONIA matrimonium contrahere nequit cum GERUNDIO, quia non est certa de morte mariti sui. In hoc casu non sufficit praesumptio, sed requiritur moralis certitudo. Ecclesia enim pro tali casu non supplet nec supplere potest, quia est impedimentum iuris divini. Graviter igitur erravit ABUNDIUS, parochus, declarando ANTONIAM tuta conscientia matrimonium contrahere posse. Res erat deferenda ad Episcopum, qui debuit instituere processum iuxta Instructiones datas a SS. Congregationibus (Cfr. infra, n. 1005, *N. B.* 2.°). Quod si res adhuc dubia remaneret, recurrendum esset ad Sedem Apostolicam, prout in superiori responsione dictum est. **Comp.,** n. 1013.

2.° Dubium posterius de affinitate contracta solvendum erat interrogando mulierem, ut ab ea nosceretur qualis generis fuerit consortium istud, *si de matrimonio agatur initum ante Codicem.* Dubio

autem remanente, dispensatio *ad cautelam* erat postulanda. Si post Codicem matrimonium contractum fuit, nihil de tale affinitate curandum, quia nullum impedimentum attinet.

CASUS III

VOTUM SIMPLEX 1.°

1.° FELICITAS vitam caelibem servare vovet; et paulo post (ut inconstans est mulierum genus) ipsam voti paenitet, cum arridentem nubendi occasionem invenisset. Pergit igitur ad PROCOPIUM, confessarium, medium quaeritans ad importunum vinculum solvendum. Dubitat ipse PROCOPIUS an in illo casu ad Papam, vel ad Episcopum, sit recurrendum.

2.° HELENA adit SYLVIUM confessarium: «Pater, inquit, mulierum miserrimam ad pedes tuos cernis provolutam. Postquam ego perpetuam voverim castitatem, data occasione matrimonium contraxi, quin votum, soli Deo notum, cuipiam mortalium patefacerem. Quid nunc, quaeso, mihi superest agendum?» Obstupefactus SYLVIUS, quid respondeat plane ignorat; ideoque iubet mulierem alia vice redire. Redit quidem mulier, anxietate adhuc maiori percita: «Heu! inquit, vir meus nudius tertius defunctus est! quid faciam! Sola enim remanere nequeo. Iam novae mihi offeruntur nuptiae: quaero an illas acceptare valeam?» Sciscitanti *affirmative* respondet confessarius.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis sit efficacia voti simplicis, sed perpetuae castitatis, sive quoad matrimonium contrahendum, sive quoad illud cum eo voto iam contractum?*

2.° *Quis ab illo voto dispensare possit, sive ante matrimonium, sive nuptiis iam celebratis?*

3.° *An dispensatio voti, obtenta ad ineundum matrimonium, sit absoluta et perpetua, vel nova requiratur ad novas nuptias?*

4.° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO:

929. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Votum castitatis a persona libera emissum, est impedimentum *impediens* matrimonii, ita ut si, seclusa dispensatione a tali voto, illa matrimonium ineat, *valide* quidem, sed *illicite* contrahat, gravissimoque peccato coinquinetur.

2.° Si matrimonium, stante voto castitatis, initum fuerit, coniux eo ligatus non potest petere debitum. V. **Comp.**, n. 981.

930. — *R. ad* 2m *Quaes.* Si votum *perfectae* castitatis sit perpetuum et absolutum, et emissum post completum decimum octavum aetatis annum (can. 1809), est Papae reservatum ante matrimonii celebrationem; inito autem coniugio, votum castitatis ab Episcopo et regularibus solvi potest, sive ante matrimonium, sive eo contracto emissum fuerit. Idem quoque dicendum est de voto ad tempus determinatum facto, et etiam de voto perpetuo conditionali, necnon de voto virginitatis seu de voto non nubendi. V. **Comp.,** vol. 1, n. 417; vol. 2, n. 981. *S. Alph.,* n. 987.

931. — *R. ad* 3m *Quaes.* Dispensatio censetur tantum data propter praesentes circumstantias, seu ad matrimonium semel ineundum. Eruitur ex modo quo ordinarie eiusmodi concessio datur; additur enim communiter: *ita ut, coniuge mortuo, caelebs maneat.* A fortiori idem dicendum est, si dispensatio concedatur postquam matrimonium iam contractum est. Proinde dispensatus a voto, comparte mortua, ad novas nuptias absque dispensatione convolare nequit. *Lacroix,* De voto, lib. 3, part. 1, n. 684; *Lugo, Lessius.*

932. — *R. ad* 4m *Quaes. Ad primum casum:* Felicitas vovendo vitam caelibem, seu caelibatum servare, non emisit votum perfectae castitatis, sed tantum votum non nubendi, et consequenter satis est si ad Episcopum, vel confessarium regularem, pro dispensatione obtinenda recurrat.

933. — *R. ad secundum casum.* Sylvius, confessarius, dicere debuisset Helenae prima vice sibi occurrenti, votum suum posse ab Episcopo, vel etiam a confessario regulari dispensari, seu potius commutari, quia Episcopi et regulares facultate gaudent tollendi omne impedimentum ad matrimonii usum. Redeunti autem mulieri declarandum fuisset, recursum ad Curiam Romanam vel ad alium confessarium habentem facultatem dispensandi a tali voto vel illud commutandi necessarium esse ad obligationem voti solvendam, quia iam non exsistit ratio ob quam reservatio Papae cessaverat, et proinde eadem reservatio reviviscit.

CASUS IV

VOTUM SIMPLEX 2.°

Rogerius, graviter decumbens, vovet religionem votorum sollemnium ingredi, si Deus corporis sanitatem restituat. Verum, recuperata sanitate, simul cum morbo evanuit etiam fervor spiritus, et, neglecto voto, matrimonium contraxit. Stimulos autem conscientiae persentiens Rogerius, matrimonio nondum consummato, a confessario quaerit utrum voto adhuc obstringatur, vel a quo dispensationem obtinere possit?

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo peccaverit* ROGERIUS *matrimonium ineundo?*

2.° *An voto adhuc ligetur, ita ut, relicta uxore, statim religionem ingredi debeat?*

3.° *An peccaturus sit, debitum petendo aut reddendo?*

4.° *A quo dispensari possit?*

SOLUTIO:

934. — *R. ad* 1m *Quaes.* ROGERIUS peccavit graviter, matrimonium contrahendo, et quidem contra virtutem religionis. Ratio est, quia votum, licet conditionatum, recuperata valetudine, factum est absolutum, et obligare coepit. Proinde, uxorem ducendo, ROGERIUS promissionem suam in re gravi violavit, quia vel debet fieri infidelis uxori, ut votum exsequatur, vel infidelis Deo, ut uxori adhaereat.

935. — *R. ad* 2m *Quaes.* Matrimonio non consummato, tenetur adhuc ad votum; etenim in eo casu uxorem licite relinquere posset quilibet alius ad vitam religiosam amplectendam, et a fortiori ipse ROGERIUS id potest. Atqui, si potest, debet, nisi dispensetur, quia adimpletio voti adhuc possibilis est. Sed, consummato matrimonio, votum impletu impossibile fieret.

936. — *R. ad* 3m *Quaes.* Distinguendum est: 1.° Matrimonio nondum consummato, neque potest debitum petere, neque reddere, quia se impotentem efficeret ad votum servandum per matrimonii consummationem. 2.° Matrimonio autem consummato, posset tum petere, tum reddere, quia exsecutio voti facta fuisset impossibilis.

937. — *R. ad* 4m *Quaes.* ROGERIUS ab Episcopo dispensationem voti obtinere potest, eo tempore quo adhuc obligatione ligatur, scilicet, matrimonio non consummato, ut fert casus. V. **Comp.,** n. 983. Plures dicunt obligationem voti ruere per ipsam matrimonii celebrationem; quia si coniux, non consummato matrimonio, potest religionem ingredi, hoc fit ex privilegio divino: sed nemo tenetur privilegio uti; ergo nemo tenetur id facere invitus. V. *Elbel,* n. 79. Sed non videtur deserenda sententia communis theologorum.

Nec omittendum est hoc votum, utpote conditionatum, non esse Papae reservatum, ideoque ab illo Episcopus dispensare potuisset non modo post contractum matrimonium sed etiam antea, ut patet ex can. 1309. — V. **Comp.,** vol. 1, n. 418.

CASUS V

VOTUM INGREDIENDI RELIGIONEM

LUDIVINA, puella, gravissimo morbo laborans, ac in vitae discrimen adducta, castitatem, immo et religionis ingressum vovit, si convalesceret. Reipsa, valetudine recuperata, monasteria pleraque regionis adivit, rogando ut sacro habitu donaretur. Verum intellexit se nullibi admittendam esse in gradum monialium choro addictarum, sed solum inter eas quae in humiliori gradu consistunt, quae sorores *conversae* nuncupantur, nisi breviario rite legendo ac pronuntiando idonea evaderet. Tunc a voto religionis se omnino immunem reputavit LUDIVINA, siquidem indignum sibi videbatur inter inferioris gradus religiosas accenseri, et praeterea, laboriosum nimis, ut aiebat, arbitrata est latinas litteras addiscere. Hinc satis a se factum esse non dubitavit, si promissam Deo castitatem paternis in aedibus custodisset. At, mortuo patre, mox ad egestatem redacta est, cum ipsi occurrit vir sat dives, qui ad eam ducendam etiam sine dote paratus erat. Tunc confessarium adit, et ab eo quaerit quid facere possit, et a quo dispensationem voti castitatis obtinere valeat.

HINC:

QUAER. 1.° *An* LUDIVINA *debuerit consentire ut admitteretur in gradum inferiorem, si altioris gradus capax non iudicaretur?*

2.° *An debuerit, voti implendi causa, necessaria addiscere, ut admitteretur inter moniales choro addictas?*

3.° *An a solo Papa concedi potuerit dispensatio a voto castitatis praedicto?*

SOLUTIO:

938. — *R. ad* 1m *Quaes.* Si LUDIVINA, vovendo, non aliter se ad religionem ingrediendam obstringere intenderit quam in statu monialis choro addictae, minime tenebatur gradum sororum in humiliori gradu consistentium amplecti. Quod si non constaret qualis fuerit eius intentio, iudicium ferendum erit ex praesumptione, nimirum ex circumstantiis, sive personalibus, sive domesticis, v. gr. conditione, educatione, viribus, et vitae anteactae ratione, etc. Ubi autem, omnibus perpensis, apparuerit nonnisi ad statum monialium choro addictarum puellam se adnumerari intendisse, censenda erit a voto soluta.

939. — *R. ad* 2m *Quaes.* Debuit LUDIVINA adhibere media saltem ordinaria ut voto exsequendo evaderet idonea, adeoque procurare ut scientiam sufficientem haberet ad breviarium legendum et recitandum.

Attamen, si id LUDIVINAE longe laboriosius esset quam aliis choro destinatis, vel quam ipsa praevidisset, ab omni obligatione voti adimplendi immunis reputanda erit.

940. — *R. ad* 3m *Quaes.* Haec dispensatio ab Episcopo concedi potest, iuxta can. 1309. Est enim votum conditionatum. V. **Comp.**, vol. 1, n. 418.

CASUS VI

ERROR 1.°

FULBERIUS matrimonium contrahit cum ARETHUSA, quam putat honestam virginem et praedivitem. Celebratis autem nuptiis, detegit eam non solum pravam egisse vitam, sed ex alio gravidam esse, nullis fruentem divitiis, immo aere alieno non parum gravatam. Furore abreptus, ab ea discessit, ad novas nuptias in aliena regione convolaturus. Mox ei offertur occasio ducendi puellam putative nobilem, eamque ducit, ut nobilium affinis fiat. Contracto autem matrimonio, summo dolore comperit iterum se falsa sponsae nobilitate delusum esse. Tunc audiens ARETHUSAM repente mortuam esse, in patriam revertitur, tertias ibi nuptias initurus.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis error obstet validitati matrimonii?*
2.° *Quinam error qualitatis dicitur redundare in personam?*
3.° *Quid de triplici matrimonio* FULBERII?

SOLUTIO:

941. — *R. ad* 1m *Quaes.* Error circa *personam* invalidum reddit matrimonium (can. 1083, § 1). — Error circa *qualitatem personae,* etsi det causam contractui, matrimonium non irritat. — Excipe: *a)* Si error qualitatis redundet in errorem personae. *b)* Si persona *libera* matrimonium contrahat cum persona, quam liberam putat, cum contra sit *serva,* servitute proprie dicta (ibid., § 2, 1.°, 2.°). *c)* Si consensus datus sit sub conditione qualitatis, quae desit.

Ratio primi est, quia haec persona est obiectum substantiale contractus; ergo illa deficiente, deest substantialiter consensus matrimonialis. — Ratio secundi est, quia qualitas per se accidentaliter se habet respectu ipsius obiecti. Alioqui vix unquam constare posset de validitate matrimonii. V. **Comp.,** n. 1065.

R. ad 2m *Quaes.* Error, qui versatur circa qualitatem: *a)* plane singularem atque individualem personae, *b)* ab errante *sub alio respectu non cognitae,* et *c)* directe et exclusive tantum ratione illius qualitatis individualis expetitae sive intentae, v. gr. heredis universalis viri cuiusdam praepotentis. *Wernz,* vol. 4, n. 243 seq.

Cfr. *Acta,* V, pag. 46, 374, etiam *Sánchez,* lib. 7, d. 18, n. 38. — V. **Comp.,** n. 1066, q. 1.°

942. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° *Primum* FULBERII *matrimonium* est omnino *validum,* quia error circa qualitates personae tantum versatur, quin redundet in personam. Nec obstat quod error causam forte dederit contractui, seu quod FULBERIUS, cognito errore, noluisset contrahere, ut patet ex can. 1083 nuper citato. Ratio est, quia haec dispositio habitualis nihil facit ad matrimonium invalidandum, siquidem non attenditur in hoc contractu ad id, quod fecisset, si veritatem novisset, sed quid actu fecerit. Atqui actu FULBERIUS consensit in personam ARETHUSAE, et quidem absolute absque ulla conditione; ergo valide cum ea contraxit. Accedit quod, si huiusmodi dispositio sufficeret ad matrimonium invalidandum, innumera matrimonia rescinderentur, nec ulla foret matrimonii firmitas; proindeque maxima sequerentur familiarum dissidia, filiorum damna, omnium scandala et totius societatis perturbatio.

943. — 2.° *Secundum* FULBERII *matrimonium* est prorsus irritum. Stante enim matrimonii praecedentis validitate, necessario corruit subsequens vinculum, ob ligaminis impedimentum. An vero valeret, si ex aliqua causa primum non staret? *Per se* esset validum non obstante errore, qui etiam in hoc casu circa qualitatem tantum versatur. Secus tamen dicendum foret, si hanc qualitatem, seu sponsae nobilitatem tanquam conditionem *sine qua non* explicite intendisset FULBERIUS, ut supra dictum est.

3.° *Tertium matrimonium* FULBERII absque difficultate valebit, si aliud non obstet impedimentum. Etenim non obstat primum matrimonium, cum ARETHUSA mortua sit et tumulata. Nec obstat secundum matrimonium, cum ex dictis prorsus invalidum fuerit. Ergo FULBERIUS in pace tertia uxore fruatur, et utinam tandem haec tertiae nuptiae ei faustae evadant.

CASUS VII

ERROR 2.°

ARCONTIUS, ob plura crimina ad triremes in perpetuum damnatus, captata occasione, vincula disrumpit, et fictis litteris se nobilem et divitem exhibens, matrimonium cum GERAFINA, virgine praeclara, contrahit. Re autem comperta, ecce adstant satellites, qui comprehensum hominem in carcerem teterrimum detrudunt. Quaerit autem obstupefacta GERAFINA, an alium virum ducere possit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid de matrimonio* ARCONTII *cum* GERAFINA *inito, et an* GERAFINA *alias nuptias inire possit?*

QUAER. 2.° *Quid, si quis contrahat sub conditione* sine qua non *talis qualitatis: an error matrimonium invalidaret?*

SOLUTIO:

944.—*R. ad* 1m *Quaes.* Matrimonium GERAFINAE cum ARCONTIO *validum reputandum est,* quia error, licet ingens et enormis, fuit tamen circa qualitatem solam, quin in ipsam personam redundet. Nec obstat quod mulier insigniter decepta fuerit, quia haec deceptio, quaecumque sit, consensum in personam ARCONTII, in matrimonium accipiendam, non vitiavit; ergo consensus ille substantialiter validus fuit; ergo validum est matrimonium. Porro matrimonium semel validum, est indissolubile; ergo GERAFINA ad alias nuptias convolare nequit. Si quid autem solatii ipsi tribui possit, istud accipiat, nempe ipsi non esse sufferendam viri adeo invisi horrendam societatem, cum separatio a toro et habitatione iam per satellites peracta fuerit. Neque, si ARCONTIUS postea, obtenta gratia, libertati restitueretur, cogenda foret GERAFINA ut cum tali viro cohabitaret. *Elbel,* n. 99.

945.—*R. ad* 2m *Quaes.* In hoc casu, sane error matrimonium invalidat, ut supra dictum est. Ratio est, quia consensus contrahentis existentiae qualitatis intentae omnino alligaretur, et ad hanc qualitatem restringeretur. Esset enim matrimonium vere conditionatum; ergo, non subsistente conditione, eo ipso corrueret consensus, et irritus fieret contractus. Talis autem modus contrahendi omnino reprobandus est; consensus enim conditionatus prorsus illicitus est. Hinc in praxi serio attendant sponsi ad qualitates compartis, quia, contracto semel connubio, remanet inclamandum istud Apostoli: *Alter alterius onera portate.* **Comp.,** nn. 1054, 1065.

* CASUS VIII

VOTUM SOLLEMNE

BERTHINA, puella, in Ordinem monialium ingressa, putans falso se annum aetatis decimum sextum complevisse, ad sollemnem professionem anno 1898 admissa est. Elapsis autem annis quindecim, errore detecto, inaudit professionem, utpote factam ante completum annum decimum sextum, nullam fuisse et irritam; quapropter animum mutavit simul et habitum, relictoque monasterio matrimonium contraxit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quandonam votum dirimat matrimonium?*
2.° *An validum fuerit matrimonium* BERTHINAE?

SOLUTIO:

946. — *R. ad* 1m *Quaes.* Votum dirimens matrimonium est solum

votum *sollemne* castitatis, per professionem in religione approbata factum. Votum enim simplex non dirimit matrimonium, sed tantum illud impedit, seu illicitum illud efficit. — Ex speciali tamen privilegio Gregorii XIII, *vota simplicia,* quae post biennium novitiatus in Soc. Iesu emittuntur, dirimunt *subsequens* matrimonium. V. **Comp.**, n. 1107.

947-948. — *R. ad* 2m *Quaes.* Matrimonium BERTHINAE videtur omnino validum, quia professio in suo initio irrita, ut fuit illa BERTHINAE, non convalescit per actus subsequentes, veluti per *tacitam* ratihabitionem, neque per consuetam votorum renovationem. Nam ex § 1 can. 586: «Professio religiosa irrita ob impedimentum externum non convalescit per subsequentes actus, sed opus est ut a Sede Apostolica sanetur, vel denuo, cognita nullitate et impedimento sublato, legitime emittatur». V. supra, n. 140 *c*, et **Comp.**, n. 205 (1).

CASUS IX

PUELLA APUD MONACHOS VOVENS

ARSENIUS, sacerdos, cupit aliquem monachorum Ordinem ingredi; et neptem habet decem annos natam, utroque parente orbatam, quam deserere nollet. Mirum ac singulare capessit propositum, ut tum sibi, tum puellulae consulat. Neptem virili veste indutam secum abducit in monasterium, rogans ut iunior hic hospes etiam reciperetur. Puer, ut

(1) Quoad novitiatus terminum et interruptionem necnon quoad triennium votorum temporalium ante vota perpetua sive sollemnia sive simplicia, haec in Codice praescripta sunt: «Praeter alia quae in can. 542 ad novitiatus validitatem enumerantur, novitiatus ut valeat, peragi debet: 1.° Post completum decimum quintum saltem aetatis annum; 2.° per annum integrum et continuum; 3.° in domo novitiatus. — Si longius tempus in constitutionibus pro novitiatu praescribatur, illud ad validitatem professionis non requiritur, nisi in eisdem constitutionibus aliud expresse dicatur» (can. 555).

«Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitius, a Superiore dimissus, e domo exierit, aut domum sine illius licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit quacumque ex causa, etiam de Superiorum licentia.— Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus extra domus septa permanserit sub Superioris oboedientia, ad validitatem novitiatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superioribus praescribi, sed non est ad validitatem necessarium.— Superiores licentiam manendi extra septa novitiatus, nisi iusta et gravi de causa, ne impertiant. — Si novitius a Superioribus in aliam novitiatus domum eiusdem religionis transferatur, novitiatus non interrumpitur» (can. 556).

«Ad validitatem cuiusvis religiosae professionis requiritur ut: 1.° Qui eam emissurus est, legitimam aetatem habeat ad normam can. 573; 2.° eum ad professionem admittat legitimus Superior secundum constitutiones; 3.° novitiatus validus ad normam can. 555 praecesserit; 4.° professio sine vi aut metu gravi aut dolo emittatur; 5.° sit expressa; 6.° a legitimo Superiore secundum constitutiones per se vel per alium recipiatur. — Ad validitatem vero professionis perpetuae sive sollemnis sive simplicis, requiritur insuper ut praecesserit professio simplex temporaria ad normam can. 574» (can. 572).

«Quilibet professionem religiosam emissurus oportet ut decimum sextum aetatis annum expleverit, si de temporaria professione agatur; vicesimum primum, si de perpetua sive sollemni, sive simplici» (can. 573). Vide supra, n. 140 c.

ab omnibus putabatur, assiduis patrui curis non mediocriter in doctrina et sapientia crevit, ita ut, annis quinque elapsis, cum tyronibus admissus fuerit, et anno sequenti cum nonnullis aliis novitiis vota simplicia ac post tres annos etiam sollemnia nuncupaverit. Interea tamen anxietate premitur ARSENIUS, pertimescens ne fraus sua tandem detegatur. Quare, obtenta Superioris licentia, ad tempus e monasterio egreditur, neptem abducens, eamque matrimonio iungit, et solus religionem repetit, paenitentiam de iniqua fraude peracturus.

HINC:

QUAER. 1.° *An professio puellulae apud viros valida fuerit?*
2.° *An validum fuerit eiusdem matrimonium?*
3.° *An neptis et patruus censuras incurrerint?*

SOLUTIO:

949. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Controversia olim agitabatur hac de re inter theologos. Affirmabant alii validam esse huiusmodi professionem, quia, aiebant, circumstantia sexus est quid mere accidentale. Si haec circumstantia detegatur, amovenda quidem erit puella a coenobio virorum, sed in coetu monialium collocanda, quin professionem renovare debeat. Ita *S. Antoninus,* etc. Alii vero negabant, quia hoc institutioni Ecclesiae omnino repugnat, et est periculis plenum. Ita *Glossa,* etc. *Comitolus* vero, qui casum exhibet, auctoritatesque hinc et inde refert, opinatur validam fuisse huiusmodi professionem ante decretum Clementis VIII, quo severe prohibetur; secus post editum hoc decretum. V. *Comit.,* Resp. mor., lib. 2, q. 8. Hodie igitur iam non datur ambigendi locus. A tempore enim Clementis VIII, talis professio ut plane irrita habenda est. Sed vix intelligitur quare unquam valida fuisset. Etenim, praeter solidas rationes a patronis secundae sententiae adductas, haec addi potest: ad validitatem religiosae professionis requiritur consensus Superioris, iuxta omnes; sed in casu consensus ille est plane erroneus; non censetur enim dare consensum suum, nisi ad virum inter monachos cooptandum; ergo... Cfr. *Pallottini,* vol. 15, pag. 402, n. 14 seq.

Idque ex Codice manifeste apparet, nam iuxta can. 452, 1.°: «*Invalide* ad novitiatum admittuntur, qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit».

950. — *R. ad* 2^m *Quaes. Affirmative:* sequitur ex dictis. Etenim puella invalide professionem religiosam emisit in monasterio virorum; ergo haec professio obstare nequit valori matrimonii subsequentis; ergo, nullo exsistente impedimento dirimente, validum est matrimonium.

951. — *R. ad* 3^m *Quaes. Affirmative,* nisi bona fide aut ignorantia excusati fuerint. Uterque enim incurrit excommunicationem Papae reservatam propter violationem clausurae monasterii virorum:

neptis quidem clausuram directe violando, et patruus violationi cooperando.

Obiicies fortasse quod neptis excusanda sit ab excommunicatione, ratione ingressus in coenobium virorum, propter impubertatem, siquidem annos decem tantum numerabat quando illud ingressa est (V. **Comp.**, 1181, 1257, c). Verum certum est quod si puella subiecta non fuit censurae ob ingressum in coetum monachorum, quia tunc impubes erat, ut patet ex can. 2230, eam non effugit, ibidem, adepta pubertate, commorando.

CASUS X

CONSANGUINITAS 1.°

ADAMUS, matrimonium triplex successive, dubia conscientia, contraxit: 1.° cum CLAUDINA cuius se consanguineum reputat in tertio gradu, sed quacum de facto in quarto tantum gradu attingente tertium coniungitur; **2.°** cum CLARA, obscura virginine, filia illegitima consobrini germani sui; 3.° cum MACRINA, filia BARBARAE, quae, tempore quo hanc filiam concepit, non tantum cum marito, sed etiam cum ADAMI patruo pluries cohabitavit.

HINC:

QUAER. **1.°** *In quali gradu cognatio matrimonium dirimat?*
2.° *Quid de triplici matrimonio* ADAMI?

SOLUTIO:

952. — *R. ad* 1m *Quaes.* In linea *recta* consanguinitatis matrimonium irritum est inter *omnes* ascendentes et descendentes, tum *legitimos,* tum *naturales* (can. 1076, § 1). Hoc impedimentum est saltem iuris positivi. *a)* In linea *collaterali* irritum est usque ad *tertium* gradum inclusive, *b)* ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum *multiplicetur,* quoties *communis stipes* multiplicatur (can. 1076, § 2).

Igitur in *nova* disciplina abrogata sunt impedimenta *quarti gradus* consanguinitatis in linea *collaterali.* Hinc in linea collaterali impedimentum intercedit tantum: *a)* inter contrahentem et fratres suos eorumque filios et nepotes *(nietos); b)* inter contrahentem et *fratres parentum* eorumque filios et nepotes; *c)* inter contrahentem et *fratres avorum* suorum eorumque filios et nepotes.

Nec obstat quod consanguinitas ex illegitimis natalibus oriatur, quia illegitimitas non impedit quin carnalis consanguinitas exsistat. V. **Comp.**, nn. 1027, 1028.

953. — *R. ad* 2m *Quaes. In primo casu* valide contraxit ADAMUS, quia consanguineus est cum CLAUDINA in quarto tantum gradu. Licet enim quartus ille gradus ex una parte attingat tertium, ex altera

distant tamen ambo simpliciter a stipite ex quatuor gradibus, cum in linea inaequali gradus ex parte remotiori computari debeant. Nec videtur obstare valori matrimonii huius, defectus consensus sponsorum, qui contrahere putant cum impedimento dirimente; quia volunt contrahere in quantum possunt, et nolunt vivere in mero concubinatu. Can. 1085; *Lacroix,* n. 531. Recole dicta supra, n. 892.

954. — *In secundo casu* ADAMUS invalide contraxit, seclusa dispensatione, quia duxit mulierem in tertio gradu consanguinitatis sibi coniunctam. Ex parte enim ADAMI sunt duo gradus, cum eius pater sit tantum intermedius ab avo, qui est stipes communis. Ex parte vero CLARAE, sunt tres gradus, quia sunt tres personae intermediae, praeter stipitem, scilicet: CLARA, eius pater qui est consobrinus germanus ADAMI, et avus eiusdem CLARAE, qui est frater patris ADAMI. Cum autem gradus ex linea longiori numerentur, sequitur dari tres gradus a stipite. Ergo ADAMUS et CLARA erant coniuncti in gradu prohibito; ergo invalide contraxerunt; nec obstat quod CLARA sit illegitima, ut supra dictum est.

955. — *In tertio casu* ADAMUS praesumitur valide contraxisse, quia non videtur ligari cum MACRINA ullo consanguinitatis vinculo. Etenim ADAMUS non esset MACRINAE consanguineus, nisi quia ea censeretur filia iliegitima patrui ADAMI, et proinde consobrina germana ADAMI ipsius. Sed, nisi aliud probent circumstantiae, in pari casu praesumptio stat pro legitimitate. Secus vero, si maritus BARBARAE fuisset diu absens eo tempore, quo MACRINA concepta est. *Lacroix,* n. 535. Ex Codice enim: *a)* Pater is est, quem iustae nuptiae demonstrant, nisi *evidentibus* argumentis contrarium probetur (can. 1115, § 1). Igitur filii habentur legitimi, etsi mater, aut pater, aut uterque asserat, etiam cum iuramento, filium esse ex adulterio, nisi id evidenter probent, v. gr. propter absentiam viri per undecim menses ante nativitatem filii. *b)* Legitimi praesumuntur filii, qui nati sunt saltem *post sex menses* a die celebrati matrimonii, vel *intra decem menses* a die dissolutae vitae coniugalis (ibid., § 2), v. gr. per mortem viri. V. **Comp.,** n. 1104.

* CASUS XI

CONSANGUINITAS 2.°

1.° CASIMIRUS, parochus, audit ex communi rumore CAIUM et CAIAM, qui nuper matrimonium contraxerunt, esse consanguineos. Vocat CAIUM, et ab eo sciscitatur an vel quomodo consanguineus sit cum CAIA? Respondet CAIUS: «Sum equidem valde remote; nam pater meus fuit frater proavi uxoris meae». Sed haeret parochus anceps, utrum matrimonium illud in gradu prohibito contractum fuerit, necne.

2.° FLORINA, uxor FLORI, quo tempore concepit FLORINUM filium, rem non semel habuit cum PONTIO. FLORINUS autem octodecim annos natus, cupit uxorem ducere neptem PONTII, quacum, si ex PONTIO sit conceptus, est in secundo gradu consanguineus.

HINC:

QUAER. 1.° *An validum fuerit matrimonium* CAII *et* CAIAE *in primo casu?*

2.° *An* FLORINUS *in secundo casu censeatur a matrimonio impeditus, et an dispensatione Papae, vel Episcopi egeat?*

SOLUTIO:

956. — *R. ad* 1m *Quaes.* Fuit quidem *validum,* quia CAIUS et CAIA sunt consanguinei in quarto gradu attingente secundum. Sunt quidem duo gradus tantum ex parte CAII; nam, si pater CAII fuit frater proavi CAIAE, stipes communis est pater duorum fratrum, a quibus ducuntur lineae; ergo sunt duae personae tantum, stipite dempto, seu CAIUS et eius pater; ergo duo gradus. Ex parte autem CAIAE sunt quatuor gradus: numerandae enim sunt omnes personae a CAIA ad eius proavum inclusive; haec autem sunt CAIA, pater CAIAE, avus et proavus eiusdem, seu quatuor personae, stipite dempto, et proinde quatuor gradus. *Voit,* n. 1282.

957. — *R. ad* 2m *Quaes.* FLORINUS absque difficultate ducere potest neptem PONTII. Non praesumitur enim impediri vinculo consanguinitatis erga puellam; num, ut censeretur puellae consanguineus, praesumi deberet ipsum FLORINUM esse PONTII filium. Porro hoc praesumi nequit, quia cum stante matrimonio conceptus sit FLORINUS, ex ipso iure, can. 1115, legitimus praesumitur; et etiamsi adesset aliqua praesumptio facti, legitimitati adversans, contra praesumptionem iuris praevalere non posset. Insuper in casu ne praesumptio quidem facti FLORINO adversatur, sed sola suspicio, aut mera dubitatio; ergo FLORINUS haberi debet ut conceptus ex FLORO, iuxta can. 1115; ergo non censetur impeditus a matrimonio cum nepte PONTII contrahendo; ergo non indiget dispensatione. *Reuter,* Casus, part. 4, pag. 53, 54. Recole dicta supra, n. 955.

CASUS XII

CONSANGUINITAS 3.°

Coniuges infideles ad fidem conversi

NICANDER et THECLA, duo infideles, secundo gradu consanguinitatis lineae transversae invicem coniuncti, matrimonium inierunt atque consummarunt. Elapso aliquo temporis spatio, NICANDER, a quodam

missionario instructus, christianam fidem amplexus est, ac baptismum suscepit. THECLA vero, cum id resciverit, et ipsa ab eodem sacerdote instrui ac baptizari voluit. Antequam autem mulier sacrum susciperet lavacrum, dubitavit missionarius utrum post baptismum uxoris separari deberent, et facultas illis esset ad alias nuptias convolandi, vel an ipsis permittendum esset ut in coniugio remanerent, aut a Papa obtinenda esset solutio matrimonii, vel saltem dispensatio ab impedimento consanguinitatis. His pressus angustiis, ac nesciens quo se verteret bonus missionarius, baptizata THECLA, coniuges in bona pace reliquit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quo iure dirimat consanguinitas in variis gradibus?*

2.° *An Papa dissolvere possit matrimonium in infidelitate contractum?*

3.° *An coniuges infideles, in secundo vel inferiori gradu consanguinitatis coniuncti, dispensatione indigeant, si ad fidem convertantur?*

4.° *Quid vero, si haeretici cum impedimento dirimente iuris ecclesiastici contrahant, et ad veram fidem convertantur?*

5.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

958. — *R. ad* 1m *Quaes.* Consanguinitas certo dirimit matrimonium de iure naturali in primo gradu lineae rectae, tum ob reverentiam a filiis in genitores essentialiter debitam, tum ob inaequalitatem inter eosdem necessario servandam, et quae per mutuum coniugii usum destrueretur. *Probabilius* etiam dirimit in ceteris gradibus eiusdem lineae. Quoad lineam autem collateralem, *controvertitur* utrum consanguinitas matrimonium dirimat de iure naturae, vel de iure ecclesiastico tantum, in *primo gradu,* seu inter fratrem et sororem. In ceteris gradibus eiusdem lineae certo dirimit tantum de iure ecclesiastico, ut patet ex praxi Ecclesiae, quae frequenter in iis dispensat. **Comp.,** n. 1032.

959. — *R. ad* 2m *Quaes.* Papa non potest quidem dissolvere matrimonium infidelium ante eorum conversionem, licet consummatum non fuerit, quia infideles ipsi non subiacent; sed absolute de gravissima causa dissolvere potest matrimonium eorum qui ad fidem conversi sunt, si, post baptismum **utriusque,** matrimonium non consummaverint. Matrimonium enim illud est ad instar matrimonii rati fidelium. Secus vero, si post baptismum **utriusque** consummatum fuerit. *S. Alph.,* n. 956, post Bened. XIV. — V. **Comp.,** n. 1112, q. 4.°

960. — *R. ad* 3m *Quaes. Nego.* Ratio est, quia infideles non subiiciuntur legibus Ecclesiae, cum eius subditi non sint; ergo infideles valide matrimonium contrahunt, non obstante impedimento de iure ecclesiastico; ergo, si convertantur ad fidem, non indigent dispensa-

tione. Dispensatio enim non requireretur, nisi ad matrimonium revalidandum: atqui matrimonium infidelium est ab initio validum, non obstante impedimento Ecclesiae, et est indissolubile; ergo non indiget revalidatione; ergo neque coniuges indigent dispensatione. *S. Alph.*, n. 981; *Lacroix*, n. 612.

961. — *R. ad* 4m *Quaes.* Isti sponsi invalide contrahunt, et debent ad dispensationem pontificiam recurrere. Ratio est, quia haeretici sunt subditi Ecclesiae, licet rebelles; ergo Ecclesiae legibus ligantur. *Pontas*, v. Impediment. consanguinit., cas. 4; *Collet*, Tr. de dispensationibus, l. 1, c. 3. Vide dicenda infra, n. 1017 et seq.

962. — *R. ad* 5m *Quaes.*, seu quid ad casum? Missionarius, relictis aliorum sententiis, duos coniuges praedictos in bona pace relinquere debet, quia sunt coniuncti vero et valido matrimonio, neque ulla dispensatione indigent, ut supra dictum est. Quid vero, si in primo gradu consanguinitatis versarentur? Standum esset pro valore matrimonii, cum de eius invaliditate non certo constaret, siquidem controvertitur utrum consanguinitas in primo gradu lineae transversae dirimat matrimonium de iure *naturali*, necne. Valet enim hic applicatio axiomatis: *Post factum, in dubio standum est pro valore actus. Elbel*, n. 145.

CASUS XIII

MULIER EIUSDEM VIRI SOROR, FILIA, UXOR!!!

LUDIMILLA, nobilis vidua, foedo amore IULII proprii filii capta, detegit hunc cubile ancillae noctu inire. Tum putidum illa propositum efformat. Ancilla in alium locum sub praetextu quodam missa, in eius cubili se collocat. IULIUS, de matre nihil suspicans, ad famulae lectum statuta hora accedit, et cum matre horrendum, inscius, patrat incestum. Inde LUDIMILLA efficitur gravida. Interea filius in longinquas terras divertit, atque illic, negotiandi causa, annis quindecim commoratur. Dum IULIUS abest, LUDIMILLA secreto parit filiam, quam nutrici educandam tradit, et postea ut prolem derelictam recipit, domique alit. Domum revertitur IULIUS; puellam iam nubilem cernens, eam adamare incipit. E matre sciscitatur quaenam et unde sit? Respondet mater infantem esse miserrima conditione, ac pietatis causa se illius curam suscepisse. Filius, crescente in dies suo erga eam amore, matri denuntiat se eam velle in uxorem ducere. Pernegat mater, ex eo quod huiusmodi coniunctio totam familiam dedecoraret, cum virgo nullis dotibus nullaque nobilitate clara esset. Incassum haec IULIO obtruduntur, et, invita matre, puellam sibi, matrimonio rite celebrato, copulavit. Nupsit igitur verus ac naturalis pater, germanusque frater, suae filiae et germanae sorori. Per multos annos susceptis liberis coniunctissime vivunt. Mater autem, huius incestuosi coniugii conscia, cum

diu conscientiae stimulos ferre non posset, rem totam confessario pandit, atque ab eo postulat quid sit faciendum?

HINC:

QUAER. 1.° *An dispensatio a Papa possit obtineri?*
2.° *An monendi coniuges, ut ab invicem separentur, vel quid in specie facti agendum sit?*

SOLUTIO:

963. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* Papa enim dispensare tantum potest in impedimentis, quae sunt de iure ecclesiastico. Hic autem habetur impedimentum, saltem unum, dirimens de iure *naturali,* scilicet, impedimentum *in primo gradu lineae rectae,* seu *inter patrem et filiam,* cum IULIUS uxoris suae proprius pater fuerit; ergo a potestate ecclesiastica dispensari nequit. Dixi *adesse impedimentum dirimens de iure naturali;* nam adiici posset aliud, iuxta multos theologos, scilicet, impedimentum consanguinitatis *in primo gradu lineae collateralis,* seu *inter fratrem et sororem,* cum IULIUS etiam germanus frater fuerit puellae quam duxit, quippe quae ab eadem matre enata est. Sed *controvertitur* inter theologos, utrum ille gradus primus lineae transversae de iure *naturali,* aut de iure *ecclesiastico* tantum dirimat. **Comp.,** n. 1113.

964. — *R. ad* 2m *Quaes.* Coniuges non sunt monendi de matrimonii invaliditate, sed in bona fide relinquendi. Ratio est, quia omissio monitionis ex una parte non nocet neque coniugibus neque proli, et ex alia parte maxima incommoda ex monitione sequerentur. 1.° Omissio monitionis non nocet coniugibus, quippe qui optima fide copulati sunt, et nunc ignorantia invincibili laborant, et ea semper laboraturi sunt circa matrimonii sui invaliditatem; proinde peccato formali in usu coniugii carebunt. 2.° Neque nocet proli; quia proles ob eamdem bonam fidem, tum de iure civili, tum de iure ecclesiastico ut legitima habetur, nec proinde ullum detrimentum ex sua illegitimitate patitur. 3.° Maxima incommoda ex monitione sequerentur, scilicet, horrenda scandala, odia intestina, familiae dissensiones, coniugum reciproca abominatio, prolium infelicitas, etc. Insuper coniuges matri, unico testi, propriam turpitudinem revelanti, fidem praestare non tenerentur. Sed neque ipsa mater infandum crimen patefacere obliganda foret, ut peccata mere materialia filiorum conaretur impedire; ergo, omnibus hinc et inde perpensis, multo magis praestat, ut putatitii coniuges in bona fide relinquantur. *Comitolus,* lib. 1, q. 112.

* CASUS XIV

COGNATIO SPIRITUALIS 1.°

1.° SILVERIUS, coniugatus, adulterio cum LUCIA ancilla sua patrato, prolem ex crimine natam, timore infamiae clam baptizat, et ad fores nosocomii exponit. Mortua autem uxore, matrimonio LUCIAM sibi ducit in uxorem.

2.° VITALIS proprium filium, quem habuit ex BERTHA uxore sua, baptizat in casu necessitatis. Propterea a confessario prohibetur ne matrimonio cum uxore utatur, donec ab impedimento cognationis spiritualis dispensetur.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo contrahatur cognatio spiritualis?*
2.° *An in casibus propositis contracta fuerit?*

SOLUTIO:

965. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, quae ex baptismo, sive sollemni, sive privato (cfr. can. 762, § 2), orta est, idque inter baptizantem et baptizatum, patrinum et filiolum (can. 1079, 768). — Unde in nova disciplina abrogatum est impedimentum cognationis spiritualis, quod oriebatur ex administratione et susceptione *confirmationis*. Item illud inter ministrum vel patrinum baptismi et *genitores* baptizati (1). — V. **Comp.,** n. 1045. Vide supra, n. 235.

966. — *R. ad* 2^m *Quaes. In primo casu,* invalidum est matrimonium inter SILVERIUM et LUCIAM ancillam, si contractum fuit ante Codicem. Etenim SILVERIUS, suam prolem spuriam ex ancilla habitam baptizando, cognationem spiritualem cum eadem ancilla, matre prolis, contraxit; ergo eamdem in uxorem ducere nequit, siquidem cognatio spiritualis impedimentum dirimens tunc constituebat. Nec obstat quod SILVERIUS timore infamiae egerit, prolem baptizando, quia incommodum illud a lege irritante Ecclesiae excusare nequit. *Elbel,* n. 150. Ut nunc convalidetur, satis erit renovare consensum, quia impedimentum cessavit. — Validum erit matrimonium, si initum fuerit post Codicem. Vide dicta supra, n. 926. **Comp.,** nn. 1037, 1045.

In secundo casu, VITALIS non amisit ius utendi matrimonio neque ante Codicem. Ratio est, quia amissio illius iuris inter coniuges erat poena; poena autem sine culpa infligi nequit. Porro VITALIS nullam

(1) Ex confirmatione cognatio oritur tantum inter confirmatum et patrinum (can. 797), sed nullum constituit impedimentum pro matrimonio. Ex ea solum oritur obligatio patrini perpetuo habendi confirmatum sibi commendatum eiusque christianam educationem curandi (ibid.).

culpam commisit, providendo aeternae saluti prolis suae; ergo usus matrimonii non erat ei interdicendus. *Reuter,* n. 340; *S. Alph.,* De baptismo, n. 150. Immo multi censebant, teste *Lacroix,* lib. 6, n. 358, coniuges etiam extra necessitatem prolem suam baptizantes, non privari usu matrimonii, quia hoc nullibi in iure clare expressum inveniebatur. Hoc *probabile* dicit *Laymann.*

Igitur *in praxi* nunquam tenebantur coniuges, propter baptismum filii legitimi, abstinere a petendo debito. *Deshayes,* Memento iur. eccles., n. 1461; *Gasparri,* l. c., n. 743.—V. **Comp.,** n. 1046.

A fortiori post Codicem tale ius non amittunt, cum inter ipsos nulla in casu cognatio oriatur. **Comp.,** n. 1045.

N. B. Nunquam hactenus dispensatum fuerat in foro externo impedimentum cognationis spiritualis inter baptizantem et baptizatum. Recentissimis temporibus aliqua dispensatio concessa fuit, in circumstantiis valde extraordinariis. Cfr. *Ferreres,* La Curia Romana, n. 406 seq.; *Collect. de P. F.,* n. 1490, ed. 1.ª, 1392, vol. 2, pag. 59, in ed. 2.ª; *Razón y Fe,* vol. 10, pag. 250. — S. Off., 3 dec. 1902, declaravit eos, quibus in formulis conceditur facultas dispensandi super impedimento *cognationis spiritualis,* non posse dispensare inter baptizantem et baptizatum; sanavitque illa die Leo XIII *in radice* si quae matrimonia contracta sint ex dispensatione vi earumdem formularum concessa.

Nihilominus Codex, can. 1042, 4.°, nulla facta distinctione, cognationem spiritualem recenset inter impedimenta gradus *minoris,* quae sunt facilioris dispensationis.

* CASUS XV

COGNATIO SPIRITUALIS 2.°

1.° COLUMBA, puella, e sacro baptismatis fonte a TITIO levatur nomine LUCIANI pueri quinquennis. LUCIANUS autem adolescens factus, COLUMBAM ducere statuit, ratus se nullam cum ea contraxisse cognationem, tum quia ipse infantem per se non levavit, tum quia ob aetatis defectum non potuit patrinus esse.

2.° BERTHINA, puella, dum nasceretur, et solum protenderet brachium, propter instans vitae periculum, in hac parte visibili aqua baptismali abluitur. Feliciter nata, in ecclesia denuo sub conditione sollemniter baptizatur. NILUS autem, eius patrinus in utroque baptismo, BERTHINAM ducere sibi proponit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* LUCIANUS COLUMBAM *ducere possit?*
2.° *An* NILUS *matrimonium cum* BERTHA *inire valeat?*
3.° *Quid si* NILUS *in uno tantum baptismo patrinus fuerit?*

SOLUTIO:

967. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Ratio est, quia non sufficit ad cognationem contrahendam ut infans nomine alicuius, ipso inscio, e sacro fonte levetur; sed requiritur ut hic habeat usum rationis et animum gerendi munus patrini (can. 765, 1.°). Porro in casu, LUCIANUS quinquennis non praesumitur hanc habuisse intentionem, nec usum rationis. Adde quod haec intentio a parentibus suppleri non potuit; ergo LUCIANUS non fuit vere patrinus; ergo non contraxit cognationem spiritualem cum COLUMBA; ergo eam ducere potest. Non valet autem ratio altera a LUCIANO allata, scilicet, quod ille personaliter munus patrini non egerit, nam, si usu rationis praeditus fuisset, satis erat quod alterum nomine suo constitueret ad locum eius supplendum, ut patet ex eodem canone 765, 5.° Cfr. *Elbel,* n. 148. **Comp.,** n. 332.

968. — *R. ad* 2m *Quaes.* NILUS BERTHINAM ducere nequit. Ratio est, quia cum NILUS, in utroque baptismo fuerit patrinus, contraxit cognationem spiritualem. Cum autem haec dirimat matrimonium inter patrinum et filiolam, sequitur quod in hoc casu patrinus, seu NILUS, BERTHINAM ducere non possit ob impedimentum cognationis spiritualis.

R. ad 3m *Quaes.* Tunc nullam contraxisset cognationem.—Utrumque constat ex can. 763: «Si baptismus iteratur sub conditione, idem patrinus, quatenus fieri possit, adhibeatur, qui in priore baptismo forte adfuit; extra hunc casum in baptismo conditionato patrinus non est necessarius. — Iterato baptismo sub conditione, neque patrinus qui priori baptismo adfuit, neque posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem patrinus in utroque baptismo adhibitus fuerit». Vide dicta supra, n. 230 seq.

* CASUS XVI

AFFINITAS 1.°

ALBINUS, matrimonio cum BLANDINA contracto, statim viduus effectus est, quin matrimonium consummaret. Mox CATHARINAM duxit, quae BLANDINAE consanguinea est in secundo gradu.

CATHARINA vero mortua, ducit AGATHAM, consanguineam in secundo gradu cum CATHARINA, et cum BLANDINA in secundo tertium attingente.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo contrahatur impedimentum affinitatis?*
2.° *An validum fuerit secundum et tertium* ALBINI *coniugium?*
3.° *Quid vero, si* ALBINUS *nullum matrimonium consummasset?*

SOLUTIO:

969.—*R. ad* 1m *Quaes.* «*Affinitas* oritur ex *matrimonio valido,* sive rato tantum sive rato et consummato» (can. 97, § 1).—«Viget *tantum* inter virum et mulieris consanguineos et inter mulierem et viri consanguineos» (ibid., § 2).—Affinitatis *gradus* «ita computantur, ut, qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa» (ibid., § 3).—«Affinitas in linea *recta* dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea *collaterali* usque *ad secundum gradum* inclusive» (can. 1077, § 1). — Igitur affinitas *in linea collaterali* solum dirimit matrimonium: *a)* inter contrahentem et *fratres defuncti coniugis* illorumque filios; *b)* inter contrahentem et *fratres patrum defuncti coniugis* illorumque filios. V. **Comp.**, nn. 1036, 1037.

970.—*R. ad* 2m *Quaes.* 1.° *Neg.,* quoad secundum matrimonium, propter impedimentum affinitatis in secundo gradu, etsi matrimonium cum BLANDINA consummatum non fuerit. **Comp.,** n. 1036 seq.

971. — 2.° Tertium vero ALBINI matrimonium invalidum est. Etenim ALBINUS per matrimonium cum CATHARINA contraxit affinitatem cum omnibus consanguineis uxoris; affinitas autem ex matrimonio dirimit ad 2m gradum; ergo dirimit matrimonium ALBINI cum AGATHA, siquidem haec fuit consanguinea in secundo gradu cum BLANDINA, uxore prima ALBINI. Validum tamen esset matrimonium, si nihil obstaret nisi consanguinitas AGATHAE cum BLANDINA, quia ex ea oritur tantum affinitas in tertio gradu.

972. — *R. ad* 3m *Quaes.* Affinitas oriretur eodem modo.

* CASUS XVII

AFFINITAS 2.°

1.° PAULUS uxorem habet BERTHAM, et PAULINUS BERTHINAM, sororem PAULI. Moritur PAULUS simul cum BERTHINA. Vidui superstites, solatii causa, nuptias inter se ineunt.

2.° GASPARUS matrimonium contrahit cum ANGELA. GASPARINUS, GASPARI frater, interveniendo nuptiis, amore capitur ANGELINAE, ANGELAE sorore, eique paulo post nuptiarum foedere iungitur. Anxius autem postea de matrimonii sui valore dubitat.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid de duplici matrimonio* PAULINI *in primo casu?*

2.° *An valide contraxerit* GASPARINUS *in secundo casu; et an pater et filius ducere possint simul matrem et filiam: aut filius matrem, pater vero filiam?*

SOLUTIO:

973. — *R. ad* 1m *Quaes.* Valet absque dubio matrimonium viduorum, seu PAULINI cum BERTHA; nullum enim obstat impedimentum affinitatis. Nam nova uxor BERTHA non erat BERTHINAE, prioris sponsae PAULINI, consanguinea; ergo PAULINUS non fuit cum ea affinis; ergo nullo laborat impedimento. Nec refert quod PAULINUS affinis fuerit PAULO, utpote maritus sororis PAULI, nam affinitas non parit affinitatem.

974. — *R. ad* 2m *Quaes.* Valet matrimonium GASPARINI cum ANGELINA contractus, quia nullum est impedimentum affinitatis; etenim GASPARUS quidem matrimonium ineundo, affinitatem contraxit cum omnibus consanguineis ANGELAE, uxoris suae, et consequenter cum ANGELINA, ANGELAE sorore. Sed ipse GASPARINUS, GASPARI frater, nullam contraxit affinitatem cum ANGELINA. Affinitas enim non parit affinitatem. Nam ad affinitatem contrahendam, intercedere debet matrimonium validum, per quod fit affinis consanguineis alterius, quocum matrimonium contraxit. Atqui in casu nullum intercessit matrimonium, neque ex parte GASPARINI neque ex parte ANGELINAE cum aliquo consanguineo alterutrius; ergo nullam contraxerunt affinitatem; ergo valet eorum matrimonium; ergo duo fratres ducere possunt duas sorores; ergo pater et filius ducere possunt matrem et filiam, vel pater filiam et filius matrem.

* CASUS XVIII

HONESTAS 1.°

1.° KILIANUS ROSALIAM duxit territus minis sui patris, quo metu probato, nullum fuit eius matrimonium declaratum. Postea duxit in uxorem NATALIAM, ROSALIAE filiam.

2.° DANIEL cum EULALIA in concubinatu vixit in quadam remota regione, ita ut ab omnibus haberentur uti veri coniuges. Nunc in aliam regionem se transtulit, et cum ANNA, filia EULALIAE, matrimonium contraxit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo contrahatur honestatis impedimentum?*
2.° *An validum fuerit matrimonium* KILIANI *cum* ROSALIA *in primo casu?*
3.° *An validum fuerit matrimonium* DANIELIS *cum* ANNA *in secundo casu; vel quid ipsi fuisset faciendum?*

SOLUTIO:

975. — *R. ad* 1m *Quaes.* Impedimentum publicae honestatis oritur ex *matrimonio invalido,* sive consummato, sive non, et ex *publico*

vel notorio concubinatu (can. 1078). Nuptias dirimit in *primo* et *secundo* gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa (ibid.).

1.° Igitur consequenter cum abrogatione sponsalium pro foro externo quoad actionem reclamandi matrimonii celebrationem abrogatum est in nova disciplina impedimentum *publicae honestatis,* quod ex *sponsalibus* oriebatur. — 2.° Publica honestas orta ex matrimonio, quae antea extendebatur usque *ad quartum* gradum lineae, sive rectae, sive collateralis, etiam ex matrimonio *valido,* restricta est ad solum *primum* et *secundum* lineae *rectae* gradum in matrimonio *invalido*, et penitus abrogatur illa quae ex valido oriebatur. V. **Comp.,** nn. 1041-1043.

976. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Matrimonium KILIANI cum NATALIA non constat an validum fuerit aut nullum, quia matrimonium ipsius cum ROSALIA fuit nullum ex defectu consensus, et res dubia est an in hoc casu oriatur ex illo impedimentum honestatis publicae. Potius negandum videtur, sicut ante Codicem. Cfr. *Ferreres,* Derecho sacramental, n. 63, et **Comp.,** n. 1043.

977. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Matrimonium DANIELIS cum ANNA celebratum etiam dubium est, quia concubinatus DANIELIS cum EULALIA, uti talis non fuit notorius. Cfr. *Ferreres,* ll. cc.

* CASUS XIX

HONESTAS 2.°

PETRUS et AMELIA, catholici, matrimonium civile, non vero canonicum, contraxerunt. Mortuo PETRO quin matrimonium potuerit consummare, AMELIA cum IOANNE, illius patre, nubere properat.

HINC:

QUAER. 1.° *An valeat huiusmodi matrimonium?*
2.° *Quid si matrimonium consummasset* PETRUS?

SOLUTIO:

978-980. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Saltem *probabiliter,* valet matrimonium initum inter AMELIAM et IOANNEM. Ratio est, quia impedimentum publicae honestatis *probabiliter* non oritur ex matrimonio civili, nisi constituat concubinatum publicum et notorium, quod in casu non habetur. V. **Comp.,** n. 1043.

R. ad 2^m *Quaes.* Solutio anterior non immutatur, quia ex consummatione non oritur affinitas, et quoad impedimentum honestatis valent ea quae ad 1^m quaesitum sunt dicta.

* CASUS XX

CRIMEN 1.°

MARTIALIS, aegrotante graviter uxore, adulterium adiuncta matrimonii promissione, commisit cum FLORINA, quae, vinculi complicis ignara, promissionem acceptare videtur, quin tamen repromittat. Mortua autem uxore, initoque promisso matrimonio, MARTIALIS novum patrat adulterium cum MOEVIA. Sed cum hanc mox gravidam evasisse comperisset, novam uxorem, propinato veneno, interimit, ut posteriori adulterae copulari, famamque servare possit.

HINC:

QUAER. 1.° *In quo consistat criminis impedimentum?*
2.° *An valeat matrimonium* MARTIALIS *sive cum* FLORINA, *sive cum* MOEVIA?

SOLUTIO:

981. — *R. ad* 1m *Quaes.* Impedimentum criminis oritur ex adulterio, vel ex homicidio, vel ex utroque simul coniuncto, sequentibus positis conditionibus:

1.° Adulterium solum, sed ex utraque parte formale, et cum promissione matrimonii acceptata. Immo *probabiliter* requiritur repromissio.

2.° Homicidium solum, i. e., mors *veri* coniugis realiter secuta, ex communi conspiratione cum intentione (saltem ab uno habita et manifestata alteri ad minus per indicia quaedam) matrimonii cum *complice* contrahendi.

3.° Utrumque simul, cum intentione matrimonii ab uno saltem habita, et etiam *probabiliter* alteri manifestata. Sed non requiritur matrimonii promissio, neque mutua conspiratio. Cfr. can. 1075. — V. **Comp.**, n. 1022.

982. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Validum est matrimonium MARTIALIS cum FLORINA, quia haec, nesciens hominem esse vinculo coniugii ligatum, non commisit adulterium *formale,* sed materiale tantum. Requiritur enim ad impedimentum contrahendum, ut adulterium sit ex utraque parte formale. Etiam ex alio capite nullum *probabiliter* esset impedimentum, sc., quia deest *repromissio.*

983. — 2.° Validum quoque *probabiliter* est posterius matrimonium eiusdem MARTIALIS cum MOEVIA initum, siquidem nullum appareret impedimentum. Etenim non datur impedimentum ex adulterio solo, quia deest promissio matrimonii; neque ex homicidio solo, quia deest mutua conspiratio; neque ex utroque simul, quia MARTIALIS intentionem matrimonii complici suae non manifestavit; haec enim manifestatio *probabiliter* requiritur. *S. Alph.,* n. 1036.

CASUS XXI

CRIMEN 2.°

1.° LEONILLA mariti sui, longaevi nimis et infirmitatibus obruti, pertaesa, cum frustra, ut e vivis tandem abiret, centies vota emisisset, quadam die, in cubiculo suo clausa, sciensque se a famulo suo audiri posse, sic alta voce ingemiscit: O bone Deus! si tandem a tam dira peste liberari possem, quam libenter, loco sordidi istius senis, iuveni famulo meo nuberem!... Haec audiens famulus, spe matrimonii impulsus, impiger ad senis lectulum pergens, misero ad citius moriendum praebet auxilium. Transacto autem luctus tempore, dominam ducit.

2.° ANNA, coniugata, peccat pluries cum famulo suo, cum mutua promissione matrimonii acceptata. Ecce aegrotat maritus. Famulus, inscia ANNA, poculum venenatum porrigit seni. Hinc infra quadrantem exstinguitur, et famulus matrimonio cum ANNA copulatur.

HINC:

QUAER. 1.° *An valeat matrimonium* LEONILLAE *cum famulo in primo casu?*

2.° *An* ANNA *duplici impedimento obstringatur in secundo casu?*

SOLUTIO:

984. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Valet matrimonium LEONILLAE cum famulo initum. Ratio est, quia deest machinatio mortis, seu reciprocus consensus in necem miserandi senis. Licet enim LEONILLA in hunc querimonias protulerit, audiente famulo, et intentionem matrimonii ei manifestaverit, attamen non intercessit mutua conventio in mortem mariti; et reapse famulus, inscia domina, hominem occidit; ergo nullum impedimentum, ratione homicidii, contractum est; ergo valet matrimonium inter LEONILLAM et famulum celebratum.

985.—*R. ad* 2^m *Quaes. Affirm.*, sc., impedimento tum *adulterii,* tum *utriusque simul.* Cfr. *Gasparri,* l. c., n. 651. — V. **Comp.**, nn. 1022, 1025. — Nullum autem intercedit impedimentum quoad homicidium. Ratio est, quia ANNA plane ignoravit famulum homicidium in suum maritum patraturum esse; ergo defuit mutua conspiratio in necem mariti. Matrimonium tamen irritum omnino est ob duplex illud impedimentum, saltem nisi *ob ignorantiam* excusentur coniuges ab impedimento incurrendo. V. **Comp.**, nn. 993 et 1026, *N. B.* 1.°

* CASUS XXII

CRIMEN 3.°

DONATUS MELANIAM coniugatam, ficta matrimonii promissione, in adulterium induxit. Moritur MELANIAE maritus, eam bonorum suorum heredem relinquens. DONATUS vero, ut illas divitias consequeretur, promissas nuptias cum vidua celebravit, sobolemque suscepit. Verum mox, ob gravissima dissidia, uxorem deserit, et audiens de criminis impedimento, a confessario petit utrum illud incurrerit, et ad alias nuptias convolare possit? Respondet confessarius eum non incurrisse impedimentum, ex eo quod illud ignoraverit; ideoque ipsi in coniugio perseverandum, et molestias uxoris patienter tolerandas esse. Sed postea ipse confessarius dubitat anxius utrum recte dixerit.

HINC:

QUAER. 1.° *An fuerit criminis impedimentum in casu?*
2.° *An recte dixerit confessarius impedimentum illud ob ignorantiam non fuisse contractum?*

SOLUTIO:

986. — *R. ad* 1m *Quaes.* Validum est matrimonium a DONATO et MELANIA contractum. Ratio est, quia DONATUS ficte tantum nuptias MELANIAE promisit. Promissio autem ficta non est vera promissio; ergo deest conditio requisita ad impedimentum constituendum; ergo nihil obstat valori matrimonii. Etenim ius requirens promissionem matrimonii ut impedimentum contrahatur, de vera promissione, non vero de ficta intelligi debet; siquidem hic agitur de materia odiosa, in qua stricta interpretatio facienda est. Nec obstat quod lex intendat impedire periculum mortis alterius coniugis, et quod promissio ficta inducere possit partem deceptam ad mortem coniugis procurandam; nam finis praecepti non cadit sub praecepto, et lex strictae interpretationis esse debet. *S. Alph.*, n. 1039; *Elbel,* n. 175; *Lacroix,* n. 625, *et alii* contra *alios*. V. **Comp.**, n. 1022.

987. — *R. ad* 2m *Quaes. Probabiliter* recte dixit. Ita *Ball.-P.*, vol. 6, n. 693; *Gasparri,* n. 658; *Buccer.*, n. 1021, nota 2; *D'Annibale,* 3, n. 442, et plures alii. V. **Comp.,** nn. 993 et 1026.

CASUS XXIII

CRIMEN 4.°

1.° EVRALDUS, coniugatus, ignorans IULIAM esse coniugatam, in crimen eam adducit, cum matrimonii promissione, si a praesente vinculo ipse solvatur. Annuit ad omnia mulier. Paulo post tum EVRALDUS, tum IULIA eodem fere tempore comparte destituuntur et ambo novo matrimonii vinculo simul copulantur.

2.° LEOFRIDUS, liber, sollicitans TARSILIAM, PAULINO coniugatam, ad crimen patrandum, ei matrimonium promisit, si vir eius moreretur. TARSILIA sollicitationi quidem acquievit, sed nihil repromisit, seu de cetero tacuit. Mortuo PAULINO, matrimonium subsecutum est.

HINC:

QUAER. 1.° *An sit impedimentum in primo casu?*
2.° *Quid de valore matrimonii in secundo casu?*

SOLUTIO:

988.—*R. ad* 1^m *Quaes.* Datur verum criminis impedimentum. Ratio est, quia ad impedimentum criminis requiritur adulterium formale cum matrimonii promissione acceptata: atqui hae conditiones in nostro casu habentur; ergo... Nec obstat quod EVRALDUS ignoraverit IULIAM esse coniugatam; nam minime requiritur ut uterque adulter alterius coniugium cognoscat, et proinde ut uterque sciat se duplex patrare adulterium; sed sufficit ut mulier sciat virum esse coniugatum, aut vice versa, et copula habeatur inter eos cum promissione matrimonii acceptata. Tunc enim concurrunt adulterium formale et promissio matrimonii, ex quibus criminis impedimentum exsurgit; ergo in casu satis est quod IULIA ligamen EVRALDI noverit; ergo reapse invalide isti matrimonium contraxerunt.

989. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Valet matrimonium inter LEOFRIDUM et TARSILIAM contractum; nullum enim fuit criminis impedimentum. Ratio est, quia adulterium solum non inducit impedimentum criminis, nisi accedat non tantum promissio matrimonii, sed etiam acceptatio proprie dicta; promissio enim in contractu non valet sine acceptatione: atqui in casu non habetur talis acceptatio, cum TARSILIA, concedendo usum corporis, de nuptiis futuris tacuerit; ergo nullum datur impedimentum.

990. — *Obiicies:* TARSILIA non contradixit promissioni; ergo censenda est acceptasse; *qui enim tacet, consentire videtur.*

Resp. Neg. conseq. Licet enim in favorabilibus valeat axioma: *Qui tacet, consentire videtur;* non tamen idem praesumitur in onerosis ut est matrimonium, nec in odiosis ut est res quae post se trahit impedimentum criminis; ergo, ex taciturnitate, TARSILIA praesumi non

debet acceptasse promissum, sed potius ex motivo libidinis explendae, vel ex alia causa, consensisse in copulam. *Elbel,* n. 165; *Bonacina, et alii non pauci,* contra *alios.*

CASUS XXIV

CRIMEN 5.°

1.° CHRYSANTUS promisit FLAVIAE coniugatae, se eam ducturum esse post viri mortem. Postea amore RUFINAE captus, eam duxit uxorem. Stante autem hoc matrimonio, CHRYSANTUS in adulterium cum FLAVIA, lapsus est. Subinde contigit ut CHRYSANTUS, simul fere ac FLAVIA, coniuge suo orbaretur. Tunc luctum in gaudium novi coniugii commutarunt.

2.° ROMILIUS, liber, adulterio cum BERTHA, uxore TITII, patrato, amore PELAGIAE captus, cum ea nuptias inivit. Verum, cum ei mox exosa evaserit, matrimonium promittit BERTHAE, post TITII et PELAGIAE mortem contrahendum, quod tempore suo praestiterunt.

HINC:

QUAER. 1.° *An* CHRYSANTUS et FLAVIA *valide contraxerint in primo casu?*

2.° *An valeat matrimonium* ROMILII et BERTHAE *in secundo casu?*

SOLUTIO:

991. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirm.* Nullum enim subest criminis impedimentum. Ratio est, quia, ut istud impedimentum inducatur, debent simul concurrere tum adulterium, tum matrimonii promissio: atqui in casu hoc non adimpletur. Etenim promissio a CHRYSANTO erga FLAVIAM facta, ante adulterium retractata fuit, saltem implicite, per matrimonium cum RUFINA contractum, post promissionem FLAVIAE factam, et ante adulterium patratum; ergo non steterunt simul unquam promissio et adulterium; ergo nullum subest criminis impedimentum; ergo stat matrimonium. V. **Comp.,** n. 1022.

992. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Non valet hoc matrimonium, quia obstat criminis impedimentum. Etenim ad istud impedimentum inducendum sufficit ut concurrant adulterium et promissio matrimonii stante eodem coniugio. Atqui in casu nostro haec duo concurrunt. Fuit enim adulterium formale, quod per coniugium cum PELAGIA non sublatum est. Adfuit etiam matrimonii promissio, quae nullo modo retractata est, ne implicite quidem, et quae sufficit ad impedimentum inducendum, sive adulterium praecedat, sive subsequatur; ergo...

CASUS XXV

METUS 1.°

RUFINUS, sibi proponebat nuptias inire cum GETULIA, puella praeclaris dotibus exornata. RUFUS vero, eius pater, re cognita, mandat ut, posthabita GETULIA, filius ducat LAURENTIAM, maioribus divitiis abundantem. Patri significat RUFINUS non sibi placere LAURENTIAM nec se unquam matrimonio cum ea contrahendo consensurum esse. Tum, ira excandescens RUFUS, minis et saevitiis diu repetitis, filium ad suae voluntati obtemperandum impellit. RUFINUS, indole timidus, tot malis fractus, ac graviora metuens, invitus et reluctans patri acquiescit, matrimoniumque cum LAURENTIA perficit.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis metus matrimonium dirimat?*
2.° *An validum sit* RUFINI *matrimonium?*
3.° *Quid ei suadendum, aut praecipiendum?*

SOLUTIO:

993. — *R. ad* 1m *Quaes.* Invalidum est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium (can. 1087, § 1). — Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert (ibid., § 2). — Non constat, utrum *metus gravis* dirimat matrimonium etiam ex iure naturae; ideoque non constat, utrum validum sit, an nullum matrimonium initum sub metu gravi inter infideles. V. **Comp.**, n. 1068.

994. — *R. ad* 2m *Quaes.* Matrimonium RUFINI ut *invalidum* prorsus habendum est. Ratio est, quia metus a patre in filium incussus gaudet omnibus conditionibus requisitis ad impedimentum dirimens constituendum. Etenim: 1.° fuit gravis, cum minae et saevitiae diu repetitae adhibitae fuerint; 2.° incussus est a causa extrinseca, seu a RUFO, RUFINI genitore; 3.° metus fuit iniustus, siquidem laesit graviter ius quod habent filii de statu vitae libere eligendo; 4.° metus fuit incussus ad cogendum filium, ut duceret puellam a qua abhorrebat; ergo reapse irritum est connubium illud. *S. Alph.*, n. 1049; *Sánchez, Conc.*, etc.

995. — *R. ad* 3m *Quaes.* Quid vero RUFINO agendum? Quoad forum internum, suae libertati relinquendus est. Si consensum primo metu extortum renovare, *cessante metu,* sponte velit, sic matrimonium convalidabit, supplendo scilicet quod in celebratione nuptiarum defuit et erat essentialiter requisitum. Si matrimonium sponte consummet, implicite consensum ratum habere, et consequenter connu-

bium convalidare censetur. Quod si nolit matrimonium convalidare, abstinere se debet a debito tum petendo tum reddendo, et apud Ordinarium instituere causam nullitatis matrimonii ex capite *vis et metus*.

* CASUS XXVI

METUS 2.°

LEONARDUS, castitatis voto iampridem emisso, VERONICAM sub matrimonii promissione defloravit. Postea vero promissis stare noluit, voti impedimentum adducens. ALBERICUS, VERONICAE frater, studio theologiae addictus, declaravit LEONARDUM in his adiunctis obligari ad dispensationem voti postulandam, immo et licitum esse nuptias absque dispensatione celebrare, cessante tunc voti lege. Alii duo VERONICAE fratres, rerum theologicarum ignari, alio argumentorum genere utebantur, minis nempe gravissimis, ni quantocius LEONARDUS sororem suam duceret. Quid tunc miser? Ut maiora mala vitaret, matrimonium cum VERONICA celebravit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* LEONARDUS, *non obstante voto, ad nuptias cum* VERONICA *ineundas obligatus fuerit?*
2.° *An sine dispensatione voti contrahere potuerit?*
3.° *An validum fuerit matrimonium, vel quid agendum?*

SOLUTIO:

996. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm. ex communissima* sententia: non vi promissionis *sponsalitiae,* quae stante voto nulla est, utpote de re illicita; sed quidem vi contractus innominati *facio ut facias,* qui impleta conditione turpi validus est: vel saltem vi *damnificationis iniustae.* Tenetur igitur LEONARDUS ex *iustitia* ducere VERONICAM. Nec obstat votum castitatis a LEONARDO antea emisssum: fortior enim est obligatio *iustitiae* erga VERONICAM, quam obligatio fidelitatis ex voto proveniens. Haec tamen voti obligatio non aufertur, sed tantum suspenditur; unde mortua VERONICA, illa obligatio revivisceret. *S. Alph.,* n. 874; *Buccer.,* Inst. Th. mor., 2, n. 920; *Génicot,* Casus, tr. 18, cap. 1, cas. 6; *Casus Romae ad S. Apollin.,* pag. 304 seq.; *Lehmk.,* Casus, n. 833 seq.

Sententia tamen, quae docet huiusmodi contractum sub conditione turpi nullum esse, non videtur improbabilis. Quare iuxta hanc sententiam LEORNARDUS non esset absolute cogendus ad matrimonium ineundum; sed tantum ad *damna illata reparanda;* v. gr. augendo dotem. V. **Comp.,** vol. 1, n. 866.

997. — *R. ad* 2m *Quaes. Affirm.,* saltem probabiliter, quia tunc

suspenditur obligatio voti. *Tamb.,* Dec., l. 5, n. 36; *Sporer,* De matr., c. 3, n. 601. Sed quia, contracto matrimonio, vir teneretur quidem *reddere* sed non posset *petere* debitum absque dispensatione, ideo praestat ab initio dispensationem impetrare. *S. Alph.,* l. c.; *Lehmk.,* l. c.

998. — *R. ad* 3m *Quaes.* Matrimonium videtur validum. Metus enim quamvis *gravis* sit, et incussus in ordine ad matrimonium contrahendum, videtur tamen esse *iustus.* Ita *D'Annibale,* 3, n. 445, nota 19; *Berardi,* Praxis, vol. 4, n. 780. Communior tamen sententia illud invalidum pronuntiat, quia, ut ait, metus est iniustus saltem *quoad modum. Feije,* De imped. et disp. matr., n. 133; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 4, n. 265.—Verum si minae fratrum VERONICAE tantum tenderent ad denuntiandum iudici LEONARDUM, matrimonium, etiam iuxta patronos huius posterioris sententiae, validum esset, cum metus etiam quoad modum esset iustus.

* CASUS XXVII

CULTUS DISPARITAS

ZEBINA, catholica, matrimonium contraxit cum ALMACHIO, iudaeo, hac expressa conditione, ut proles in religione catholica esset educanda, iuxta id quod a Summo Pontifice fuerat praescriptum in concessa dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. Elapso autem triennio, cum ZEBINA cogeretur ut prolem natam in iudaeorum doctrinis institueret, immo et ut ipsa iudaismum amplecteretur, clam cum prole sua aufugit, et alibi cum catholico novum inivit matrimonium.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis cultus disparitas matrimonium dirimat?*
2.° *A quo dispensatio huius impedimenti petenda sit?*
3.° *An valeat in casu matrimonium, si sponsi nolunt adimplere conditionem, ut omnes filii in religione catholica educentur?*
4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

999. — *R. ad* 1m *Quaes. Nullum* est matrimonium contractum a persona *non baptizata* cum persona *baptizata* **in Ecclesia catholica,** vel ad eandem ex haeresi aut schismate **conversa** (can. 1070, § 1). — Si pars tempore contracti matrimonii tanquam baptizata communiter habebatur, aut eius baptismus erat dubius, standum est pro valore matrimonii, donec *certo* probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam (ibid., § 2). — In *antiqua* disciplina nul-

lum erat matrimonium inter baptizatum et non baptizatum, etsi baptizatus ille non fuerit in Ecclesia catholica, neque unquam ad illam fuerit conversus.

Hinc inferes: *Validum* est matrimonium: *a)* inter haereticum, baptizatum quidem sed non in Ecclesia catholica neque ad illam unquam conversum et non baptizatum; *b)* inter baptizatum in Ecclesia catholica et baptizatum in secta haeretica, quamvis hic omnem abiecerit religionem. V. **Comp.**, n. 1014; *S. Alph.*, n. 1044.

1000. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Dispensatio ab impedimento disparitatis cultus a solo Papa obtinenda est, exclusis omnino Episcopis, nisi hanc a Summo Pontifice facultatem obtinuerint: facultas dispensandi ab hoc impedimento *dirimente* (1) aliquando in regionibus dissitis etiam missionariis conceditur, dispensandi vero ab impedimento *impediente* mixtae religionis delegari solet Ordinariis universaliter in locis missionum, sed in regionibus catholicis tantum pro casibus urgentioribus.

N. B. Pro matrimonio inter partem catholicam et aliam antea catholicam, quae nunc fidem catholicam abiecit quidem sed nulli falsae religioni vel haereticae sectae se adscripsit, *sufficit et requiritur* dispensatio *Ordinarii.* S. Off., 30 ian. 1867; *Gasparri,* n. 478 seq.; *Wernz,* l. c., nn. 574, 579.

1001. — *R. ad* 3^m *Quaes. Dist.:* si agatur de matrimonio cum disparitate cultus, non valet; quia dispensatio est conditionalis, proinde, si conditio non acceptetur, ruit ipso facto dispensatio: si non acceptetur, nam si acceptetur valet matrimonium, licet postea, mutata voluntate, exsecutioni non mandetur.

Verum, si agatur de connubio mixto seu inter catholicum et haereticum, aut vice versa, semper erit validum. Tunc enim impedimentum ipsum est impediens tantum, et matrimonium etiam sine dispensatione est semper validum; ergo voluntas in sponsis non adimplendi conditionem, contractum matrimonialem irritare nequit.

1002.—*R. ad* 4^m *Quaes.* ZEBINA invalide secundum matrimonium

---

(1) Si habens a S. Sede facultatem dispensandi ab impedimento *disparitatis cultus, dispensationem* concedat non requisitis vel denegatis praedictis cautionibus (de quibus n. 1003), haec erit omnino nulla, ideoque matrimonium sic contractum nullum et irritum (S. Off., 21 iun. 1912: *Acta,* IV, pag. 443). Cfr. *Razón y Fe,* vol. 34, pag. 99 seq. — Dispensatio legitime concessa super disparitate cultus includit dispensationem ab illis quoque impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis, etiamsi dispensatio concedatur v. gr. a missionario, qui non habeat facultatem dispensandi ab eodem impedimento, quo ligatur pars catholica, v. gr. a secundo gradu collaterali. S. Off., 16 sept. 1824; 22, 23 apr. 1913: apud *Nouv. Rev. Théol.,* vol. 46, pag. 429.

Ii, quibus haec facultas dispensandi conceditur, admonentur: «si agatur de matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis, peculiari ratione oportet: ut constet de status libertate partis infidelis, ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat» (S. C. de P. F. in *Form.* 2.ª et 3.ª). V. **Comp.**, n. 986, nota.

contraxit, quia primum fuit validum, cum conditio acceptata fuerit, et proinde indissolubile. Potuit tamen ZEBINA separari a toro et habitatione, ut saluti prolis vel suae consuleret.

* CASUS XXVIII

MIXTA RELIGIO

ONUPHRIUS, parochus, in regione ubi catholici cum haereticis mixte vivunt, variis rogatus matrimoniis mixtis assistit: 1.° quidem matrimonio TITII et BERTHAE, qui a Summo Pontifice dispensationem obtinuerunt; 2.° matrimonio CAII et CAIAE, qui, obtenta dispensatione, nolunt consentire conditioni praescriptae, ut omnes filii in religione catholica educentur; 3.° matrimonio PAULI et PAULINAE, qui sine dispensatione contrahunt, immo et iam coram ministro haeretico contraxerunt.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quando parochus matrimoniis mixtis assistere possit et sponsos benedicere?*

2.° *Potestne matrimonio assistere parochus, si uterque nolit consentire in catholicam educationem prolis, sed pars* haeretica *aut* infidelis *prorsus exigat, ut proles sui sexus suam religionem sectetur?*

3.° *Quid ad triplicem casum?*

SOLUTIO:

1003. — *R. ad* 1^m *Quaes. a) Severissime* Ecclesia *ubique* prohibet, ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit *catholica,* altera vero *sectae haereticae* seu *schismaticae* adscripta; *b)* quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur (can. 1060). V. **Comp.,** n. 984. Parochus tamen assistere potest matrimoniis mixtis, si dispensatio pontificia intervenerit, quae iis sub conditionibus concedi solet: 1.° urgeant iustae ac graves causae; 2.° cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculum et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda; 3.° moralis habeatur certitudo de cautionum implemento (can. 1061, § 1). Cautiones regulariter in scriptis exigi debent (ibid., § 2). —Praeterea coniux catholicus obligationem tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi (can. 1062). **Comp.**, n. 985. Sub iisdem conditionibus conceditur dispensatio ab impedimento *disparitatis cultus.* Parochus tamen benedictionem impertire nequit. Immo non potest assistere matrimoniis, nisi extra ecclesiam (sub qua sacri-

stia comprehenditur), et omisso quolibet ritu religioso, ideoque non potest deferre stolam nec superpelliceum.

Post decretum *Ne temere* tenetur tamen *requirere et excipere* contrahentium consensum. Cfr. S. C. Conc., 27 iul. 1908 ad 3; *Ferreres,* Los Esponsales, etc., n. 583 seq.; 718, ed. 5.ª

R. ad 2m *Quaes. Neg.*, sed debet *abstinere a quocumque interventu.* Sic S. C. Inquisit., 17 iunii 1729.

N. B. 1.° «Quod si in aliquibus locis, sacrorum Antistites cognoverint, easdem conditiones impleri haud posse, quin graviora exinde oriantur damna ac mala: in hoc casu tantum Sanctitas Sua ad huiusmodi maiora damna ac mala vitanda, prudenti eorumdem sacrorum Antistitum arbitrio committit, ut ipsi iudicent, quando commemoratae conditiones de contrahendis mixtis hisce nuptiis extra ecclesiam et absque parochi benedictione impleri minime possint, et quando in promiscuis hisce coniugiis ineundis tolerari queat mos adhibendi ritum pro matrimoniis contrahendis in dioecesano rituali legitime praescriptum, **exclusa tamen semper Missae celebratione**». Pius IX, Instr. 15 nov. 1858 (App. ad C. P. **Amer. lat.,** n. XXI; *Collect. de P. F.,* n. 1430. Cfr. etiam n. 1433).

2.° Item: ad maiora tamen vitanda mala, ne scilicet invalide contrahatur, vel acatholicus adeatur minister, quibusdam in regionibus, v. gr. in Rep. **Chilensi** tolerat S. Sedes, ut parochus his matrimoniis assistat, secluso quovis ecclesiastico ritu, etiam *in casu in quo pars haeretica prorsus exigat, ut proles sui sexus suam religionem sectetur* (ita tamen ut parochus non requirat nec excipiat contrahentium consensum. S. Off., 21 iun. 1912). Haec tamen agendi ratio nequit in praxim deduci nisi in locis pro quibus specialis concessio S. Sedis habeatur (1).

Haec tamen agendi ratio nequit in praxim deduci nisi in locis, pro quibus *specialis* concessio S. Sedis habeatur (S. Off., 2 aug. 1916).

Pro hoc casu haec sapientissime statuit C. P. **Amer. lat.**, l. c.: «Parochi, nequidem obtenta dispensatione mixtis nuptiis assistere praesumant, si sponsi ministrum acatholicum sive ante sive post matrimonium adire intendant; quem si iam adierint, parochus rem deferat Episcopo, cuius erit providere, praevia tamen absolutione partis catholicae a censuris, impositisque salutaribus paenitentiis». V. **Comp.,** n. 1016 seq.

1004. — *R. ad* 3m *Quaes. In primo casu,* ONUPHRIUS assistere potuit matrimonio mixto, cum sponsi dispensationem pontificiam obtinuerint, et proinde omnino licitum fuerit matrimonium TITII et BERTHAE; sed assistere debuit extra ecclesiam, et a benedictione sponso-

(1) Cfr. Rescript. Greg. XVI, 22 maii 1841, et *Ferreres*, apud *Razón y Fe,* vol. 34, pag. 96 seq. Vide etiam Instr. S. Off. ad Arch. S. Iacobi de Chile, 17 mart. 1869 (App. ad C. P. **Amer. lat.,** n. XXXII. Cfr. praeterea n. XXXI).

rum abstinere (S. Congr. Inquis., 20 dec. 1838), ita tamen ut eorum consensum exquireret et exciperet.

In secundo casu, ONUPHRIUS matrimonio intervenire non potuit, quia matrimonium illud fiebat graviter illicitum eo ipso, quod sponsi conditionem a Pontifice impositam adimplere nolebant. S. Congr. Inquis., 17 iunii 1829. Vide tamen dicta supra, n. 1003, *N. B.* 2.°

In tertio casu, a fortiori matrimonio PAULI et PAULINAE praesens esse non potuit, cum summopere esset illicitum; siquidem lex Ecclesiae, tales nuptias absque dispensatione prohibens, violabatur ac contemnebatur. Vide dicta supra, n. 1003, *N. B.* 2.°

CASUS XXIX

LIGAMEN

PHILIBERTUS, cum pacifice in coniugio cum LAELIA vivere non posset, uxore domi relicta, castra secutus est. Contigit autem ut, elapso uno vel altero anno, vir quidam gravis testaretur se vidisse PHILIBERTUM periculose decumbentem, nec dubitare quin mortuus esset. Alius paulo post ex eadem regione veniens declarat, se ex ore alicuius testis ocularis audivisse eum obiisse. His auditis, LAELIA, novis nuptiis inhians, testibus praedictis ad parochum adductis, ab eo cum alio viro copulata est. Mortuo autem parocho, eius successor, re perpensa, declaravit non satis constare de morte PHILIBERTI, adeoque iussit novos coniuges ab invicem separari; quibus tamen obnitentibus indulsit ut cohabitarent quidem, sed a toro separarentur.

HINC:

QUAER. 1.° *An prior parochus recte egerit,* LAELIAM *ad novas nuptias admittendo, aspectis quae in casu?*

2.° *An recte egerit posterior parochus? An separandi sint coniuges praedicti sive a toro, sive ab habitatione?*

3.° *Si mulier mala fide contrahat, scilicet, credens maritum adhuc vivere, vel de hoc dubitans, et postea, inquisitione quacumque possibili facta, non possit rescire utrum adhuc vivat necne, poteritne debitum reddere et etiam petere?*

SOLUTIO:

1005.—*R. ad* 1^m *Quaes.* Prior parochus non egit recte. Ratio est, quia nunquam licet parocho intervenire matrimonio, nisi de statu libero sponsorum *certo* constet, et quidem scripto authentico, si res obscura videatur; et id praesertim valet, quando notum est, alterutrum iam antea vinculo ligaminis obstrictum fuisse. Debuisset saltem parochus

noster, in re adeo gravi, causam ad Episcopum deferre, velut ad iudicem ecclesiasticum. Cfr. supra, n. 928.

N. B. 1.° Quoad modum probandi *status libertatem* cfr. Instr. S. Off. ad Episcopos orientales, 29 aug. 1890 *(Il Monitore,* vol. 6, part. 1, pag. 243 seq.).

2.° Quoad *probationem* mortis prioris coniugis cfr. Instr. S. Off. ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos rit. orient., 20 iul. 1883, tit. 6, art. 4, n. 40 seq. *(Il Monit.,* vol. 4, part. 2, pag. 41 seq.); et decret. S. Off. 6 maii 1891 *(Il Monit.,* vol. 7, part. 2, pag. 202). Cfr. etiam *Schmalzgr.,* l. 4, tit. 21, n. 10 seq.

Cfr. Instr. S. Off., ann. 1868, ad probandam mortem coniugis, apud *Gasparri,* alleg. V.

1006. — *R. ad* 2m *Quaes.* Etiam male egit posterior parochus. Non enim separandi sunt coniuges, sed in suo connubio relinquendi. Ratio est, quia, cum matrimonii causa sit favorabilis, post factum, si dubium occurrat, semper pro illius valore praesumendum est. Hoc praesertim admitti debet, quia ex separatione coniugum scandala, detrimentum filiorum, et alia gravissima incommoda sequerentur. Constat insuper ex iure canonico, saltem si matrimonium bona fide contractum est, ut in nostro casu, *cap. Dominus, de secund. nupt.* — *Elbel,* n. 212; *Gobat,* n. 306; *Lacroix,* n. 413.

1007. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Si habeat rationes vere probabiles existimandi maritum iam mortuum esse eo tempore, quo secundas nuptias contraxit, debitum reddere et etiam petere poterit. Ratio est, quia ex probabilitate speculativa de valore matrimonii bene inferri potest probabilitas practica de licita redditione et petitione debiti, praesertim cum tunc de sola honestatis actione agatur. *Elbel, ibid.; Gobat, Sánchez,* etc.

2.° Si vero agatur de mero dubio, sic distinguunt iidem theologi: mulier non potest quidem debitum petere, quia non potest conscientiam suam efformare de liceitate actionis; debet autem illud reddere, quia maritus, bona fide contrahendo, ius acquisivit in corpus uxoris, quo iure in mero dubio privari nequit.

* CASUS XXX

CLANDESTINITAS

luxta antiquam disciplinam usque ad decretum «Ne temere»

1.° Florus, natione gallus, matrimonium anno millesimo nongentesimo quarto contraxit clandestine in Anglia cum puella galla, quam secum duxerat, mercaturam exercendi causa.

2.° Florinus, pariter gallus, nuptias anno millesimo nongentesimo septimo clandestine celebravit in Anglia cum puella angla; sed licet ambo,

cum paulo ante in Gallia versarentur, intentione contrahendi sine parocho sese recepissent in Angliam, ubi puella adhuc suum servaverat domicilium; attamen, matrimonio contracto, statim Galliam repetere proposuerunt.

HINC:

QUAER. 1.° *In quo consistat impedimentum clandestinitatis?*
2.° *In quibusnam locis vigebat decretum Concilii Tridentini circa clandestinitatem?*
3.° *Quid de validitate matrimonii in utroque casu?*

SOLUTIO:

1008. — *R. ad* 1m *Quaes.* Dicitur *clandestinum* matrimonium quod celebratur absque praesentia parochi et duorum testium. Matrimonium clandestinum, validum erat ante Conc. *Trid.,* licet graviter illicitum. Impedimentum clandestinitatis ab ipso Conc. statutum est, ut constat ex sess. 24, c. 1. Noluit tamen sancta Synodus ut decretum decernens hanc irritationem vim haberet nisi post 30 dies ab illius promulgatione in unaquaque paroecia facienda. Cum autem in variis locis nunquam promulgatum fuerit, proinde nullam in illis habebat efficaciam.

Potuit tamen in aliqua paroecia, absque promulgatione in illa facta, praedictum decretum vim legis habere, si per legitimam consuetudinem introductum fuerit (Cfr. *Ferreres*, El impedimento de cland., n. 72; *Wernz*, Ius Decret, vol. 4, n. 160); sicut post factam promulgationem, potuit ipsum decretum in aliqua paroecia vel provincia «*longo temporis intervallo in desuetudinem*» abire et penitus abrogari (Pius VII, Const. *Etsi fraternitatis,* 8 oct. 1803; *Rosset,* De matr., n. 2108 seq.). V. **Comp.,** n. 1071, et *Ferreres,* l. c.

1009. — *R. ad* 2m *Quaes.* Quamvis difficile admodum sit horum locorum catalogum texere omnibus numeris absolutum, dabimus hic illum, quem nuper in memorato opusculo, nn. 74-76, edidit *P. Ferreres.*

EUROPA. — Estaba publicado y vigente el decreto en **España** e islas adyacentes, en **Portugal,** en **Irlanda,** en **Italia** e islas adyacentes, en **Francia,** en la *Alsacia-Lorena,* en la **Bélgica** actual y en el Gran Ducado de **Luxemburgo,** en **Holanda,** en la **Rusia** Europea, en **Austria-Hungría,** en **Polonia,** en las parroquias católicas de **Grecia** (vigente en todas, aunque no en todas se haya publicado), en las del *Archipiélago,* en las de los principados **Danubianos,** en las parroquias católicas de *Constantinopla* y en el *barrio de Pera.*

No *estaba publicado* en **Inglaterra, Escocia, Dinamarca** (donde, sin embargo, lo observaban los católicos), **Suecia y Noruega.**

No ofrecía disciplina uniforme **Suiza.** Véase *Gasparri,* De matr., alleg. IV.

En **Alemania** el decreto estaba publicado en *Silesia, Posen, Westfalia,* en la provincia del *Rhin,* en *Hesse Nassau* y en *Hehenzollern;* en **Baviera** (menos en el antiguo margraviato de *Auschbach,* en el antiguo condado de *Pappeneim* y en el territorio de los antiguos condados libres de *Nuremberg* y *Weissemburgo).* Estaba vigente en todas las parroquias católicas de *Wurtemberg, Baden* y *Hesse,* aunque no en todas se había publicado.

No se había publicado en **Sajonia,** pero se observaba en algunas parroquias católicas. Tampoco estaba promulgado en la **Prusia** propiamente dicha, *Hannover, Pomerania* y *Brandeburgo.*

N. B. Vi constitutionis *Provida,* lex clandestinitatis vigere coepit in universo imperio Germaniae a die 15 aprilis 1906.

1010. — ASIA. — Se había publicado en **Georgia,** en *Tierra Santa,* en *Esmirna,* en algunas regiones de **China,** en el **Tonkin** oriental, en *Pondichery,* en toda la costa de *Coromandel,* en *Calcuta* y en el territorio de

Bombay. Entre los *maronitas* estaba vigente en virtud de un decreto conciliar aprobado en forma específica por el Papa. Era dudosa la publicación en *Siria*, en la isla de *Chipre*, en *Goa* y en sus diócesis sufragáneas

En **Japón** estuvo vigente, y había dejado de estarlo por efecto de las persecuciones.

AFRICA. — Estaba publicado en **Trípoli, Túnez,** en la **Argelia,** en la diócesis de San Dionisio en la isla de la *Reunión*. Era dudosa la publicación en la *Colonia del Cabo de Buena Esperanza*.

No estaba publicado en **Abisinia** ni en **Madagascar.**

1011. — AMÉRICA. — Estaba publicado en toda la América latina (1), esto es, en las regiones que fueron colonias de **España** (2) y **Portugal,** a saber: en la **Argentina, Bolivia, Brasil, Colombia, Chile, Costa Rica, Ecuador, Guatemala, Honduras, México, Paraguay, Perú, San Salvador, Uruguay, Venezuela, Cuba, Puerto Rico, Santo Domingo, Haití.** Item en la isla de la *Trinidad*.

En cuanto a los **Estados Unidos,** se había publicado en las provincias de *Nueva Orleans, Santa Fe* (menos la parte septentrional del territorio *Colorado), San Francisco,* con el territorio de *Utah* (menos la parte que está al este del río *Colorado),* en la diócesis de *Vincennes,* en la ciudad de *San Luis* y en las poblaciones de *Santa Genoveva, San Fernando* y *San Carlos,* pertenecientes a la diócesis de *San Luis;* en *Kaskakia, Cahokia, French Village* y *Prairie du Rocher,* de la diócesis de *Alton.* — No estaba vigente en las provincias eclesiásticas de *Baltimore, Filadelfia, Nueva York, Boston, Oregon, Milwaukee, Cincinnati* (menos la diócesis de *Vincennes), San Luis* (menos en esta ciudad y en las poblaciones de las diócesis antes enumeradas) y *Chicago* (menos en los pueblos de la diócesis de *Alton,* de que antes hemos hecho mérito).

Fué publicado en **Curaçao,** pero había dejado de estar allí en vigor.

También fué publicado y estaba vigente en el **Canadá,** en la diócesis de *Quebec*.

Era dudosa la promulgación en las *Guayanas* inglesa y holandesa, en la isla de *Guadalupe,* en la *Martinica* y en otras colonias de *Inglaterra, Holanda* y *Dinamarca*.

OCEANÍA. — Había sido publicado en las **Islas Filipinas** y en *Batavia* (capital de la isla de *Java).*

No estaba vigente en las provincias eclesiásticas de **Australia** (3).

1012. — *R. ad* 3m *Quaes. In primo casu* matrimonium videtur omnino nullum utpote *in fraudem legis obiectivam* contractum, eo quod nullus contrahentium exemptus fuerit a lege clandestinitatis, cum nullus eorum vagus fuerit, nec domicilium aut quasi-domicilium haberent in loco exempto. *Bened. XIV,* Inst. eccles., 33, n. 9; *S. Alph.,* l. 6, n. 1800; *Aichner,* § 192, nota 17 (Brixinae 1890); *Gasparri,* l. c., n 985 (Parisiis, 1891); *Rosset,* l. c., n. 2093 (S. Ioann. Maurianae, 1895); *D'Annibale,* Summula Th. mor., vol. 3, n. 457 (Romae, 1896); *Deshayes,* Memento iur. eccles., n. 1521

(1) «Ideoque doceantur fideles, in nostris regionibus, in quibus *omnibus, nulla excepta,* indubitanter promulgatum et receptum est decretum *Tametsi*», dice el Conc. Plen. Americano en el n. 588.

(2) Véase lo que dice la Instr. del Santo Oficio de 1824: «Adeo relatum est quanto religionis studio *Hispaniarum* reges, Concilii et Apostolicae Sedis obsequentes, in eiusdem Concilii publicationem in omnibus eorum ditionibus faciendam incubuerint, ac quanta pariter sedulitate Concilii decreta observari curarint Hispanarum ditionum Antistites, ut nec vel minimum dubitari queat de eiusdem decreti in *Hispanicis Americanis regionibus* observantia».

(3) Cfr. *Gasparri,* l. c., vol. 2, alleg. VI; *Feije,* l. c., n. 320; *Laurentius,* l. c., n. 595; *Rosset,* l. c., n. 2081; *Lehmk.,* 2, n. 785; *Wernz,* Ius. Decretal., vol. 4, n. 163 seq.; *Zitelli,* Apparatus iur. eccles., pag. 428 seq.

(Parisiis, 1897); *Palmieri* in edit. 13, Comp. Th. mor. *P. Gury,* vol. 2, n. 651 (al. 839), ubi impugnat notam *P. Ballerini* (Prati, 1898); *Alsina,* vol. 2, n. 719 (Manresae, 1898); *Santi-Leitner,* l. 4, tit. 3, n. 81 (Ratisbonae, 1899); *Marc,* Theol. mor., n. 2070 (Romae, 1902); *Card. Vives,* Comp. Th. mor., n. 726 (Romae, 1902); *Gury-Ferreres,* vol. 2, n. 839 (Barcinone, 1902); *Lehmkuhl,* Casus, vol. 2, n. 991 (Friburgi Brisgoviae, 1903); *Wernz,* Ius Decretal., vol. 4, n. 170, nota 156, et votum in causa *Parisien.,* § 57. (Cfr. *Acta S. S.,* vol. 32, pag. 396; *Thesaurus Resol. S. C. C.,* vol. 157, pag. 588 seq.) Contraria sententia, quam plures antea defenderant auctores, et cuius probabilitatem adhuc multi tuentur, satis probabilis non videtur. Cf. *Ferreres,* l. c., nn. 86-93.

1013. — *In secundo casu* validum est matrimonium. Ratio est, quia puella angla valide matrimonium inire poterat in sua regione ubi servavit domicilium, absque assistentia parochi. Porro sponsa sponso suo privilegium quo fruebatur communicabat; ergo valide ibidem contraxerunt. Nec obstat quod se contulerint e Gallia in Angliam cum intentione contrahendi sine sollemnitate; nam minime egerunt *in fraudem,* siquidem iure suo usi sunt *ratione validitatis,* licet egerint *illicite* et *graviter* quidem. *Bened. XIV,* De Synod., l. 6, c. 6, n. 12; *Gasparri,* l. c., n 963; *Feije,* l. c., n. 315 seq.; *Wernz,* Ius Decretal., n. 40; *Ferreres,* l. c., nn. 94, 95. — V. **Comp.,** n. 1074.

* CASUS XXXI

DE FORMA CONTRAHENDI MATRIMONIUM

TITIUS, parochus, qui errores LOISY palam propugnat; etiam post ipsius LOISY nominalem excommunicationem, sequentibus matrimoniis post diem 19 aprilis 1908 adstitit tanquam testis authorizabilis, nullius requisita licentia:

1.° SEMPRONII cum BERTHA. Uterque in aliena paroecia habet domicilium; verum SEMPRONIUS in TITII paroecia habitaverat a die 20 aprilis ad 19 maii qua contraxit coram TITIO, proprium enim parochum odio prosequebatur.

2.° CAII cum MARIA. Ille alibi domicilium habebat; MARIA octo ante diebus in paroeciam TITII venerat ut illic munus magistrae exerceret.

3.° DIDACI cum ANNA a quindecim diebus illic commorantibus, qui relicto antiquo domicilio opportunitatem exspectabant navim conscendendi ut in aliqua Americae urbe, quae sibi commodior videretur, figerent domicilium.

4.° PETRI cum PETRA. Uterque aetate minores et illic per dies octodecim commorantes cum animo illic habitandi per maiorem anni partem, studiorum causa.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid requiratur ex Codice canonico ad formam matrimonii validam; quid vero ad licitam?*

2.° *Quodnam sit discrimen inter antiquam et novam disciplinam?*

3.° *Quid ad singulos casus?*

SOLUTIO:

1014. — *R. ad* 1m *Quaes.* Quae ad validam matrimonii celebrationem spectant continentur in can. 1094, 1905, quibus confirmantur aa. III et IV decreti *Ne temere;* quae ad licitam vero, in can. 1907, quo confirmatur a. V eiusdem decreti. En ipsissima decreti verba:

Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in canonibus sequentibus expressas, et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098, 1099 (can. 1094).

Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt:

«1.° a die tantummodo adeptae canonice possessionis beneficii, vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

»2.° intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

»3.° dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum.

»Licite autem adsistunt:

»1.° constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

»2.° constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii;

»3.° quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset.

»4.° Quoad vagos extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit.

»5.° In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset».

1015. — *R. ad* 2m *Quaes. a)* In *antiqua* disciplina ante decretum *Ne temere* valide assistebat parochus tantum vel Ordinarius proprius alterutrius contrahentium ratione domicilii aut quasi-domicilii, et ubique valide assistebant. — In *nova* valide assistit parochus tantum vel Ordinarius *loci in quo celebratur* matrimonium, etsi contrahentes subditi ipsius non sint.

b) In *antiqua* parochus qui *valide* assistere poterat, etiam *licite* assistebat. — In *nova* ut parochus assistat *licite* requiritur ut unus saltem contrahentium habeat in territorio *domicilium* aut *commorationem unius mensis,* secus parochus licentiam petere debet a parocho contrahentium.

c) In *antiqua* parochus quasi-domicilii erat competens ut assisteret matrimoniis, non autem parochus commorationis menstruae. — In

nova sufficit menstrua habitatio. Cfr. *Ferreres,* Los Esponsales y el matrimonio, nn. 247, 258, 260, 263, 500, 572 (ed. 5.ª).

d) In *antiqua* disciplina valide assistebat parochus etiam non rogatus, per vim detentus, etiam nolens audire nec videre, unde valida erant matrimonia ex inopinato contracta. — In *nova* parochus valide non assistet, nisi fuerit saltem implicite (S. C. C., 28 mart. 1908) *rogatus* et nisi *libere requirat excipiatque* contrahentium consensum. Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 232 seq.; 570 seq.; 760 seq.

e) In *antiqua* vagi probabiliter contrahere poterant coram quolibet parocho etiam extra ipsius territorium. — In *nova* certum est valide posse contrahere coram quolibet parocho, sed intra limites ipsius territorii tantum. Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 221 seq.; 265 seq.; 493 seq.; 497 seq.

f) In *antiqua* disciplina parochus suspensus ab officio et beneficio, publice schismaticus aut haereticus, non assistebat valide, saltem iuxta plurium sententiam. — In *nova,* iuxta decretum *Ne temere,* parochus semper assistit valide, nisi *publico* decreto *nominatim* fuerit excommunicatus vel ab officio suspensus. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 218, 228 seq.

At post Codicem assistit valide, nisi per *sententiam* fuerit excommunicatus, aut interdictus, aut ab *officio* suspensus, aut talis declaratus.

g) In *nova* disciplina, post decretum *Ne temere, iure communi* praefertur parochus sponsae. — In *antiqua* etiam communiter praeferebatur, fere ubique *iure particulari.* Ibid., n. 278 seq.

h) In *antiqua* disciplina plures erant regiones in quibus non vigebat cap. *Tametsi,* ideoque illic valide contrahebant clandestine tam vagi, quam qui in huiusmodi regionibus domicilium vel quasi-domicilium habebant. — In *nova* nulla est regio non subiecta Codici aut antea decreto *Ne temere;* attamen catholici rituum orientalium non adstringuntur neque Codice neque illo decreto (S. C. C., 25 ian. et 1 febr. 1908, ad I. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 509), exceptis ruthenis in Canadiensi regione, qui matrimonia contrahentes, sive inter se sive cum aliis catholicis, formam Codicis et decreti *Ne temere* servare debent. S. C. de P. F. pro neg. Rit. Oriental, 18 aug. 1913, art. 36 *(Acta,* V, pag. 398).

i) In *antiqua* disciplina qui exemptus erat a lege clandestinitatis valide contrahebat clandestine cum persona huic legi subiecta, quia dabatur privilegium communicationis exemptionis propter individualitatem contractus. — In *nova* abolitum est huiusmodi privilegium, ideoque subiectus decreto *Ne temere* nequit valide contrahere ullibi cum aliqua persona, nisi servatis legibus in praedicto decreto statutis: quare nullum est ubique matrimonium clandestinum inter catholicum ritus latini et catholicum ritus orientalis. S. C. C., 28 mart. 1908, ad I-III. Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 550 seq., 567 seq. **Comp.,** n. 1071 seq.

1016. — *R. ad* 3m *Quaes.* TITIUS quamvis publice haereticus ac publice excommunicatus sit eo quod palam damnatos errores Loisy propugnet; cum tamen nec per sententiam nec *nominatim* ac *publico edicto* excommunicatus, interdictus aut suspensus sit, *valide* assistit quibuscumque matrimoniis intra limites suae paroeciae, quin *ad validitatem* opus habeat licentiam aliquam petere. Ergo cum praedicta matrimonia intra limites sui territorii benedixerit, valida per se dicenda sunt iuxta disciplinam decreti *Ne temere* et Codicis. — In *antiqua* disciplina non esset valida eius assistentia, saltem probabiliter.

1017. — Sed ut ad singulos casus respondeam:

1.° In *antiqua* disciplina nullum esset matrimonium SEMPRONII et BERTHAE ex capite clandestinitatis, quia TITIUS nullius illorum parochus erat, nec illi erant vagi. — In *nova* validum quidem est, sed *probabilius* illicitum, quia commoratio adhuc non fuit unius mensis iuxta aestimationem calendarii, v. gr. a 20 febr. ad 20 mart., tempus enim non complebatur in casu nisi inito die 20 maii. Cfr. can. 34, § 3, 3.°

Debuit igitur TITIUS petere licentiam parochi domicilii contrahentium aut exspectare per unum diem. Odium SEMPRONII in proprium parochum non videtur ratio excusans TITIUM a petenda licentia. Sed debet restituere emolumenta stolae.

2.° Matrimonium CAII cum MARIA validum ac licitum fuit *in utraque disciplina,* quia TITIUS erat parochus proprius MARIAE ratione domicilii quod in sua paroecia acquisivit MARIA a primo die quo illic habitavit cum intentione in perpetuum commorandi, si nihil inde avocet. Quae intentio per se imbibitur in suscipiendo munere magistrae, quod ex se perpetuum est.

3.° Etiam validum fuit et licitum matrimonium DIDACI cum ANNA, quia uterque vagus erat sed momentaneus. Etenim quia non habebant iam parochum, non erat a parocho expetenda licentia; et quia *momentanei* erant vagi, non videbatur necessaria (saltem ex epikeia) Ordinarii licentia, sed satis erat si debito modo factae essent denuntiationes. Sic tum in nova tum etiam in antiqua disciplina esset respondendum. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 654 seq.

4.° In quarto casu matrimonium *in utraque* disciplina *validum* fuit; in antiqua et in nova post Codicem etiam licitum ratione quasi-domicilii contrahentium (1).

---

(1) In disciplina decreti *Ne temere* quasi-domicilium non admittebatur.

* CASUS XXXII

DE FORMA CONTRAHENDI MATRIMONIUM

1.° NICANDER et RUFINA in publico vivebant concubinatu, magno totius paroeciae scandalo. Saepius a NORBERTO parocho admoniti fuerant ut a scandalo cessarent; sed nullo successu. Quodam die NORBERTUS duobus comitatus pueris ad domum ipsorum accessit, eosque ferventiori oratione cohortatus est ad legitimum ineundum coniugium. Tunc ait NICANDER: si vis hic et nunc statim nos coniungere, consentiam; secus ne verbum quidem hac de re unquam ad me facias. Igitur statim bonus parochus eorum consensum exquisivit atque accepit, eosque valide copulatos declaravit.

2.° Alias IACOBUS et NYMPHA, quos NORBERTUS coniungere recusaverat eo quod IACOBUS a coniugio ineundo legibus militaribus prohiberetur, accesserunt ad ipsum eique poenam mortis minitati sunt nisi intra triduum eorum matrimonio, secreto tamen, assisteret. Quod perterrefactus NORBERTUS fecit sequenti die.

HINC:

QUAER. *Quid de valore ac liceitate utriusque coniugii?*

SOLUTIO:

1018.—*R. ad Quaes.* 1.° *In primo casu* matrimonium validum est. Etenim, neque vi neque metu gravi constrictus parochus excipit contrahentium consensum. Nec difficultatem facessit quod parochus videatur constrictus in casu ad requirendum excipiendumque consensum illis in adiunctis (absque bannis, in loco non sacro, etc.) metu scandali; non enim vi et gravi metu sed e contra libere omnino requirit et excipit consensum, amore scilicet salvandi illorum animas, tollendique scandalum. Quae omnia faciunt ut celebratio ex parte NORBERTI etiam videatur licita. Pueri, dummodo usum rationis habuerint, ut supponimus, testium munus gerere poterant. Nihil enim in recentiori disciplina immutatum est quoad testium qualitatem (S. C. de Sacr., 13 mart. 1910, ad IV. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 650 seq.; can. 1094). A fortiori valida fuisset celebratio in antiqua disciplina. Cfr. supra, n. 1015, *d,* et **Comp.,** nn. 1071, 1073, 7.°

2.° Ut ex dictis patet, nullum fuit matrimonium *in secundo casu,* quo NORBERTUS, metu gravi coactus, excipit contrahentium consensum. In *antiqua* disciplina validum fuisset hoc matrimonium. — In *neutra* obstat validitati quod IACOBUS forte pertineat ad castrensem iurisdictionem: satis namque est quod NORBERTUS *valide* assistat ratione NYMPHAE. Cfr. infra, n. 1029.

N. B. Plures sunt qui putent in casu IACOBUM potuisse contrahere absque praesentia parochi, quibus non videtur esse assentiendum. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 813 seq., 819 seq. V. **Comp.**, n. 1083.

* CASUS XXXIII

DE FORMA CONTRAHENDI MATRIMONIUM

TITIUS et BERTHA matrimonium contracturi, rogant SEMPRONIUM, parochum absentem, ut sacerdotem ipsis gratum delegare velit, qui ipsorum nuptiis assistat. «Quem vos eligatis a me delegatus habeatur», respondit SEMPRONIUS, dummodo tamen in ecclesia ipsa paroeciali assistat. Nupturientes advocarunt BERTHAE fratrem sacerdotem, canonicum in aliena dioecesi, qui eos in domestico BERTHAE oratorio coniunxit.

PAULUS et PAULA in concubinatu vixerant et filios genuerant. Postea, facti paenitentes, separati sunt, et PAULA in aliud se transtulit oppidum in terra missionum. Post aliquot annos huc venit PAULUS cum DIDACO, amico suo sacerdote, ac statim audit PAULAM iam iam accidenti aliquo repentino animam acturam. Advocatus fuit DIDACUS, nam missionarius parochus iam a quatuor hebdomadis mortuus fuerat, immo nec spes probabilis habebatur ut novus per plures menses adventaret. Tunc ad legitimandam prolem, voluit DIDACUS eos coniungere, uti factum est, sed post contractum matrimonium BERTHA brevi convaluit; periculum enim non verum sed apparens fuerat.

HINC:

QUAER. 1.° *An et quatenus parochus sacerdotem delegare possit ut matrimoniis assistat?*
2.° *Quid requiratur ut matrimonium in extremis contrahi possit?*
3.° *Quale debeat esse huiusmodi periculum mortis?*
4.° *Quid ad singulos casus?*

SOLUTIO:

1019. — *R. ad* 1m *Quaes.* Parochus et loci Ordinarius, qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alteri sacerdoti licentiam dare, ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat (can. 1095, § 2).

Igitur: *a)* in *nova* disciplina, tum Codicis, tum decreti *Ne temere,* delegatio fieri necessario debet sacerdoti determinato et certo, v. gr., sacerdoti N. N., vel etiam coadiutori ecclesiae N. vel capellano sodalitii M. — In *antiqua* vero, fieri etiam poterat sacerdoti *indeterminato,* v. gr., sacerdoti, quem eligere velint contrahentes.—*b)* In *nova,* delegatio concedi potest pro matrimoniis etiam non subditorum de-

legantis; verum delegatus valide assistere nequit nisi intra ipsius delegantis territorium. — In *antiqua,* delegatio valebat tantum pro matrimoniis eorum, quorum alteruter saltem erat subditus delegantis, sed delegatus *ubique* valide assistebat etiam extra delegantis paroeciam, aut dioecesim.

Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095, § 2, dari *expresse* debet *sacerdoti determinato,* ad matrimonium *determinatum,* exclusis quibuslibet delegationibus *generalibus,* nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia, cui addicti sunt; secus *irrita* est (can. 1096, § 1).

Igitur vicariis cooperatoribus concedi potest delegatio generalis pro paroecia, cui addicti sunt, v. gr., pro omnibus matrimoniis infra hebdomadam occurrentibus. V. **Comp.**, n. 1072.

1020. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Si haberi vel adiri (1) nequeat sine *gravi incommodo* parochus, vel Ordinarius, vel sacerdos delegatus, qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095, 1096: 1.° *a)* In *mortis periculo* validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; *b)* et etiam *extra mortis periculum,* dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse *per mensem* (2) duraturam. — 2.° In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos, qui adesse possit, vocari, et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, *salva* coniugii *validitate* coram solis testibus (can. 1098).

Igitur in *utroque casu a)* et *b),* praesentia sacerdotis qui nec loci parochus, nec loci Ordinarius, nec legitime delegatus ab alterutro sit, non requiritur nisi *ad liceitatem,* si haberi potest (3). Ad *validitatem* vero, si in *periculo mortis* intercedat impedimentum dirimens dispensandum.

---

(1) Cum in nonnullis regionibus, parochi a civili lege graviter prohibeantur, quominus matrimonio assistant, nisi praemisso civili connubio, quod non semper praemitti potest, et tamen ad mala praecavenda et pro bono animarum matrimonium celebrari expediat; quidam horum locorum Antistites, a Sacra Congregatione de Disciplina Sacramentorum efflagitarunt: «An et quomodo his in adiunctis providendum sit».

Eadem Sacra Congregatio, in plenario Conventu habito die 28 curr. ianuarii, re mature perpensa respondendum censuit: «Recurratur in singulis casibus, excepto casu periculi mortis, in quo quilibet sacerdos dispensare valeat *etiam ab impedimento clandestinitatis*, permittendo, ut in relatis adiunctis matrimonium *cum solis testibus* valide et licite contrahatur».

Expositam vero Emmorum. Patrum declarationem Stmus. Dnus. noster Benedictus PP. XV in audientia concessa die 30 eiusdem mensis infrascripto huius Sacrae Congregationis Secretario, ratam habere et confirmare dignatus est ac publici iuris fieri mandavit.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis, die 31 ianuarii 1916.— Philippus Card. Giustini *Praefectus.* L ✠ S. ✠ Aloisius Capotosti, Ep. Thermen., *Secretarius* (*Acta,* VII, pag. 36, 37). Cfr. *Ferreres,* apud *Razón y Fe,* vol. 44, pag. 510 seq.; Los Esponsales, n. 813 seq.

(2) Ita etiam ante decretum *Ne temere.* Sed vi huius decreti requirebatur, ut haec *rerum conditio* iam per mensem duraverit, et hoc satis erat, etsi post brevissimum tempus esset finem habitura.

(3) Ex decreto *Ne temere* requirebatur praesentia alicuius sacerdotis ad validitatem.

Praesentia autem parochi loci, vel Ordinarii, vel sacerdotis delegati, *si haberi vel adiri potest,* requiritur semper ad *validitatem.*

Unde matrimonium in praedicto casu: *a)* si impedimentum dirimens non obstet, contrahi potest *in mortis periculo* cum *solis testibus,* etiamsi contrahentes *non* vivant in *concubinatu,* nec *proles sit legitimanda,* etc.: satis est voluntas contrahentium; *b)* si vero impedimentum dirimens sit dispensandum, tunc sacerdos dispensare non potest nisi ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis (1), ut dictum est in nn. 952, 953, et iuxta modum illic expositum. V. **Comp.**, 1079 seq.

1021. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Satis est ut periculum sit prudenter existimatum et afficiat unum e contrahentibus. Satis est ut prudenter existimetur mediis ordinariis recurri probabiliter non posse ad parochum vel Ordinarium; quamvis recursus sit possibilis mediis extraordinariis, v. gr., per telegraphum, etc. **Comp.**, n. 1079 seq.

N. B. De practica ratione agendi sacerdotis in huiusmodi matrimoniis, et etiam in casibus in quibus adsit impedimentum disparitatis cultus, vide *Ferreres,* l. c., nn. 622-628, 787-810.

1022. — *R. ad* 4^m *Quaes.* 1.° Delegatio a SEMPRONIO concessa nulla et irritia est, utpote quae data non est sacerdoti determinato ac certo, sed potius indeterminato omnino; ideoque matrimonium nullum est atque irritum. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 304. In *antiqua* disciplina delegatio valida fuisset. *Ferreres,* l. c.; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 4, n. 180, nota 217; *Gasparri,* De matr., n. 949.

Quod si delegatio valida fuisset, adhuc dubius esset valor matrimonii, quia delegatus non servavit limites mandati. Circumstantia celebrationis matrimonii in domestico oratorio ex se reddit illud illicitum, non invalidum; sed ex modo alligandi delegationem celebrationi in ecclesia eruitur non improbabiliter, parochum intendisse illam circumstantiam tanquam conditionem sine qua nolebat concedere delegationem.

2.° Matrimonium PAULI et PAULAE validum est utpote contractum imminente mortis periculo coram duobus testibus, uti supponitur. Nec obstat quod periculum apparens tantum fuerit, ut supra dictum est. Si vero PAULA periculum simulasset, tunc nullum fuisset matrimonium quatenus contractum imminente mortis periculo, quia periculum simulatum non sufficit; validum vero post Codicem quatenus in illa regione parochus locive Ordinarius aut sacerdos ab eis delegatus haberi non potuerit, et hac conditio per mensem duratura praevidebatur.

Bene igitur legitimatio filiorum haberi potuit.

In *antiqua* disciplina, ante decretum *Ne temere,* validum etiam fuisset quatenus contractum in regione ubi vigebat impossibilitas

(1) Ex decreto *Ne temere* hoc requirebatur, ut matrimonium contrahi posset coram sacerdote, qui nec esset parochus, nec Ordinarius, nec ab alterutro delegatus.

recurrendi ad parochum, etc., et talis impossibilitas prudenter praevidebatur ultra mensem duratura: his in adiunctis matrimonium iniri poterat sine ullo sacerdote, coram duobus saltem testibus, sicuti etiam nunc post Codicem. Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 339-344.

* CASUS XXXIII *bis*

DE FORMA CONTRAHENDI MATRIMONIUM

TITIUS, sacerdos, vocatur ad excipiendam confessionem SEMPRONII infirmi qui diaconus erat, et civiliter coniunctus fuerat tribus annis antea cum BERTHA consanguinea in secundo gradu, e *secta protestantica,* e qua filium unum iam susceperat. Cum parochus abesset et mors SEMPRONII instare videretur, TITIUS eos coniunxit in matrimonium filiumque legitimum declaravit. Rem totam parocho postea narravit, qui dubitat an recte egerit TITIUS dispensando ab impedimento impediente et prolem legitimam declarando. Praeterea nescit quid nunc agere debeat, maxime quia SEMPRONIUS convaluit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam facultates conceduntur sacerdoti qui matrimonio assistit imminente mortis periculo?*
2.° *Quomodo procedendum est his in adiunctis?*
3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

1022 *a.—R. ad* 1m *Quaes.* Urgente mortis periculo, *locorum Ordinarii* ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt, tum super *forma* in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis *iuris ecclesiastici,* sive *publicis,* sive *occultis*, etiam *multiplicibus* (exceptis duobus, de quibus in principio praecedenti) dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus (can. 1043).

In iisdem rerum adiunctis de quibus in can. 1043, et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum sacerdos qui matrimonio, ad normam can. 1098, n. 2, assistit, tum confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum (can. 1044). V. **Comp.**, n. 952 seq.

1022 *b. — R. ad* 2m *Quaes.* In huiusmodi casibus in quibus de celebrato matrimonio publice constare debet, instituendus est processus matrimonialis, qui antea institui non potuit, ut appareat an aliquid obstet validitati talis matrimonii, quod inscribi non debet nisi de man-

dato Ordinarii. Cfr. Synodum dioeces. *Matrit.*, pag. 623; *Malacit.*, pag. 427, Const. 67 (1).

Sacerdos qui assistit curare praeterea debet ut sive ex medici testimonio, sive ex testibus constet in scriptis de gravitate infirmitatis ita ut tempus non suppetat recurrendi ad parochum vel ad Ordinarium. Cfr. *Ferreres*, l. c., n. 625 seq.

1022 *c.* — *R. ad* 3^m *Quaes.* In casu bene potuit TITIUS coniungere SEMPRONIUM cum BERTHA eos dispensando tum a duobus impedimentis dirimentibus, tum ab impedimento impediente mixtae religionis; non tamen potuit legitimam declarare prolem, cum haec procedat a persona ligata ordine sacro. Debuit praeterea exigere ab ipsis iuratam promissionem «de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, de conversione coniugis acatholici ab illo pro viribus curanda, ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino baptizanda et educanda», et de non adeundo ministro acatholico, ut supra, n. 1003, dictum est. Cfr. *Ferreres,* Los Esponsales, n. 584, nota; La Curia Romana, n. 317. — V. **Comp.**, n. 985.

Pro legitimatione prolis iam habitae recurrant ad S. C. de Sacramentis.

* CASUS XXXIV

DE FORMA CELEBRATIONIS MATRIMONII

BERNARDUS, parochus, quoties matrimonio assistit, adnotationes necessarias in separatis chartis scribit, ut postea inscriptionem peragat in libro matrimoniorum, quod facere solet in fine cuiusque mensis. Non semel ei accidit amissio alicuius chartae et etiam oblivio inscriptionis et adnotationis in libro baptizatorum.

Quadam die cum relaxationis gratia extra propriam dioecesim esset, vocatus fuit ut assisteret matrimonio BERTHAE concubinae iam iam moriturae. Praesentibus dixit ut parochum monerent de celebrato matrimonio; ille vero statim abiit in propriam paroeciam nec iam amplius de inscriptione huius matrimonii sollicitus fuit.

---

(1) In litteris Vicarii Generalis granatensis legitur sub n. 31: «Tratándose de matrimonio celebrado *imminente mortis periculo,* el mismo párroco pondrá una nota, después de la última partida de desposorio, haciendo constar en ella que «ante los testigos N. N. y N. N. y el párroco, o el sacerdote N. N., celebróse matrimonio canónico (exprésese el año, mes, día y hora)..... en la casa núm..... calle..... entre N. N. y N. N. gravemente enfermo, y de cuyo acto se da cuenta al Provisorato para la instrucción de las diligencias oportunas».

»De esta nota no se podrá dar copia, porque hasta tanto que el expediente no sea aprobado por la Curia diocesana, no se considera el matrimonio, así celebrado, definitivamente válido». Postea sub n. 64 legitur: «6.° Aprobado el expediente en la Curia, ordenará ésta al párroco que extienda la partida sacramental y haga las anotaciones convenientes; adicionando la nota aludida en la disposición 31 de esta Circular con el número del folio en que consta por extenso la partida sacramental» (Circular del Provisorato de *Granada*, 25 de julio de 1913).

HINC:

QUAER. 1.° *An et qualis sit parochi obligatio describendi matrimonium?*

2.° *Quid de adnotatione in libris baptizatorum?*

3.° *Cui inest obligatio curandi inscriptionem matrimonii celebrati absque parocho et absque sacerdote delegato?*

4.° *Quid de* BERNARDO *iudicandum?*

SOLUTIO:

1023.— *R. ad* 1m *Quaes.* Ex praescripto can. 1103, § 1, quo dispositio decreti *Ne temere* (art. IX, § 1.°) confirmatur, «celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, *quamprimum* describere debet in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia iuxta modum in libris ritualibus, vel a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos, vel a se, vel ab Ordinario delegatus, matrimonio adstiterit». V. **Comp.,** n. 1086.

Debet igitur describi matrimonium ab ipso parocho loci ubi celebratum fuit, etsi alius ex eius delegatione matrimonio adstiterit. Descriptio fieri debet *quam primum,* quod aliqui intelligunt adimpleri si fiat intra triduum *(Vermeersch,* l. c., n. 79). C. P. **Amer. lat.,** n. 599, praecipit ut fiat intra unius diei spatium. Adnotationes necessariae ad inscriptionem suo tempore in libro matrimoniorum peragendam, fiant in aliquo ligato libro iis notis excipiendis destinato, non vero in separatis chartis quae facile amitti possunt. Negligentia in scriptione cito peragenda facile grave erit peccatum, cum omissio inscriptionis aut simplex error grave damnum afferre possint. Cfr. *Ferreres,* Los Esponsales y el Matrimonio, n. 399 seq.; **Comp.,** n. 1086 seq.

Quoad modum omissiones, si quae fuerint, subsanandi, necnon quoad inscriptionem matrimonii conscientiae cfr. *Ferreres,* l. c., n. 399 seq., 414 seq.

1023 *bis.*— *R. ad* 2m *Quaes.* De inscriptione in libro baptizatorum haec praescribit can. 1103, § 2, confirmans decretum *Ne temere,* l. c., § 2.°: «Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur».

Per episcopalem Curiam (propriam vel paroeciae baptismi) mittenda erit notitia quoties de dioecesi baptismi constet, non vero de paroecia ubi coniux susceperit baptismum.— Haec notitia secum ferre debet coniugum eorumque parentum nomina et agnomina, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adiecto paroe-

ciali sigillo. Inscriptio autem accurate indicet paroeciam, dioecesim, oppidum, seu locum baptismi coniugum, et ea quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent (Inst. S. C. de Sacram., 6 mart. 1911; *Ferreres,* l. c., n. 409 *a,* seq.). Parochus matrimonii curet habere responsum accepti nuntii a parocho baptismi vel ab episcopali Curia. *Ferreres,* l. c., n. 405 seq.; *Card. Gennari,* l. c., pag. 34; *Vermeersch,* n. 81.

1024. — *R. ad* 3m *Quaes.* «Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos si eidem adstiterit, secus testes, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur.» Can. 1103, § 3, necnon Decr. *Ne temere,* l. c., § 3.°

Obligatio est solidaria. Quare si unus adimpleat, reliqui liberantur ab omni obligatione: omnes tamen et singuli gravi obligatione ligantur, donec ipsis constet inscriptiones esse peractas.

Inscriptio in hisce casibus facienda videtur in libro matrimoniorum illius paroeciae in cuius territorio matrimonium fuerit celebratum, quamvis coniuges casu illic contraxerint et domicilium alibi habeant. Aliter *Ojetti,* l. c., n. 127, qui putat in casu inscriptionem faciendam esse a parocho domicilii.

1024 *bis.* — *R. ad* 4m *Quaes.* Ex dictis iam patet in quantis graviter erraverit BERNARDUS. Curet igitur in posterum inscriptiones et adnotationes peragere saltem intra triduum, aut infra diem si regatur Concilio plen. **Amer. lat.** Nec utatur disiectis schedulis (quae facile amitti possunt) pro adnotationibus praeviis, sed compaginato libello. Adnotationes in libro baptizatorum si omittat, gravis peccati reum se esse sciat.

Quod si alicui matrimonio assistat ad normam can. 1098, intelligat se tutum in conscientia non esse donec certo sciat initum coniugium in praescriptis libris adnotatum fuisse; seque debere curare ut talis adnotatio quam primum fiat. Ad quod satis non est praesentibus dicere ut parochum moneant de celebrato coniugio.

* CASUS XXXV

DE FORMA CONTRAHENDI MATRIMONIUM

1.° THYRSUS et AGATHA, luterani, matrimonium clandestinum in Hispania, in domo legationis germanicae, contraxerunt. Nunc AGATHA ad fidem catholicam conversa vellet alias nuptias cum viro catholico contrahere, ut saevitias THYRSI effugere posset.

2.° AGAPITUS, catholicus, in Gallia ex accidenti natus est cum parentes natione germani parisiensem expositionem visitarent. Aetatem adeptus octodecim annorum in Germania cum puella haeretica

coram unico teste, insciis parentibus, contraxit. Nunc facti paenitens anxius est de valore sui matrimonii.

3.° BERTHA patrem habuit haereticum, matrem vero catholicam, et in Ecclesia catholica baptizata quidem fuit; sed mortua matre, post tres menses a nativitate BERTHAE, haec ab haereticis educata fuit, ita ut nihil audiverit unquam de catholica religione. Annos nata quindecim matrimoniali foedere copulata fuit cum FABIANO, viro catholico, coram haeretico ministro. Paulo post, FABIANUS eam in adulterio deprehensam dereliquit, et, obtenta sententia divortii, nuptias clandestine duxit cum ANASTASIA haeretica; sed nunc in meliorem frugem conversus dubitat de valore sui matrimonii.

BERHTA, FABIANUS et ANASTASIA casu in Germania nati sunt, origine sunt galli et in Gallia semper habuerunt domicilium, quamvis matrimonii clandestine contrahendi gratia in Germaniam ad breve tempus se contulerint.

HNC:

QUAER. 1.° *An et quatenus acatholici quoad matrimonia sive inter se sive cum catholicis inita regantur nunc* iure Codicis, *quo confirmatur decretum «Ne temere», et antea subiicerentur cap. «Tametsi»?*

2.° *Quinam veniant in* Codice *et in decreto «Ne temere» nomine catholicorum, et an eadem fuerit huius nominis significatio in antiqua disciplina capitis «Tametsi».*

3.° *Quid ad singulos casus?*

SOLUTIO:

1025. — *R. ad* 1^m *Quaes.* 1.° Matrimonia inita inter acatholicos non reguntur nunc iure Codicis et antea decreto *Ne temere,* ideoque ubicumque die 19 aprilis 1908, vel postea, inita fuerint vel ineantur, etsi clandestina sint, valida erunt. Matrimonia catholicorum cum acatholicis ubique reguntur iure Codicis et antea decreto *Ne temere,* nisi *uterque* contrahens natus sit in Germania et matrimonium in Germania ineatur (aut contrahentes nati sint in Hungaria et hic contrahant), quo in casu, etsi clandestinum, validum erit. S. C. C., 28 mart. 1908; S. C. de Sacr., 19 febr. 1909, 18 iun. 1909. Cfr. *Ferreres,* l. c., nn. 455, 530-532, 629 seq.

2.° In antiqua disciplina, ante decretum *Ne temere,* matrimonia haereticorum sive inter se sive cum catholicis, subiicebantur capiti *Tametsi,* ubi hoc publicatum fuerat. At ex concessionibus vel declarationibus Sedis Apostolicae valida erant horum matrimonia clandestina in pluribus regionibus subiectis cap. *Tametsi* (1).

(1) Harum catalogum sic affert *Ferreres* (El impedimento de clandestinidad, n. 100): EUROPA. — En *Gibraltar,* **Irlanda,** en toda **Rusia** aun en la *Polonia* rusa, en **Holanda,** en

1026.—*R. ad* 2.m *Quaes.* 1.° Nomine catholicorum in Codice et in decreto *Ne temere* significantur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint). Hi omnes tenentur legibus decreti *Ne temere* quoties inter se matrimonium ineant. Ita ex decreto *Ne temere,* art. XI, § 1. Quod valet etiam pro Imperio Germaniae. S. C. C., 2 febr. 1908, ad V et VI. Cfr. *Ferreres,* Los esponsales, etc., nn. 530-532.

2.° In antiqua disciplina nomine catholicorum significabantur hi tantum qui fidem catholicam actu profitebantur. Unde acatholicorum nomine veniebant omnes qui aut fidem catholicam nunquam fuerant professi, ne per baptismum quidem in Ecclesia catholica susceptum, aut si professi aliquando, ab ea defecerant. Cfr. S. Off., 17 nov. 1835, 6 apr. 1859 (*Collect. S. C. de P. F.,* nn. 842 ad 8, 1174, ed. 2.ª). *Ferreres,* Los esponsales, n. 453 seq.

1027. — *R. ad.* 3m *Quaes.* 1.° Si matrimonium initum fuerit in primo casu die 19 aprilis 1908, vel postea, validum est, quia clandestina matrimonia acatholicorum inter se valida ubique sunt post decretum *Ne temere* et post Codicem. At matrimonium nullum est si initum fuerit ante diem 19 apr. 1908. Quamvis contractum fuerit in domo legationis germanicae, revera contractum fuit in Hispania, ubi omnia matrimonia clandestina baptizatorum, etsi haereticorum, nulla erant et irrita, ideoque AGATHA poterit ad alias convolare nuptias.

2.° Matrimonium AGAPITI nullum est, si contractum fuit post decretum *Ne temere:* quia AGAPITUS in Germania natus non est, etsi illic contraxerit. Si antea fuit celebratum, validum dicendum est iuxta Const. *Provida,* quae valida declaravit in imperio Germaniae omnia matrimonia haereticorum sive inter se sive cum catholicis, et convalidavit quaecumque antea nulliter ex sola clandestinitate inita fuerant.

3.° Matrimonium FABIANI cum BERTHA nullum est si contractum fuit post decretum *Ne temere,* quia uterque etiam in Germania subiiciebatur praedicto decreto, eo quod uterque in Ecclesia catholica fuerit baptizatus (1). At matrimonium FABIANI cum ANASTASIA validum

---

Hungria, en *Transilvania,* y en las siguientes regiones de **Alemania:** en las diócesis de *Breslau,* de *Culma,* de *Gnesen,* de *Posen* y en el antiguo ducado *cliviense;* en la provincia eclesiástica de *Colonia,* en la diócesis de *Limburgo* y en la de *Emerland.* — En *Constantinopla* y en el barrio de *Pera.*

N. B. A die 15 aprilis 1906 valida erant eiusmodi matrimonia in universo Imperio Germaniae, iuxta Const. *Provida.*

«ASIA. — En *Georgia,* en el Vicariato de *Pondichery,* en la costa de *Coromandel,* en *Calcuta* y en el territorio de *Bombay.*

»AMÉRICA. — En la isla de la **Santísima Trinidad,** en el **Canadá,** y en todas las parroquias de los **Estados Unidos** sujetas al decreto, menos en la provincia de *Santa Fe*».

(1) Cfr. tamen decretum S. Off. 31 mart. 1911, apud *Ferreres,* Los esponsales, n. 453 nota.

est utpote contractum in Germania ab iis qui in Germania nati sunt et quorum alter haereticus est. Si ante diem 19 apr. 1908 fuisset contractum utrumque FABIANI matrimonium, utrumque nullum esset, eo quod contrahentes domicilium foventes in loco subiecto cap. *Tametsi* in fraudem legis se contulissent in locum exemptum matrimonii contrahendi causa. Ita ex declar. Urb. VIII, 14 aug. 1627. Cfr. *Ferreres,* El imp. de clandest., n. 87. At si consensus FABIANI et ANASTASIAE perseverabat die 15 aprilis 1906, hoc matrimonium, utpote contractum in Imperio Germaniae, videtur sanatum in radice per Const. *Provida.* Cfr. *Ferreres,* Los esponsales, etc., n. 551.

* CASUS XXXVI

DE FORMA CONTRAHENDI MATRIMONIUM

(Declarat. quoad iurisd. castr. **hispan.**)

1.° MARTHA in *concubinatu* vivebat cum TITO, milite hispano. Volentes autem legitimum contrahere matrimonium, ad capellanum castrensem se contulerunt, qui accepta delegatione sui superioris eos coniunxit, nullo interventu, nullaque requisita licentia parochi iurisdictionis ordinariae.

2.° NAZARIUS, miles hispanus, matrimonium iam iam initurus cum BERTHA, in aliam civitatem iussu ducis translatus est, quo eum sequuta est BERTHA cum matre sua, ut in nova residentia NAZARII nuptiae celebrarentur, et statim mater BERTHAE in suum reddiret domicilium. Dum autem ventum est ad benedicendas nuptias, dubium exortum fuit cui haec benedictio competeret, an capellano militari, an BERTHAE parocho, an vero parocho actualis commorationis.

HINC:

QUAER. 1.° *Quinam pertineant ad iurisdictionem castrensem?*
2.° *Quinam parochus matrimoniis militum adesse debeat iuxta antiquam disciplinam?*
3.° *An haec disciplina immutata sit per decretum «Ne temere» aut per Codicem?*
4.° *Quid ad singulos casus?*

SOLUTIO:

1028. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Iurisdictioni castrensi subiiciuntur: *a)* quotquot pertinent ad militiam activam sive maritimam sive terrestrem nec non eorum legitimae uxores, filii non emancipati (et etiam emancipati, si in paterna domo simul cum patre vivant), denique eorum famuli; *b)* quotquot regios exercitus sequuntur eisque inserviunt;

c) quotquot degunt in locis militari imperio subiectis; *d)* demum quicumque apud vicariatum castrensem muneribus funguntur (1).

1029. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Si *uterque* contrahens ad castrensem iurisdictionem pertineat, matrimonium, *ut validum sit,* contrahendum est coram parocho castrensi, *i. e.* coram eo qui gerit vices Vicarii Generalis castrensis *(Teniente Vicario General castrense),* aut (ex eius delegatione) coram capellano castrensi.

2.° Si *alteruter* tantum ex contrahentibus subiiciatur castrensi iurisdictioni, matrimonium *valide* contrahitur coram parocho alterutrius; *licite* non, nisi praesente utriusque parocho, et nuptias benedicente parocho sponsae. *Ferreres,* l. c., nn. 169-189. V. **Comp.,** l. c.

1030. — *R. ad* 3m *Quaes.* Directe non est immutata, ut patet ex responso S. C. C. 1 febr. 1908: «VII. Ubinam et quomodo capellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at iurisdictionem directe exercentes in personas aut familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant valide matrimoniis suorum subditorum adsistere valeant».— *R.* «Ad VII. Quoad capellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum». Idem tene post Codicem. **Comp.,** n. 1092.

Indirecte vero aliqua immutatio fit: nam 1.° parochus iurisdictionis territorialis qui adesse debet ad validitatem vel liceitatem quando alteruter tantum contrahentium subiicitur iurisdictioni castrensi, non est parochus domicilii aut quasi-domicilii, sed parochus territorii in quo matrimonium celebratur; 2.° videntur etiam pro militibus abolita matrimonia ex inopinato; 3.° itemque videntur subditi iurisdictionis castrensis posse contrahere iuxta can. 1043, 1044, Codicis. Cfr. *Ferreres,* Los esponsales, etc., n. 533, seq.; 639.

1031.—*R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Matrimonium in primo casu fuit quidem validum, sed illicitum: parochus enim territorialis iurisdictionis erat parochus MARTHAE, ideoque ad ipsum spectabat ius benedicendi matrimonium. Ratio est, quia MARTHA non erat uxor legitima TITII, et consequenter neque subdita erat iurisdictionis castrensis. Cfr. *Ferreres,* El imped. de clandest., n. 189 seq.

2.° Benedictio matrimonii in secundo casu competit parocho iurisdictionis territorialis, illi scilicet in cuius territorio matrimonium contrahatur, qui ut videtur erit parochus civitatis quo NAZARIUS iussu ducis translatus est, et ubi BERTHA actualem habet commorationem. Si commoratio iam a mense illic perduret, parochus nullius opus habet licentia ut licite assistat; secus licentiam petere debet a parocho domicilii BERTHAE.

---

(1) Cfr. *Ferreres,* El impedim. de clandestin., nn, 128-137; *Martínez,* Man. del clero castrense, pag. 201; *O'Callaghan,* Práctica parroq., part. 4, cap. 2 (ed. 7.ª) V. **Comp.,** n. 1091.

* CASUS XXXVI *bis*

ASSISTENTIA PAROCHI

Iuxta **antiquam** *disciplinam.*

1.° SALVIANUS, vir dives, BLANDINAM e domo matris abducit, et eam diuturna stupri consuetudine implicatam tenet. Postea vero, ad meliorem frugem revocatus, puellam propriis expensis in matrimonium MARINO opifici anno millesimo nongentesimo sexto collocavit. Ipse SALVIANI parochus matrimonium benedixit. Paucis mensibus elapsis, BLANDINA, virum pertaesa, rursum se domum SALVIANI recepit. Quapropter MARINUS divortium ab ea facere statuit, immo ad alias nuptias convolare proposuit, contendens matrimonium esse nullum, quia parochus illegitimus, seu parochus concubini, illi praesens fuit.

2.° BERTHOLDUS, caelebs, vir ditissimus, solet singulis annis se conferre in villam quam habet in loco valde dissito, ut mense uno tantum, scilicet mense septembri, ibi commoretur. Data autem occasione, licet septuagenarius, matrimonium inire statuit cum FLAVIANA, repugnantibus cognatis, qui hereditati inhiabant. Voluit autem nuptias in villa inire, tempore solito quo in villam tendebat, ut maiori gaudio celebrarentur. Igitur rogatus loci parochus matrimonium benedixit anno 1907, et laeti convivii particeps fuit. Paulo post BERTHOLDUS, carens filiis, instituta uxore sua omnium bonorum herede, repente obiit. Sed heredes legitimi contenderunt FLAVIANAM minime fuisse BERTHOLDI uxorem legitimam, cum illegitimus parochus matrimonio astiterit, adeoque invalidum fuerit matrimonium.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis parochus assistere debebat in antiqua disciplina?*

2.° *Quid de validitate utriusque matrimonii?*

SOLUTIO:

1032.—*R. ad* 1^m *Quaes.* Ille solus parochus valide assistere *poterat* matrimonio, qui erat proprius parochus alterutrius contrahentium ratione domicilii habitualis aut quasi-domicilii sponsorum, seu alterutrius eorum in eius paroecia. Ad acquirendum domicilium, vel quasi-domicilium duo requiruntur et sufficiunt, scilicet: *a)* factum actualis habitationis, et *b)* intentio *ibi* perpetuo commorandi, vel saltem per maiorem anni partem. Haec duo si habebantur, *primo ipso die* poterat quis valide contrahere, sicut reliqui incolae illius loci. Cfr. dicta vol. 1, n. 82.—V. **Comp.,** vol. 1, n. 162, *N. B.,* et *Ferreres,* El impedim. de clandestin., nn. 34-52.

1032 *bis.—R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Validum est matrimonium BLANDINAE et MARINI. Ratio est, quia parochus SALVIANI, qui huic matrimonio astitit, gaudebat iurisdictione sufficienti in BLANDINAM. Haec enim e domo materna aufugiens, statuit habitare diu et indefinite apud SALVIANUM; ergo apud ipsum verum domicilium acquisivit. S. C. C., 13 iul. 1868 (*Acta S. Sedis*, vol. 4, pag. 249).

2.° Matrimonium BERTHOLDI ut invalidum habendum est. Ratio est, quia BERTHOLDUS in villa non habebat quasi-domicilium, cum non habuerit illic intentionem commorandi saltem per maiorem anni partem. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 39 seq.

N. B. In *nova* disciplina utrumque validum fuisset. Primum etiam licitum; alterum vero nonnisi post integrum mensem actualis ac moraliter continuae commorationis: quod vero annis praecedentibus per mensem illic commoratus fuerit non videtur sufficiens.

* CASUS XXXVII

DE IMPOTENTIA FEMINEA 1.°

TITIUS, amore BERTHAE captus, sponsalia cum ea contraxerat, iamque tempus matrimonii ineundi instabat, cum BERTHA in morbum incidit, a quo sanari non potuit nisi duplicem passa ovariotomiam. Medicus chirurgus, qui hanc operationem peregerat, et TITIUM monuit et parochum: mulierem scilicet effectam, ob ovariotomiam, impotentem, ideoque futurum matrimonium impedimento dirimenti nullum esse. Etenim eunuchi, sic aiebat ille, utroque teste carentes, quia nequeunt emittere semen, quod requiritur ad generationem, prohibentur a valido matrimonio contrahendo, quamvis coire valeant: atqui mulier utroque ovario orbata nequit ovula subministrare, quae ad generationem omnino sunt necessaria; ergo quamvis possit optime copulari cum quadam voluptatis satisfactione, nequit validum unquam inire coniugium.

Non acquievit TITIUS, et ipsum parochum consuluit. Neuter tamen ab argumento chirurgi valuit se extricare.

HINC:

QUAER. 1.° *An ovaria muliebria omnino sint ad generationem necessaria?*

2.° *An sicut carentia utriusque testiculi inducit in viro impedimentum impotentiae, ita etiam in femina absentia utriusque ovarii impotentiam pariat?*

3.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

1032 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* Sicut enim *spermatozoida,* quae ex parte viri omnino sunt ad generationem necessaria, elaborantur in testiculis, sic etiam *ovula,* pariter ex parte feminae necessaria ad generationem novi hominis, sedem habent in *ovariis* muliebribus extra uterum hinc inde ad partem eius superiorem positis; quae si omnino desint, ovula deficiant necesse est, ideoque impossiblis omnino evadit generatio ob defectum elementi essentialis. V. **Comp.**, vol. 1, n. 499.

1032 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Acriter disputatur. Prima sententia *affirmat,* eamque tuentur *Antonelli,* De conceptu impotentiae ac sterilitatis, Pro conceptu impotentiae et sterilitatis, De mulieris excisae impotentia; *Buccer.*, Inst. Th. mor., 2, n. 994; et *Casus Romae ad S. Apoll. (Analecta eccl.* ann. 11, pag. 228 seq.); *Villada,* Casus, 3, pag. 269 seq. (ed. 1.ª); *Rosset,* n. 1408 seq.; *Santi-Leitner,* lib. 4, tit. 5, n. 1, nota; *Noldin,* De Sacram., n. 577. *P. Wernz,* illam esse praeferendam iudicat (Ius Decretal., vol. 4, n. 345, nota 34). Huic opinioni favent quatuor declarationes *nullitatis* S. C. Conc., inter quas celebris fuit illa *monasteriensis,* 10 mart. 1899. Cfr. *Acta S. S.,* vol. 32, pag. 449 seq., et *Ferreres,* De vasectomia duplici, necnon de matrimonio mulieris excisae, n. 268 seq.

Negat vero alia sententia, quam propugnant *Card. Gasparri,* De matr., n. 530 seq.; *Card. D'Annibale,* 3, n. 431, nota 9; *Eschbach* Disp. phys. theol., d. 2, part. 2, cap. 3, De novo quodam sterilitatis conceptu, et de essentia impedimenti impotentiae (cfr. *Analecta eccles.,* vol. 10, pag. 85, 135, 235, 313, 466, 494, et vol. 11, pag. 269); *Génicot,* 2, n. 503; *Berardi,* Praxis, vol. 4, n. 800 seq., et ad fin. vol., pag. 646; *Laurentius,* Inst. iur. can., n. 619; *Tanquerey,* I Suppl., n. 6; *Aertnys,* 2, n. 563; *Sebastianelli,* De rebus, n. 65; *Nouvelle Rev. Théol.,* vol. 20, pag. 82, *et alii.* Disparitatem afferunt inter mulierem, quae caret ovariis, et eunuchum, nam: 1.° hic nec vaginam mulieris communiter penetrare potest, vel saltem copulam nequit habere, quae sit pro femina voluptatis plene satiativa, sed periculis feminam exponit ob defectum seminis; femina autem ovariis orbata quoad copulam eodem modo se habet ac aliae mulieres; 2.° posse emittere verum semen se tenet ex parte copulae, cum virile semen in copula emittatur; ovaria vero et ovula de materiali se habent in copula; 3.° defectus ille in viro facile cognosci potest; in femina autem difficillime, ita ut ipsa ovariorum exsistentia per plurima saecula vel ipsos artis medicae ac chirurgicae peritos latuerit, et hodie eorum absentia nonnisi secando mulierem potest certo cognosci; iam vero difficile creditu est validitatem matrimonii a re tam abscondita et incerta pendere (vide n. seq.); 4.° nulla hucusque prodiit sententia declarans invalidum matrimonium ob *solam* carentiam ovariorum et

uteri: nam in celebri illa causa *Monasteriensi,* 18 mart. 1899, allegabatur praeterea brevitas vaginae, idemque defectus vel alius in vagina allegabatur in tribus aliis causis quae aferri solent. Cfr. *Acta S.S.,* vol. 32, pag. 449 seq.; et cit. votum *Lapponi.*

Vide hanc materiam latius expositam apud *Ferreres,* De vasectomia duplici, n. 268 seq., et in eph. *Razón y Fe,* l. c. Haec opinio confirmari videtur quinque responsis SS. Congregationum ex quibus quatuor sunt S. Officii, et horum primum, datum 3 febr. 1887, sic se habet: «Num mulier, per utriusque ovarii excisi defectum *sterilis effecta,* ad matrimonium ineundum permitti valeat et liceat, necne?». — *Resp.* «Re mature diuque perpensa, matrimonium mulieris, de qua in casu, non esse impediendum».

Sacra vero Congr. de Sacramentis, interrogata an scilicet permittendum aut prohibendum esset matrimonium feminae cui uterus et utrumque ovarium *totaliter* ablata fuerant, respondit die 2 aprilis 1907: «Detur responsum S. Congr. S. Officii diei 23 iul. 1890 in causa *Quebecen.,* scilicet matrimonium non esse impediendum». Iam vero cum hoc responsum datum fuerit a Congr. de Sacramentis, immo a Congressu ipsius congregationis, qui res tantum faciles et obvias expedire solet, videtur dicendum S. Officium iudicasse iam hanc materiam satis discussam, *saltem pro praxi,* ideoque in posterum, et donec forte aliud statuat Papa, non esse impedienda huiusmodi matrimonia, sed permittenda quin opus sit nova aliqua inquisitione in casibus particularibus, ideoque rem remissit iam ad S. Congr. de Sacramentis, immo ad Congressum ipsius. Et quidem in hoc casu nulla inquisitio facta fuit, quamvis in precibus dictum fuerit ex testimonio medici, qui operationem peregit, ablationem uteri et utriusque ovarii fuisse **totalem**. Documenta authentica vide apud *Ferreres,* De vasectomia duplici necnon de matrimonio mulieris excisae, n. 233 seq., et eph. *Razón y Fe,* vol. 26, pag. 101 seq., ubi omnia publici iuris prima vice facta sunt, quibus lectis, clariss. *Desmet,* De sponsalibus, etc., n. 278 (ed. 2.ª), secundam sententiam suam fecit. Plura vide infra, n. 1032, *f.,* et in **Comp.,** n. 1005.

1032 *c.* — *R. ad* 3^m *Quaes.* In casu standum esse videtur pro libertate, seu matrimonium BERTHAE non esse impediendum. Ratio est: 1.° quia huic libertati favent praedicta responsa S. Off. et S. C. de Sacr.; 2.° quia prima sententia non est probabilior nec multo minus *certa;* immo quamvis *certa* esset, adhuc matrimonium non esset impediendum, nisi *certo* constaret BERTHAM non habere ovarium aliquod supplementarium (ut plures feminae de facto habent) neque relictam fuisse a chirurgo, etiam nolente, portiunculam aliquam ovariorum, quam facile relinqui contingit, cum tales operationes celerrime fieri necesse sit. V. **Comp.,** l. c.

Nec videtur iam necessarium his in casibus recurrere ad Sanctam Sedem. Etenim, ut nobis testatus est egregius canonista Romae do-

cens, S. C. de Sacram. solet iam respondere casus huiusmodi non egere examine, sed responsa illa «*matrimonium non esse impediendum*» valere pro omnibus. Et confirmatur ex Codice, ubi legimur: «Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum» (can. 1068, § 2).

* CASUS XXXVIII

DE IMPOTENTIA FEMINEA 2.°

TITIUS cum CAIA matrimonium contraxit. Tres iam anni effluxerant in bona pace et animorum concordfa eodem toro utentes, remque coniugalem habentes, cum TITIUS, eo quod CAIA nunquam menstruationem experta fuerit, suspicari incipit an suum matrimonium nullum sit ob CAIAE impotentiam. Rem detulit medico, a quo hoc habuit responsum: CAIAM non iam ob defectum menstruationis, sed propter *hysteroctomiam* (sive uteri ablationem), quinque abhinc annis peractam, esse impotentem, ideoque eius matrimonium esse omnino irritum. Tunc TITIUS, ut propriae conscientiae consulat, singula confessario exposuit, eique facultatem fecit casum intimius cum peritis viris, sive in re canonica et morali, sive in scientia medica, discutiendi. Iis tamen diversas in sententias abeuntibus (nam alii nullum matrimonium pronuntiabant, quia fieri huiusmodi coniuges una caro non poterant, tum ob carentiam menstruationis, tum ob defectum uteri; quae omnia et singula ab aliis negabantur), confessarius rem esse saltem dubiam intellexit, unde TITIO bono animo esse iussit, et coniugali genio, sicut antea, bona posse conscientia indulgere significavit.

HINC:

QUAER. 1.° *An perpetua menstruorum absentia signum sit certum impotentiae, vel saltem sterilitatis?*

2.° *Quid requiratur ad hoc ut coniuges fieri una caro dicantur, vel quid veniat nomine copulae per se aptae ad generationem?*

3.° *An uteri carentia impotentiam constituat, vel saltem certam sterilitatem?*

4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

1032 *d.* — *R. ad* 1^m *Quaes. Neg.*, quamvis enim menstruatio sit signum certum ovulationis, et fere semper una aliam comitetur, non tamen defectus menstrui est signum certum impotentiae aut sterilitatis, cum multae feminae sine menstruis purgationibus conceperint; et aliunde, cum post cessationem, et quidem longo tempore, menstruorum, haec denuo multoties apparuerint, bene etiam poterit quis suspi-

cari ea aliquando futura etiam in his feminis, quae talia menstrua nunquam expertae sunt (1).

1032 *e.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Non conveniunt auctores, sed huc devolvitur tota disputatio, de qua dictum est in casu praecedenti, cum certum ab omnibus habeatur matrimonium consistere non posse inter eos, qui copulae *per se* aptae ad generationem incapaces sint, vel qui effici nequeant una caro. Alii enim dicunt: *a)* coniuges fieri unam carnem, cum ex foecundatione ovuli feminei per spermatozoida habetur conceptio; et *b)* copulam *per se* aptam ad generationem non haberi, nisi vir et femina respective subministrare *possint* elementa *essentialia* ad generationem. Ideoque deficientibus sive ovariis feminae, sive *testiculis* in viro, impossibile esse talem copulam haberi, et quod coniuges fieri possint una caro, omnino propugnant. Cfr. *Antonelli,* ll. cc.

Alii vero copulam huiusmodi *in sensu canonum* eam esse dicunt, in qua vir verum semen emittit in vas debitum, quia tunc datur commixtio seminum et consequenter coniuges fiunt una caro, iuxta *S. Thom.* (in IV, disp. 41, a. 1, q. 4, ad 2), dicentem: «vir et mulier efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem *seminum*». Deficientibus autem ovariis adhuc semen femineum habetur, cum emittatur per glandulas vulvo-vaginales. Cfr. *Eschbach,* ll. cc.—V. **Comp.,** l. c.

1032 *f.* — *R. ad* 3m *Quaes.* Pariter disputatur. Iuxta auctores secundae sententiae sola uteri carentia nec impotentiam constituit nec sterilitatem, cum talis femina adhuc capax sit conceptionis extra-uterinae, sive ectopici conceptus. V. **Comp.,** vol. 1, n. 500.

Confirmatur *a fortiori* haec sententia ex resp. S. Off. 23 iul. 1890, quod sic se habet: «Num mulier N. N., cui operatione chirurgica ablata sunt *duo ovaria* et *uterus,* admitti possit ad matrimonium contrahendum? Et re mature perpensa, eminentissimi domini Cardinales, una mecum Inquisitores generales, decreverunt: Matrimonium non esse impediendum».

Quod responsum maiorem accepit confirmationem ex alio S. C. de Sacram. supra, n. 1032 *b,* relato.

Alii vero etiam in hoc casu impotentem esse mulierem affirmant, quia, ut aiunt, deficiente utero, vagina semper ita suturatur, ut omnem communicationem impediat inter ipsam et ovaria; et consequenter inter spermatozoida et ovula feminea: unde impossibilis fit omnis conceptio etiam extra-uterina. Cfr. *Antonelli,* De conceptu impotentiae, n. 109 seq. At si haec ita sint, responderi poterit hanc

---

(1) Cfr. *Zacchias,* Quaestiones medico-legales, l. 1, tit. 3, q. 3, n. 29 seq.; et lib. 3, tit. 1, q. 3, n. 20 seq.; *Antonelli,* De conceptu impotentiae et sterilitatis, n. 103. — V. **Comp.,** n. 1009, q. 4.°

obturationem non inducere impotentiam, secus responsum S. Officii vix intelligi potest. V. **Comp.**, vol. 2, n. 1005.

1032 *g.* —*R. ad* 4m *Quaes.* TITIUS in bona pace poterit cum uxore permanere, et copulam coniugalem habere. Patet ex dictis, tum hic, tum in casu praecedenti. Cfr. *Rosset,* De matrim., n. 1410 in fine.

* CASUS XXXIX

DE VASECTOMIA DUPLICI AC DE SANATIONE MATRIMONII IN RADICE

TITIUS, matrimonium contraxit cum BERTHA, a qua post aliquot annos recessit. Tunc BERTHA civiliter unita fuit cum SEMPRONIO, a quo tres habet filios; at cum nunc valde doleat de statu damnationis, in quo vivit, ad confessarium accedit. Hic, captis informationibus, plane intellexit TITIUM duplicem passum fuisse vasectomiam, ideoque putat primum BERTHAE matrimonium invalidum fuisse. Hanc igitur interrogat num SEMPRONIUS paratus sit ad matrimonium cum illa ineundum in facie Ecclesiae. Respondet BERTHA SEMPRONIUM esse quidem baptizatum, sed nullam profiteri religionem, ideoque nullo modo velle coram Ecclesia contrahere. Dubitat autem confessarius an in casu locum habere possit sanatio matrimonii in radice.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid sit vasectomia duplex, et an virum impotentem reddat?*

2.° *Quid vero si, post peractam vasectomiam, redintegratio communicationis testes inter et canales deferentes obtineri possit?*

3.° *An primum* BERTHAE *matrimonium fuerit omnino nullum?*

4.° *An secundum legitimari in casu possit?*

SOLUTIO:

1032 *h.* — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Est operatio qua viro secantur canales utriusque testiculi deferentes semen, ita ut impediatur communicatio inter testes et virile membrum, ideoque vir semen emittere amplius non potest, testes tamen retinet, qui semen verum, et ex se prolificum, adhuc pergunt elaborare. Cfr. *Ferreres,* De vasectomia duplici, nn. 11-19. — 2.° *Affirm.*, quia vir qui huiusmodi operationem passus est, verum semen emittere non potest, ut dictum est, quamvis membrum erigere, vas feminae penetrare, in eoque liquidum illud quod in distillatione emittitur, emittere etiam possit, non secus ac possunt castrati in adulta aetate. Atqui ad hoc ut vir sit potens, requiritur ut verum semen emittere in vas femineum possit. Ergo... Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 21 seq., 63 seq., 105 seq.

1032 *i.* — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Quod sciamus, nunquam talis redintegratio in viro aliquo post vasectomiam obtenta fuit, sed tantum in casibus forte similibus. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 218 seq. — 2.° Etiam auctores qui propugnant possibilitatem huius instaurationis fatentur opus esse delicata operatione, quae scilicet exigat chirurgum peritissimum, nec secura est quoad optatum finem obtinendum. Hinc, etiam admissa hac physica possibilitate, cum talis operatio non possit recenseri inter media ordinaria, et dubius sit exitus operationis, nisi vasectomia sit recenter peracta, virum duplicem vasectomiam passum (donec redintegratio de facto obtineatur) esse censendum perpetuo impotentem in ordine ad dirimendum matrimonium. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 230 seq. Quando ergo sacri canones dicunt non esse perpetuam impotentiam eam quae tolli potest per operationem non afferentem mortis periculum, hoc intelligunt de obvia operatione qua certo auferatur impotentia. — 3.° Quod si haec redintegratio facilis et obvia fuerit, haec in hypothesi impotentia non erit quidem dicenda perpetua, sed usus copulae esset omnino illicitus, etiam post legitimum coniugium, quia tunc vasectomia aequivaleret mediis illis onanisticis quibus aliqui abutuntur ad copulam perpetrandam. *Ferreres,* l. c., n. 63 seq.

1032 *k.* — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.*, si vasectomia duplex praecesserit celebrationem matrimonii.

R. ad 4m *Quaes. Affirmative,* ut patet ex dicendis n. 1071.

* CASUS XL

DE LICEITATE VEL ILLICEITATE VASECTOMIAE

PETRUS CAIAM, quam vehementissime amabat, uxorem duxit, quamvis paucis ante matrimonii celebrationem diebus certo ipsi constiterit CAIAM esse lepra infectam. Nunc PETRUS neque a copula abstinere vult, nec onanistice uti matrimonio, quia catholicus et pius est, et aliunde filios formidat procreare, quia eos lepra infectos futuros et brevi post multas aerumnas morituros timet. Hinc statuit duplicem pati vasectomiam, et hac de re cum medico sermonem habet. Uterque tamen, altero inscio, ad SEMPRONIUM confessarium recurrit, ut de liceitate aut illiceitate talis operationis certiores fiant, quod SEMPRONIUS scire praesertim cupit quia in medicis ephemeridibus talem operationem laudatam cernit et paulo post sententiam suam in quadam medica academia dicere debet, ubi disceptatur an Status praedictam operationem in poenam criminis hominibus imponere possit, eamve saltem decernere ad vitandam procreationem prolis infirmitatibus ac vitis obrutae.

HINC:

QUAER. 1.° *An Status vasectomiam duplicem decernere possit sive in poenam criminis, sive in alio quocumque casu?*

2.° *An haec operatio licita sit, libere consentiente eo in quo peragitur?*

3.° *An medicus aliquo in casu eam peragere licite possit?*

4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

1032 *l.* — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* Ratio praecipua est quia per talem operationem motus venerei non auferuntur, immo potius augentur, et aliunde, ut supra probatum est, talis vir nequit contrahere matrimonium. Ergo obligatur ad coactum caelibatum et coniicitur in necessitatem moralem peccandi. — Coactus caelibatus huiusmodi est quod nulla lege naturali nec divina positiva praecipiatur. Cfr. *Ferreres,* De vasectomia duplici, n. 33 seq. Praeterea haec operatio constituit gravem mutilationem (cfr. *Scotus,* in IV Sent., dist. 15, q. 3, n. 4), et homo non habet dominium in propria membra, nisi in quantum hoc sit necessarium ad vitam salvandam, etc. Iam vero nec societas habet tale dominium, ideoque huiusmodi poenam imponere nequit nisi in quantum hoc sit necessarium ad bonum societatis. Atqui non est necessarium neque pro ipsius delinquentis emendatione qui non melior efficietur, sed peior; et aliunde adsunt alia media ad hominis correctionem obtinendam.

A fortiori nec est necessarium pro filiis (ne scilicet liberi, facinorosi futuri generantur), cum a parente vitiis infecto filii optimis virtutibus praediti procedere possint, si recte ad bonos mores informentur. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 46 seq., 56 seq.

Dices: Status potest criminosos homines poena capitali afficere; ergo poterit vasectomiam decernere contra ipsos, quamvis haec gravem mutilationem constituat. — *Resp.* Status quidem poterit sive mortem sive gravem mutilationem decernere, non autem eam quae hominem impellat contra castitatem. Ibid., n. 53 seq., 76 seq.

Et quamvis effectus vasectomiae facile possent reparari, adhuc operatio illicita esset, quia, ut dictum est, aequivaleret mediis illicitis quibus scelerati homines pro lubitu abutuntur ad impediendam generationem. Ibid., n. 63 seq.

1032 *m.* — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.,* excepto forte casu infirmitatis quo necessaria sit, v. gr. ad salvandam vitam infirmi. Unde adhuc tunc reprobanda est uti graviter illicita: 1.° si ideo eam quis quaerat ut matrimonio legitime iam contracto uti possit absque timore filios procreandi, prout est nimis apertum, omnesque id dicunt de femina cui ideo ovaria amputarentur; 2.° a fortiori si de soluto agatur qui castita-

tem servare non intendat; 3.° etiam si id pati vellet qui ex voto aut ex statu suo teneatur et velit castitatem servare, nam dominium in propria membra non habet, et haec operatio potius auget tentationes contra castitatem, quibus nemini licet se exponere absque gravissima causa. *Ferreres,* l. c., n. 61 seq.

1032 *n. — R. ad* 3^m *Quaes. Affirm.* in casibus (si dentur) in quibus operatio putetur necessaria ad salvandam vitam infirmi vel ipsum a gravissimo morbo liberandum, vel etiam quando quis licite consentit ut sibi fiat, v. gr., si quis damnaretur a iudice ad mortem subeundam et illi daretur electio inter mortem et vasectomiam: sicut enim hic licite potest eligere vasectomiam ad servandam vitam, ita medicus eam perficere, quamvis Status *per se* ageret illicite.

Quid vero in casibus in quibus Status imponat vasectomiam, v. gr. ad praecavendam propagationem hominum qui morbo affecti sunt? *Per se* operationem peragere medicus non potest; si tamen ille morbo affectus privandus esset perpetuo sua libertate usuque coniugii nisi vasectomiam subire vellet, videtur hic etiam posse eligere vasectomiam ut minus malum, quam esset perpetua amissio libertatis, et conformare se legibus vel praeceptis publicae auctoritatis, ut se redimat ab iniusta et gravissima vexatione; et consequenter etiam medicus, illo postulante, operationem posset peragere, praesertim si secus gravissima ab ipso medico essent incommoda subeunda, v. gr. amittere munus officiale a quo forte pendeat familiae sustentatio. *Ferreres,* l. c., n. 68, *N. B.*

1032 *o. — R. ad* 4^m *Quaes.* Ex dictis iam patet SEMPRONIO non licere subire talem operationem. Si vero eam iam subierit, videtur de eo iudicandum sicut de his qui castrati sunt post contractum matrimonium, quibus nonnulli concedunt usum coniugii. **Comp.,** n. 1004.

CASUS

DE DISPENSATIONIBUS MATRIMONII

SEU

De potestate dispensandi; de causis dispensationis; de obreptione et subreptione in petenda dispensatione; de errore in postulato, vel responso; de matrimonii revalidatione.

* CASUS I

DE POTESTATE DISPENSANDI

1.° Synesius et Flavia, in secundo gradu affinitatis coniuncti, et diversae dioecesis, matrimonium ineunt, obtenta dispensatione a solo sponsi Episcopo, facultatem dispensandi in tali gradu ex indulto pontificio habente. Postea autem parochus, qui nuptias benedixit, dubitat de matrimonii valore.

2.° Analectus, parochus, sponsos in ecclesia iam iam coniuncturus, detegit ipsos *publicae honestatis* impedimento ex publico et notorio concubinatu sponsi cum matre sponsae obstrictos esse. Quid consilii capesset? Coniungetne illos cum impedimento dirimente? aut e contrario eos cum magno adstantium vel totius paroeciae rumore et scandalo dimittet? Eum undique premunt angustiae. Quid tu eius loco fecisses?

Hinc:

Quaer. 1.° *Quis dispensare possit in impedimentis matrimonii?*

2.° *An quandoque Episcopus, urgente gravissima causa, dispensare valeat?*

3.° *An validum fuerit matrimonium* Synesii *et* Flaviae *in primo casu?*

4.° *Quid parochus facere debuerit in secundo casu?*

Solutio:

1033.— *R. ad* 1m *Quaes.* Solus Papa dispensare potest in impedimentis sive *impedientibus* sive *dirimentibus* ecclesiasticis, de iure ordinario, quia agitur de lege universalis Ecclesiae in re gravissima.

Constat ex praxi constanti Ecclesiae, necnon ex Codice, can. 1040.— V. **Comp.**, n. 952.

1034. — *R. ad* 2m *Quaes.* Episcopus dispensare potest urgente mortis periculo, ut supra dictum est, n. 1022 *a,* iuxta can. 1043.— Praeterea «possunt Ordinarii locorum, sub clausulis in fine can. 1043 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in cit. can. 1043, quoties impedimentum detegatur, cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur. — Haec facultas valeat quoque pro convalidatione matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem. — In iisdem rerum adiunctis, eadem facultate gaudeant omnes de quibus in can. 1044, sed solum pro casibus occultis in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti» (can. 1045).

N. B. 1.° Conceditur facultas can. 1043 (supra, n. 1022 *a)* ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, ideoque locum habere poterit quoties per matrimonium scandalum reparari potest ex concubinatu, ex civili matrimonio, etc., aut tolli occasio peccati, aut illatum damnum plenius reparari, aut fama melius restitui, etc. Item quoties per matrimonium proles legitimari possit in foro ecclesiastico, aut in civili, vel facilius obtineri ad hoc Principis rescriptum. V. **Comp.**, n. 952.

2.° «Parochus aut sacerdos de quo in can. 1044, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum» (can. 1046).

1035. — *R. ad* 3m *Quaes.* Valet matrimonium Synesii et Flaviae, saltem *probabilius.* Ratio est, quia cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, eum habilem reddit ad contrahendum cum altero; unus enim fieri nequit habilis ad nuptias cum altero celebrandas, quin hic vicissim habilis evadat ad matrimonium cum illo ineundum, siquidem haec omnino correlativa videntur. Adde quod Papa, Episcopum delegando, totum ius suum ei tribuit; ergo valet Episcopi dispensatio, perinde ac si a Papa ipso concederetur. Insuper, si dispensatio non valeret pro utroque sponso, alter ad Papam recurrere deberet ut dispensaretur, si Episcopus proprius indulto ad dispensandum non gauderet. Sed ad quid tunc, quaeso, inserviret dispensatio prior ab Episcopo obtenta? — Haec sententia est omnino tuta in praxi ex S. C. de Prop. Fide, 19 sept. 1861 *(Collect.,* n. 1466), et ex S. Off., 31 mart. 1872, iuxta dicta n. 1034. Cfr. *Buccer.,* n. 1044. — V. **Comp.**, n. 956.

1036. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Si possit adiri Episcopus, v. gr. si adsit in loco, dispensatio ab eo obtinenda est, et confirmari videtur ex canone 1028. *S. Alph.,* l. 6, n. 613; *Laymann,* etc. **Comp.**, n. 1041.

2.° Si recursus non possit haberi ad Episcopum, ut plerumque eveniet, tunc ipse parochus dispensare poterit, iuxta dicta in ipso n. 1034.

* CASUS II

CAUSAE EXPONENDAE 1.°

NICETAS, coniugatus, sed longe a regione ubi uxor vivit degens, in crimen adulterii et promissionis matrimonii lapsus est cum RUFINA, sibi in tertio et quarto gradu consanguinea. Postea vero RUFINAM ducere exoptans, facultatem petiit transeundi ad secundas nuptias cum de morte uxoris probabilia non vero certa omnino argumenta habeantur, itemque dispensationem a S. C. de Sacramentis postulavit a quarto consanguinitatis gradu, tacendo tertium gradum, necnon impedimentum criminis. In alio autem supplici libello, ad S. Paenitentiariam directo, impedimentum criminis solummodo expressit. Inito autem matrimonio, haec in confessione declaravit. Quare confessarius anxius haeret de matrimonii valore.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam, in petitionibus matrimonialium dispensationum, requirantur ad earum valorem?*

2.° *An in casu tertius gradus, seu propior in petitione ad valorem dispensationis, exprimi debuerit?*

3.° *Quomodo petenda sit dispensatio, si adsint duo impedimenta, quorum unum publicum sit, alterum occultum?*

4.° *Quid si in casu nulla dispensatio petita fuerit ab impedimento criminis?*

SOLUTIO:

1037. — *R. ad* 1m *Quaes.* Sequentia in dispensationis petitione exprimenda necessario sunt: 1.° vera (pro gradibus maioribus requiritur ad validitatem, pro minoribus ad liceitatem) causa movens ad dispensationem postulandam; 2.° omnia impedimenta, etiam in specie infima, v. gr. affinitas ex matrimonio sive rato sive consummato; 3.° gradus consanguinitatis, vel affinitatis, aut honestatis ex matrimonio invalido aut ex publico et notorio concubinatu; et si oratores sint coniuncti in secundo gradu attingente primum, illa circumstantia necessario exprimenda est; 4.° filiatio ex cognatione spirituali; 5.° *numerus impedimentorum,* v. gr. si praeter cognationem adsit etiam affinitas; vel si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas; 6.° si agatur de matrimonio iam contracto, exprimi debet an bona vel mala fide initum fuerit, an clandestine, an consummatum sit. V. **Comp.**, n. 960. — Certum tamen videtur non esse necessario exprimendam matrimonii consummationem nec malitiosam intentionem, qua illud

fuerit consummatum, saltem si matrimonium non adducatur ut causa motiva dispensationis (1).

1038. — *R. ad* 2^n *Quaes. Negative;* licet enim, de stylo Curiae, in linea inaequali uterque gradus exprimi ad *liceitatem* debeat, attamen ad *validitatem* sufficit ut referatur gradus remotior a stipite, quia ille est a quo gradus numerantur. Excipitur, si oratores sint in *secundo* gradu attingente *primum,* tunc enim haec circumstantia primi gradus necessario referenda est in petitione dispensationis, ut iam dictum est in numero praecedente.

1039. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Petenda est dispensatio impedimenti publici a S. C. de disciplina Sacramentorum, tacito altero, quod secretum remanere debet, et *utrumque* est exprimendum in supplicatione ad Paenitentiariam, simul exponendo aliam dispensationem a S. Congregatione obtentam vel obtinendam. Consultius aliquando erit prius recurrere ad S. Paenitentiariam, ne forte fiant plures expensae inutiles in S. C. de Sacramentis et postea dispensationem non concedat S. Paenitentiaria. Cfr. *Marc,* n. 2052; *Wernz,* n. 633; *S. Alph.,* n. 1139.

R. ad 4^m *Quaes.* Matrimonium validum fuisset, nam ex can. 1053, «data a Sancta Sede dispensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit, minime vero dispensationem ab impedimento de quo in can. 1075, nn. 2, 3».

CASUS III

* CAUSAE EXPONENDAE 2.°

GILBERTUS peccavit cum DELPHINA in secundo gradu consanguinitatis, ea intentione et communicato consilio ut dispensationem ad matrimonium contrahendum facilius impetrarent. Subinde parochum rogat, ut sibi procuret dispensationem in secundo gradu consanguinitatis, expressa quidem copula, tacita vero intentione qua habita est. Inito autem matrimonio, stimulis conscientiae agitatus GILBERTUS hanc intentionem confessario aperit. Hic vero dubitat, utrum alia dispensatio sit obtinenda ad matrimonium convalidandum.

HINC:

QUAER. *An praedicta dispensatio invalida fuerit?*

(1) Cfr. S. Off., 18 mart. 1891 *(Collect. de P. F.,* n. 1500); *Lehmk.,* nn. 808 et 810; *Génicot,* n. 527; *Konings-Putzer,* Comm. in fac. apost., n. 65, nota 1, etc. Vide etiam *Ferreres,* in ephem. *Razón y Fe,* vol. 2, pag. 517, n. 42 seq., et vol. 3, pag. 380 seq., nn. 48-56.—V. **Comp.,** n. 963.

SOLUTIO:

1040. — *R. ad Quaes. Controvertitur* post decretum S. Off. 25 iun. 1885. *Alii* enim *affirmant* esse sub poena nullitatis exponendum an ab uno vel utroque sub spe facilius dispensationem obtinendi habita copula fuerit, quoties haec, prout in casu, adducitur ut *causa unica motiva* ipsius dispensationis. Ita *Formulae* Ap. Datariae pro matrim. disp. reformatae; item *Praxis* Ap. disp. iussu edita Card. Pro-Datarii, nn. 123, 153, 155 (Romae, 1902); *Villada,* Casus, vol. 3 (pag. 109, ed. 1.ª); *Buccer.,* 2, n. 1038; *Matharan,* Casus de matr., n. 413; *Santi-Leitner,* App. ad lib. IV, nn. 41-46.

1041. — *Communior* vero sententia *negat.* Ita *Gasparri,* De matrim., n. 340; *Lehmk.,* 2, n. 811, 4; *Lega,* De iudiciis, l. 1, vol. 2, alleg. 2, pag. 477; *Berardi,* Praxis, vol. 4, n. 932, 1.°, 5.°; *Génicot,* 2, n. 525; *Konings-Putzer,* Comm. in fac. Apost., n. 61, nota; *Marc,* Inst. mor., n. 2049; *Scavini-del Vecchio,* vol. 2, n. 1009, VIII; *Zitelli,* De imp. et disp. matr., pag. 65; *Sabetti,* Comp. Th. mor., n. 922, q. 2, nota; *Desmet,* De sponsalibus, etc., n. 374, 8.°; et plures alii. Et haec sententia adhuc videtur *probabilis* et *in praxi tuta.* V. **Comp.,** n. 962.

* CASUS III *bis*

DISPENSATIO GRADUS MINORIS

TITIUS anno 1909 matrimonium contrahere volens cum BERTHA, consanguinea in tertio gradu attingente secundum, causam exposuit aetatem oratricis superadultam, quae tamen vix attigerat annum vigesimum tertium. Praeterea oratores, qui satis divites erant, se pauperes esse dixerunt et uti tales dispensationem obtinuerunt.

HINC:

QUAER. 1.° *An et quatenus causa motiva vera esse debeat ad validitatem dispensationis?*

2.° *Quaenam sunt impedimenta gradus minoris, quaenam vero gradus maioris?*

3.° *An valeat dispensatio petita in forma pauperum, si oratores non sunt pauperes?*

4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

1042. — *R. ad* 1m *Quaes.* In *antiqua* disciplina veritas causae requirebatur non modo ad liceitatem sed etiam ad valorem ipsius dispensationis. — In *nova* disciplina, a die 3 nov. 1908, veritas causae requiritur semper ad liceitatem, ad validitatem vero requiritur tantum in dispensationibus **gradus maioris,** non vero in dispensationibus

gradus minoris. Hae enim conceduntur omnes *ex rationalibus causis a S. Sede probatis*. Sic vero concessae, perinde valebunt ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitae sint; ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis. Can. 1054, necnon antea *Normae pec.*, c. 7, a. 3, nn. 19, 21.

Igitur huiusmodi dispensationes gradus minoris sunt validae etiam in foro interno, quamvis causae in supplici libello expositae sint falsae, aut aliquid reticitum fuerit alias exprimendum; nec cessant etiam cessante causa forte allegata; quia non precise conceduntur propter illam. Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, n. 401 seq.; *Desmet*, n. 390. Unde exsecutor investigare non debet in huiusmodi dispensationibus **gradus minoris** an preces veritate nitantur.

1042 *a.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Impedimenta gradus **minoris** sunt: 1.° *Consanguinitas* in *tertio gradu* lineae collateralis; 2.° *affinitas* in *secundo* gradu lineae collateralis; 3.° *publica honestas* in *secundo* gradu; 4.° cognatio spiritualis; 5.° crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, etiam per civilem tantum actum. — Impedimenta **maioris** gradus sunt reliqua omnia (can. 1042, §§ 2, 3). V. **Comp.**, n. 951, q. 3.

1042 *b.* — *R. ad* 3m *Quaes. Affirm.*, ex hodierna disciplina, si gratia petita fuerit a SS. Congregationibus S. Officii aut de Sacramentis (vel suis in locis a S. C. pro Ecclesia Orientali). Etenim in Const. *Sapienti consilio* expresse dicitur: «gratiae *validitati* nihil umquam officiet *error* aut *fraus* circa *oeconomicam* petentis conditionem». *Norm. comm.*, c. 11, n. 3 *(Acta S. Sedis*, vol. 41, pag. 487). Cfr. *Ferreres*, La Curia Romana, n. 413. Idque confirmari videtur ex can. 42.

Graviter tamen per se peccant, qui hac in re dolum adhibent paupertatem falso allegantes, et generatim ad restitutionem tenentur erga S. Congr. de discipl. Sacramentorum. S. Paenit., 1 dec. 1852. Cfr. *Lega*, l. c.; *Praxis*, n. 15. — Si vero talis dispensatio data foret ab Episcopo habente hanc specialem potestatem cum pauperibus, tunc dispensatio *certo* foret invalida. S. C. C., 26 april. 1863, ad 4 *(Il Monitore*, vol. 11, pag. 388, nota).

N. B. In *antiqua* disciplina etiam validae habebantur huiusmodi dispensationes concessae a S. Dataria; immo post factum idem concludebatur pro concessis a S. Paenitentiaria. **Comp.**, n. 970.

1042 *c.* — *R. ad* 4m *Quaes.* Matrimonium validum est, quia impedimentum est **gradus minoris**. In *antiqua* disciplina fuisset nullum. Peccaverunt vero oratores tum allegando causam falsam in precibus, tum fingendo se pauperes; et tenentur ex hoc postremo capite ad restitutionem. **Comp.**, 957 seq., 970.

* CASUS IV

DISPENSATIO SUBREPTITIA 1.°

DIDACUS et SUSANNA, in secundo gradu consanguinei, incassum dispensationem ad matrimonium ineundum postularunt. Verum instauratis post plures menses precibus iisdem, adductisque iisdem iterum rationibus, et repulsa prius habita silentio praetermissa, optatam gratiam impetrarunt. Sed, re cognita, parochus de dispensationis valore dubitat, et inquirit an iterum ad S. Sedem sit recurrendum?

HINC:

QUAER. *An valuerit dispensatio, prioris repulsae nulla facta mentione?*

SOLUTIO:

1043-1044. — *R. ad Quaes.* Valida est dispensatio a DIDACO et SUSANNA tandem obtenta. Nihil enim habetur ex parte oratorum quod valori gratiae concessae obstare possit. Nulla apparet *obreptio,* vel *subreptio* in causam moventem cadens, cum rationes veritati conformes allegaverint. Neque ex ullo iure naturali, vel positivo, probari potest eos fuisse obligatos prioris repulsae mentionem facere, si ad unam *eamdemque* S. Congregationem in *utroque* casu recursum habuerunt. At dispensatio esset *nulla,* si in hoc ultimo casu oratores recurrerint ad *aliam* Congregationem (can. 43). Cfr. dicta vol. 1, nn. 118 et 120 et **Comp.**, vol. 1, n. 188.

* CASUS V

DISPENSATIO SUBREPTITIA 2.°

SYLVERIUS a Sede Romana dispensationem impetravit ad contrahendum matrimonium cum SYLVIA, sibi in secundo gradu consanguinea. Verum, contracto matrimonio, incipit dubitare utrum dispensatio subreptitia ac nulla fuerit, ex eo quod in petitione nullam mentionem fecerit de voto religionis ingrediendae, quo se obstrinxerat et de quo publice constabat. Cum autem in proximo periculo incontinentiae versetur, quaerit an ab Episcopo ab his impedimentis dispensari possit?

HINC:

QUAER. 1.° *An dispensatio valida fuerit in casu?*
2.° *An Episcopus in casu dispensare potuerit?*

SOLUTIO:

1045-1046. — *R. ad* 1m *Quaes.* Nulla haec dispensatio habenda est. Etenim inter ea quae in supplici libello necessario exponenda sunt ita ut, si etiam *ignoranter* taceatur veritas aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur, haec recensetur sub n. 5 in Instr. S. C. de P. F. 9 maii 1877: «*Numerus impedimentorum,* e. g. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas, vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens sive *impediens*». *(Collect.,* n. 1482). Cfr. *Gasparri,* l. c., nn. 353, 358. Atqui in casu reticitum est impedimentum impediens *voti* religionis ingrediendae; ergo...

Attamen si in supplici libello inserta fuerit clausula: «*ac aliis bona fide forsan reticitis... no obstantibus,* quae in *formulis reformatis* reperitur, valida esset dispensatio, cum impedimentum voti: *a)* bona fide fuerit reticitum, nec *b)* sit ex iis quae speciali indigent mentione, nec *c)* difficilioris sit dispensationis quam illud expositum in supplicatione. Cfr. *Praxis* apost. disp., n. 28. — V. **Comp.,** n. 965, q. 10.

1047. — *R. ad* 2m *Quaes.* Episcopus in tali casu dispensare potest; etenim Episcopus dispensare valet fere in impedimentis omnibus iure ecclesiastico introductis, ubi urget necessitas, seu instat periculum animarum, praesertim matrimonio iam contracto, ut patet ex can. 1045, nn. 1034 et 1022 *a.* Atqui in nostro casu supponitur adesse vera necessitas, seu instare periculum animarum; ergo...

CASUS VI

DISPENSATIO OBREPTITIA

LONGINUS et PELAGIA, secundo consanguinitatis gradu coniuncti, sponsalia ineunt cum proposito dispensationem ab impedimento petendi. Ille vero cui cura huius dispensationis petendae demandata est, in supplici libello scripsit sponsos turpem inter se rem habuisse; si autem dispensatio denegetur, futurum esse ut sponsa infamiam gravem subeat, cum periculo aliud coniugium non inveniendi. Verum sane erat infamiae periculum, ob nimiam familiaritatem inter sponsos obortam, et late divulgatam; at verum non erat eos copulam inter se habuisse. Iudicavit parochus dispensationem obreptitiam esse, et proinde nullam. Inde factum est, ut sponsi ad aliud tempus matrimonium remitterent. Postea vero contingit ut peccatum turpe patrarent, prole quoque suscepta. Igitur dispensationem iterum postularunt ab impedimento, et ad prolem legitimandam. Sed proles obiit cum dispensatio iam fuisset exsecutioni per commissarium demandata, matrimonio tamen nondum celebrato.

HINC:

QUAER. 1.° *An prima dispensatio valore destituta fuerit, ob falsam circumstantiam incestus adiectam?*

2.° *An dispensatio altera vim suam amiserit, ob mortem prolis quae post eiusdem exsecutionem subsecuta est?*

3.° *Quid, si proles obierit ante concessam dispensationem vel post concessam quidem, sed nondum fulminatam?*

SOLUTIO:

1048-1049. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* Etenim causa vere *movens* Pontificem ad dispensationem elargiendam est periculum infamiae secuturae pro sponsa. Hoc autem periculum vere exsistebat, ergo... *Sánchez,* De matr., d. 21, nn. 42-45; *Matharan,* n. 405.

1050. — *R. ad* 2m *Quaes.* Dispensatio posterior minime cessavit per mortem prolis. Ratio est, quia cum dispensatio iam exsecutioni mandata fuerit, seu a delegato S. Sedis oratoribus applicata, eo ipso impedimentum sublatum est; porro sublato impedimento, nulla dispensatio amplius necessaria est, et nihil subsistit, quo matrimonio impediatur.

1051. — *R. ad* 3m *Quaes.* In hypothesi cessaret dispensatio (quae in casu est gradus *maioris)* et proinde alia requirenda esset. Ratio est, quia causa dispensandi iam non amplius subsisteret, et quando delegatus gratiam oratoribus applicaret, iam preces non amplius veritate niterentur; porro veritas causae saltem exsistere debet tempore quo a commissario seu a delegato dispensatio applicetur, quia tunc proprie gratia conceditur. *S. Alph.,* n. 1132. — V. **Comp.,** nn. 961 et 979, 3.°

Verum si praeter legitimationem prolis allegata fuerit turpis conversatio, cum haec causa vera sit atque sufficiat, dispensatio posset exsecutioni mandari. Cfr. can. 42, § 1, et **Comp.**, vol. 1, n. 216, q. 4.°

* CASUS VII

DISPENSATIO PRO ITERATA COPULA

MARIUS et ANNA, consanguinei, dispensationem a Sede Romana petunt, ut matrimonium inire possint, et dicunt se incestum simul commisisse. Sed, dato pontificio responso, sponsi incestum iterant tum ante, tum post dispensationis fulminationem. Id resciens parochus nescit an alia dispensatio postulanda sit. Attamen pro eius valore praesumit, et matrimonium benedicit.

HINC:

QUAER. *An valida fuerit dispensatio* MARII *et* ANNAE, *licet incestum iteraverint, tum ante, tum post fulminatam dispensationem?*

SOLUTIO:

1052-1055. — *R. ad Quaes.* Valida fuit dispensatio a MARIO et ANNA obtenta, licet incestum iteraverint, tum ante, tum post fulminatam dispensationem. Etenim quamvis incestus allegari possit ut *causa motiva,* nunc iam non est necessario exprimendus, ideoque valide et licite reticeri potest. Cfr. supra, n. 1039, et *Ferreres* in ephem. *Razón y Fe,* vol. 2, pag. 512, n. 8 seq., n. 25 seq.

* CASUS VIII

ERROR IN DISPENSATIONE

MAGLORIUS, amplissimi loci parochus, aliquando dispensationem ab impedimentis matrimonii pro subditis petendo, ex incuria, aut nimia festinatione, aut culpabili errore posuit in supplici libello *Petrum* pro *Paulo*, impedimentum *affinitatis* pro impedimento *consanguinitatis,* publicam honestatem ex *matrimonio invalido* pro ea quae oritur ex publico vel notorio *concubinatu,* gradum consanguinitatis *tertium* pro *quarto,* aut vice versa.

Alias advertit errores similes in responso, seu in concessione gratiae, ex parte scribae S. Congregationis irrepsisse, scilicet, mutata fuisse ea quae recte ab ipso posita fuerunt. Quare variis ambagibus circa dispensationis valorem in his casibus intricatur.

HINC:

QUAER. 1.° *An valeat dispensatio, si irrepat error ex parte petentis?*

2.° *An valeat dispensatio, si ex parte concedentis gratiam, aut eius scribae, error proveniat?*

3.° *Quid ad varios casus?*

SOLUTIO:

1056. — *R. ad* 1m *Quaes.* Non valet dispensatio in gradibus **maioribus** si error versetur circa causam moventem (quae unica sit), aut circa obiectum ipsum dispensationis, sive ex culpa oratoris, sive alterius, sive ex mera inadvertentia advenerit. Ratio patens est, scilicet, quia Superior concedit gratiam conditionate, nimirum, *si preces veritate nitantur:* atqui, in hypothesi, non sunt veritati conformes; ergo ruit dispensatio. V. **Comp.**, vol. 1, nn. 186 et 188; vol. 2, n. 966.

1057. — *R. ad* 2m *Quaes.* Valet dispensatio. Ratio est, quia Supe-

rior censetur gratiam concedere ad mentem petentis, seu dicere: *Fiat ut petitur.* Proinde error irrepens in rescripto, concessioni iam factae supervenit.— Quare in can. 47: «Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio».

1058. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° Valet dispensatio quando parochus, libellum conficiens, errat in persona, aut in nomine, ponendo *Petrum* pro *Paulo,* saltem *probabilius,* modo error verisimilis sit et constet de corpore, seu de impedimento et de causa, quia Superior gratiam concedit pro illo qui ea indiget, non pro alio; quare error ille *accidentalis* videtur, idque constare videtur ex can. 47. Sed si error «aliud faciat nomen, aliud cognomen, dispensatio nulla est», quia S. C. de Sacram. nonnisi pro foro externo dispensationem concedit. *Praxis,* n. 139. V. **Comp., n. 966.**

1059. — 2.° Non valet dispensatio, quando parochus errat in impedimento, et etiam in specie infima impedimenti, v. gr. ponendo affinitatem pro consanguinitate; quia error afficit ipsum petitionis obiectum. Neque valet dispensatio, quando ponit *quartum* gradum pro *tertio,* quia tertium in quarto non continetur, proindeque gravis error circa obiectum datur. Secus vero, si ponat *tertium* pro *quarto,* quia tunc Superior concedens maiorem gratiam a fortiori concedit minorem in eodem genere, seu evidenter in maiori contentam, quod confirmatur ex can. 1052: «Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera exsistens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu».

1060. — 3.° Valet dispensatio, quoties errorem posuit in rescripto sive Superior ipse, sive eius scriba, ut supra dictum est, in responsione ad 2m quaesitum. Attendat igitur pastor in posterum, ut ipsemet ab erroribus in supplici libello conficiendo praecaveat.

* CASUS IX

MATRIMONII REVALIDATIO 1.°

1.° MELANIA, metu gravi a parentibus ad matrimonium coacta, primum invita quidem, sed paulatim tristitiae oblita, libentius dein cum marito pluribus annis cohabitavit. Dum autem generaliter confiteretur ad scrupulum nescio quem diluendum, rem confessario aperuit. Hic autem dubitat an vel quomodo illud matrimonium revalidandum sit.

2.° PHILIPPUS et BLANDINA, matrimonio iuxta ritum Ecclesiae

contracto, impedimentum occultum detegunt. Parochus, re cognita, ocius ad S. Paenitentiariam recurrit, ut pro eis dispensationem obtineat; sed nescit an matrimonium sit iterum sollemniter in ecclesia celebrandum, et dubii huius solutionem petit.

HINC:

QUAER. 1.° *An consensus ex utraque parte renovandus sit, ubi matrimonium fuit nullum defectu consensus ex parte unius e sponsis?*

2.° *Quid de* MELANIA *dicendum?*

3.° *An matrimonium in secundo casu sollemniter renovandum sit?*

SOLUTIO:

1061. — *R. ad* 1^m *Quaes. Negative,* sed sufficit, ut pars quae ficte consensit, aut metum vel errorem passa est, plene cognita matrimonii nullitate, suum consensum secretum renovet, modo impedimentum sit occultum et altera pars suum consensum de facto non retractaverit. — Ita ex can. 1136: «Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret. — Si defectus consensus fuerit mere internus, satis est ut pars quae non consenserat, interius consentiat. — Si fuerit etiam externus, necesse est consensum etiam exterius manifestare, vel forma iure praescripta, si defectus fuerit publicus, vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus» (1).

1062. — Ratio est, quia in matrimonio non requiritur essentialiter simultaneitas consensus sponsorum, sed sufficit unio moralis, nempe si consensus perseveret moraliter dum consensus alterius ponitur; matrimonium enim cum rationem contractus habeat, contractuum naturam induere debet: atqui in aliis contractibus simultaneus consensus inter contrahentes minime requiritur; ergo neque in matrimonio. Etenim ideo matrimonium fuit nullum, quia defuit consensus ex parte illius qui ficte consensit, vel metum passus est; ergo, cum iam praecesserit verus consensus ex parte alterius, et virtualiter perseveret per cohabitationem, satis est quod accedat consensus illius qui ficte consensit. Nec obstat quod consensus sponsi, qui liber fuit a metu vel fictione, nullus sit, irrito stante contractu; quia licet contractus nullus fuerit, et consensus illius non habuerit effectum, fuit tamen verus consensus, et cum perseveret moraliter, satis est ad matrimonium validum reddendum, si consensus compartis accedat.

1063, 1064.—*R. ad* 2^m *Quaes.* Scilicet, MELANIA non tenetur mo-

---

(1) Cfr. etiam *S. Alph.*, n. 1114; *Sánchez*, l. 2, d. 37, n. 11, et l. 4, d. 18; *Gasparri*, n. 1141 et seq.; *Rosset*, l. c., n. 2981 seq., et 1334 seq.; *D'Annibale*, 3, n. 484, nota 23; *Lehmk.*, 2, nn. 823, 825; *Wernz*, l. c., nn. 231 et 268. Cfr. Instr. S. Off. 22 iun. 1883, n. 35; S. C. C., 10 maii 1884 et 10 maii 1890; Instr. Austr. C. Reusch., § 93. — V. **Comp.**, n. 1125.

nere coniugem de infirmo suo consensu, ut suum consensum renovet. Immo, neque tenetur MELANIA suum proprium consensum exterius explicite renovare, sed satis est ut interius consentiat. «Renovatio tamen consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse» (can. 1134).

1065. — *R. ad* 3^m *Quaes. Nego,* stante casu ut iacet, scilicet, quia agitur de impedimento occulto. Nam ex can. 1135: «Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma iure praescripta. — Si sit occultum et utrique parti notum, satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto. — Si sit occultum et uni parti ignotum, satis est ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret». — Ratio est quia forma a Concilio *Trident.* et *Codice* praescripta non fuit tam ad testandum matrimonii validitatem, quam ad probandam externam matrimonii celebrationem, ut periculum removeatur ne iidem coniuges alias nuptias ineant. Finis autem ille fuit sufficienter obtentus per priorem sollemnitatem; praeterea cum impedimentum sit occultum, scandala et maxima incommoda ex nova sollemnitate orirentur. Secus vero dicendum foret, si impedimentum esset publicum, ut patet ex § 2 can. 1135 hic citati, quia tunc urgeret ratio scandali tollendi, aut praecavendi. Etenim, cum publice constet de matrimonii invaliditate, publice etiam constare debet de eius revalidatione; secus finis a Conc. *Trid.* intentus non obtineretur. V. **Comp.,** n. 1125; *S. Alph.,* nn. 1110, 1112.

* CASUS X

MATRIMONII REVALIDATIO 2.°

TITIUS et DOROTHEA, vivente priore suo marito, adulterium cum promissione matrimonii perpetrarunt. Cum ante celebrandas nuptias cum TITIO confessa fuisset, a confessario audivit, se impedimentum dirimens contraxisse, Nihilominus in suo proposito pergens, mala fide matrimonium inivit, in quo per quadraginta annos perseveravit, pluribus inde liberis susceptis. Tandem periculose decumbens, et de salute aeterna amittenda timens, confessarium petiit, atque ei miserum animae suae statum aperuit. Sed hic dubitat quid in praesentibus angustiis sit faciendum?

HINC:

QUAER. 1.° *An confessarius debuerit paenitentem monere de impedimento, casu quo impedimentum ipsi fuisset ignotum?*

QUAER 2.° *Quid nunc agendum, aut mulieri suadendum?*
3.° *An consensus post oblatam dispensationem sit ab utraque parte renovandus, ad matrimonium validum reddendum?*

SOLUTIO:

1066. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Ante omnia debuit confessarius sedulo et prudenter interrogare paenitentem, ut resciret an adulterium illud illaque promissio omnes conditiones haberent ad impedimentum constituendum.

1067. — 2.° Si revera de impedimento constet, *et paenitens non sit in periculo mortis,* magna prudentia opus est ad illud manifestandum. Indagandum est enim an paenitens *sit in bona vel mala* fide, et utrum *fructus sit ex monitione* sperandus. Plerumque declarandum est impedimentum quod deprehenditur ante contractum matrimonium, tum quia maxima incommoda ex matrimonio invalido secutura sunt, tum etiam quia communiter ex monitione fructus speratur, praesertim si non tam cito instet nuptiarum celebratio, ita ut suppetat tempus dispensationem obtinendi, et etiam si confessarius ostendat media facilia hanc consequendi, vel etiam se offerat ad eamdem pro paenitente postulandam. Multo difficilior autem est monitio, si, contracto iam matrimonio, facienda foret, immo per se esset *omittenda* ob proximum periculum pro coniugibus peccandi formaliter in usu matrimonii. Recole dicta supra, n. 888.

1068. — *R. ad* 2m *Quaes.* Confessarius ad infirmam vocatus, imprimis attendere debuit an fuerit in periculo mortis, necne. Si erat in periculo mortis et noluit rem deferri ad parochum, vel non sit tempus ad ipsum recurrendi, vel ipse confessarius sit parochus, poterit in casu dispensare confessarius ab hoc impedimento et convalidare matrimonium per renovationem consensus DOROTHEAE et TITII. Cfr. *Ferreres,* Los esponsales y el matrimonio, n. 622 seq.

Extra periculum mortis forte subveniri infirmo poterit per facultates Ordinarii, de quibus n. 1034 dictum est. Cfr. dicta, n. 1036, et **Comp.,** n. 953.

1069. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° *Affirm.,* ex positiva Ecclesiae voluntate, quae statuit ut consensus ab initio inefficax ob inhabilitatem partium ita maneat, nisi putati coniuges post obtentam dispensationem, aut postquam impedimentum absque dispensatione cessavit (v. gr. impubertas), ponant novum consensum a priori independentem, ut apparet ex can. 1134 supra, n. 1064, citato. Item ex can. 1133, qui sic se habet: «Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia. — Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit». Cfr. *Wernz,*

nn. 650, 651; *Rosset,* nn. 2981 seq., 2993; *Desmet,* n. 408; *Tanquerey-Quévastre,* n. 1521; **Comp.,** n. 1124.

2.° *Negative,* ex ipsa rerum natura, quia prior consensus, licet effectu suo caruerit ob impedimentum a iure positivo oppositum, tamen de iure naturae fuit validus, cum fuerit praestitus erga personam de iure naturae habilem ad contrahendum; ergo, sublato impedimento, sufficit prior consensus, qui virtualiter in effectu per copulam coniugalem, cohabitationem aut per alia signa externa perseverat. Ergo accedente consensu interno coniugis conscii impedimenti, expresso saltem per similia signa externa, utriusque consensus unitur et matrimonium convalidatur. Cfr. Auctores in prima resp. citatos.

Iam vero renovatio consensus praerequirit congnitionem nullitatis saltem in parte impedimenti conscia.

1069 *bis.*—Ergo satis erit, ut pars impedimenti conscia, impedimento sublato, accedat ad compartem et cum ea habeat copulam affectu maritali, intendendo sic exprimere novum consensum ad matrimonium de novo contrahendum, nam ab altera parte inscia impedimenti iam exercetur copula eodem affectu ex primo consensu praestito et usque tunc perseverante in effectu (1).

* CASUS XI

MATRIMONII REVALIDATIO 3.°

CORNELIA, mater familias, a decem annis turpiter egit cum SYLVARIO, filiae suae sponso, antequam hic eam duceret anno 1909. Graviter quidem suspicata est inductum fuisse propterea matrimonii impedimentum, nunquam tamen abhinc id fateri ausa est. Tandem conscientia acriter exstimulante, confessionem generalem instituit, et rem totam aperuit anno 1919. Inde vero angustiae pro confessario. Nollet CORNELIA, ut filia sua de re olim cum ipsius viro gesta quidpiam intelligeret. Si confessarius secreto dispensationem obtineat, quomodo, uni, vel utrique coniugi erit applicanda? Virum, impedimenti auctorem, accersere vellet; sed ipse a tempore matrimonii nunquam ad confitendum accessit, et sane etiam rogatus non accedet. Insuper illa nonnisi summa cum difficultate de nullitate matrimonii et de renovando consensu admoneri posset. Tanta dubitatione pressus confessarius, a viro theologo postulat quid sit faciendum?

---

(1) Cfr. *Rosset.* n. 3011; *S. Alph.,* nn. 1114, 1115; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 4, n. 651; *Ball.,* in Comp. *P. Gury,* vol. 2, n. 896; *Lehmk.,* 2, n. 825; *Gasparri,* n. 1130; *Génicot,* n. 539. — **V. Comp.,** n. 1124, I, in fine.

HINC:

QUAER. 1.° *An coniuges in bona fide sint relinquendi, si de invaliditate matrimonii absque maxima difficultate moneri nequeant?*

2.° *An hic sit casus dispensationem in radice petendi?*

3.° *Quomodo dispensatio obtenta applicanda erit?*

SOLUTIO:

1070. — *R. ad* 1^m *Quaes. Affirm. per se loquendo.* Ratio est, quia ex una parte invaliditas matrimonii non nocet neque coniugibus (excepta carentia sacramenti cum gratia respondente) neque eorum filiis, cum omnes in bona fide reperiantur. Accedit quod incommoda maxima procurandi eiusmodi matrimonii validitatem, causa sunt sufficiens ut pastor animarum, vel confessarius, peccata coniugum mere materialia permittat. Attamen, si facile obtineri posset dispensatio *in radice,* haec a S. Sede postulanda foret etiam utraque parte ignara (can. 1138, § 3). **Comp.,** n. 1133.

1071. — *R. ad* 2^m *Quaes. Affirm.* Quatuor enim conditiones requiruntur ut beneficium dispensationis in radice obtineri possit, scilicet: 1.° Ut coniunctio sponsorum habuerit speciem extrinsecam veri matrimonii, et non fuerit manifeste fornicaria. 2.° Ut consensus fuerit inefficax propter impedimentum iuris tantum ecclesiastici: alia enim impedimenta Ecclesia tollere non potest. Attamen si consensus initio nullus fuit propter impedimentum iuris divini vel naturalis, v. gr. *ligaminis,* cessante hoc impedimento, hic consensus perseverans adhuc sanari posse videtur ex quo illud impedimentum cessavit. Unde S. Paenit., 25 apr. 1890, civile matrimonium, initum adhuc vivente primo sponsae coniuge, sanavit in radice post huius coniugis mortem, legitimam declarando prolem post legitimi coniugis mortem susceptam, non vero illam, quae antea habita fuerat: hoc tamen raro concedit Ecclesia. 3.° Ut consensus utriusque perseveret. 4.° Ut adsit urgens et gravissima causa. V. **Comp.,** nn. 1131, 1132.

Porro in casu praefatae conditiones habentur: etenim adest species veri matrimonii, cum uterque sponsus sit in bona fide, et nuptiae iuxta praescriptum Ecclesiae celebratae sint; consensus fuit inefficax ob impedimentum iuris tantum ecclesiastici; consensus quoque sponsorum perseveravit, cum nullam suspicionem impedimenti habeant; tandem adest causa valde gravis, cum vir minime moneri possit ut consensum renovet, vel saltem difficillime, et proinde dispensatio ordinaria non sufficeret, cum renovationem utriusque partis requirat; ergo in casu, ad dispensationem in radice recurrendum est.

1072. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Cum in casu nullus coniugum accerseri possit, hoc in supplici libello ad S. Paenitentiariam declarandum foret, ut amplissimam concederet gratiam, scilicet, ut dispensaret, *partibus etiam non monitis.* Ceterum, stante tanta dif-

ficultate, putativi coniuges in bona fide relinqui possent. V. **Comp.**, nn. 976, 1133.

N. B. In memoriam revocetur impedimentum affinitatis ex copula illicita sublatum iam esse per Codicem, ut supra dictum est; sed matrimonia cum tali impedimento nulliter inita, nulla manent, donec consensus renovetur aut habeatur sanatio in radice. Cfr. **Comp.**, n. 1037.

CASUS XII

MATRIMONII REVALIDATIO 4.°

RANULFUS et TARSILIA, matrimonio clandestine, seu coram solo magistratu civili contracto, multis annis in hoc lugendo statu permanserunt. Tandem cum exercitia spiritualia in paroecia peragerentur, TARSILIA vehementi contione de iudicio divino commota, ad meliorem frugem se recepit, et nuptialem benedictionem admodum exoptavit.

RANULFUS autem, licet enixe ab uxore rogatus, recusat accedere ad ecclesiam, in qua a viginti annis pedem non fixit. Parochus cum duobus missionariis pergit ad hominem invisendum et rogandum, ut a proposito discedat, sed incassum: «Sinite me, inquit ille, sufficienter sum coniugatus, vivo cum uxore contentus, nihil amplius mihi optandum est». Accepto hoc infausto responso, moerens parochus cum sociis recessit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid faciendum, si sponsi clandestine coniuncti nolint ad ecclesiam accedere?*

2.° *Quid si unus consentiat ad matrimonium instaurandum, et alter nolit?*

3.° *Quid de ratione agendi parochi in proposito casu, vel quid ipsi fuisset agendum?*

4.° *An matrimonium mere* CIVILE *ut aiunt, sit* CIVILITER *validum, si ab ipsis catholicis in* **Hispania** *contrahatur?*

SOLUTIO:

1073. — *R. ad* 1m *Quaes.* Coniungendi sunt in domo sua, vel in alio loco ab ipsis electo, sed coram testibus gravibus, quorum ope convalidatio huius matrimonii publica evadere possit, si hoc requiratur ad scandalum tollendum, scilicet, si invaliditas coniunctionis prioris notoria sit.

1074. — *R. ad* 2m *Quaes.* Quam maxime adhortandus erit renuens ut tandem consentiat; si autem renuere pergat, inducendus est ut aliquem loco suo procuratorem constituat ad matrimonium nomine suo contrahendum, aut saltem consensum suum exprimat per epistolam parocho deferendam. Quod si adhuc nollet, ad dispensationem in radice recurrendum est. Sic *Card. Caprara.* V. **Comp.**, nn 1127 et 1132.

1075. — *R. ad* 3m *Quaes.* In casu inducendus fuisset RANULFUS ad consensum hic et nunc renovandum coram praesente parocho, et duobus missionariis, rei testibus. Facile illa renovatio consensus obtineri potuisset, ut patet ex eius verbis: «Vivo cum uxore contentus». Quare de hoc non cogitarunt neque parochus, neque eius socii? mens sane illis laeva fuit. Quid vero si RANULFUS consensum renovare noluisset? Adhortandus fuisset ad renovationem hanc alibi per procuratorem faciendam, vel ad dispensationem in radice recurrendum fuisset, ut supra dictum est.

1175 *bis.* — *R. ad* 4m *Quaes. Neg.* Lex enim civilis in **Hispania** non aliud matrimonium *validum* pro *catholicis* agnoscit, nisi matrimonium canonicum. Cfr. Cod. civ., aa. 2, 4, 42 et 75; Orden de la Direc. Gral. de los Registros, 28 dic. 1900 *(Alcubilla,* Ap. de 1901, pag. 226); *Falcón — Romero Girón,* Cód. civil español, ilustrado con notas, etc., vol. 1, pag. 101.

Quare iure **hisp.,** nemo admitti potest ad matrimonium *mere* civile contrahendum, nisi uterque sponsus (ex genuina legis interpretatione: cfr. *López Peláez,* Derecho esp., pag. 73 seq.; *Giobbio,* Diplomazia, vol. 3, n. 383), vel alteruter (ex praepostera interpretatione Gubernii) declaret se *acatholicum* esse. Hinc sequitur sic in **Hispania** contrahentes incidere, saltem pro foro externo, in poenas apostatarum vel haereticorum, ideoque in excommunicationem *speciali modo* Rom. Pontifici reservatam (1).

* CASUS XIII

MATRIMONIUM TER CELEBRATUM

VICTORINUS et VERONICA, inito bona fide matrimonio, susceptaque numerosa prole, summa pace gaudebant. Huc usque bene. Sed ecce FLORIMUNDUS parochus, multis post annis, quonam casu nescio, detegit praefatos coniuges vinculo consanguinitatis in tertio gradu ligari. Ocius se accingit ad matrimonium rite convalidandum. Obtenta debita dispensatione, assumptis secum duobus testibus, tendit ad domum coniugum, impedimentum declarat, et, obtenta consensus renovatione, matrimonii vitium sanat.

FLORIMUNDUS tam felici exitu gestiebat, cum audivit VICTORINUM, priusquam VERONICAM anno 1914 duceret, consortium cum eiusdem consanguinea habuisse. Obstupefactus et moerens ad domum VICTORINI advolat, declaratque iterum, invalidum esse matrimonium, ac opus esse nova dispensatione, et coniugii instauratione. Mirantur coniuges; excandescit pater familias; unde hoc? mussitat uxor. «Secretum

(1) *Mach-Ferreres,* Tesoro del Sacerdote, vol. 2, n. 678; Conc. Prov. *Burgen.,* part. 3, tit. 15, n. 2; Cod. civ. **Hisp.,** aa. 2, 4, 42 et 75. Vide **Comp.,** n. 989, N. B. 1.°

meum mihi, exclamat parochus; sed nihil valet vestrum matrimonium, et ideo necessario est iterandum, nisi in perpetuo concubinatu vitam ducere velitis». Obtenta igitur dispensatione, parochus, maioris secreti causa, assumpto secum solo vicario cum ancilla, procedit ad matrimonii convalidationem; et, re peracta, «Valete, ait VICTORINUS, et ne, quaeso et obsecro, redeatis unquam; sin minus ego vos furca expellam».

HINC:

QUAER. 1.° *An recte egerit parochus instaurando prima vice matrimonium in domicilio coniugum, vel utrum id in ecclesia coram testibus facere debuisset?*

2.° *An recte egerit admonendo statim coniuges de secundo impedimento ab illis contracto?*

3.° *An recte egerit instaurando matrimonium secunda vice extra forum internum, et adhibendo testes, praesertim ancillam?*

SOLUTIO:

1076. — *R. ad* 1m *Quaes.* Matrimonium ut in casu minime fuit renovandum sollemniter in ecclesia, quia impedimentum, ut supponitur, erat occultum, proindeque etiam secreta matrimonii nullitas. Eadem ratione neque parochus debuit secum testes adhibere, ut revalidationem in domicilio coniugum obtineret, nam testes ad sollemnitatem adhibentur: atqui in casu nulla sollemnitas fuit adhibenda; e contrario instauratio matrimonii omnino fuit occulte facienda, iuxta dicta supra, n. 1065, ex can. 1135. Sufficiebat igitur ut ipse parochus solus in domum coniugum se conferret, vel ut eos accerseret, consensus utriusque renovationem obtinendi gratia. Immo neque praesentia parochi ad hoc necessaria fuit, cum coniuges admoniti consensum secum renovare potuerint; melius tamen est ut parochus interveniat, quando impedimentum absque incommodo utrique manifestare potest, ad tollendas ambages, aut moram quam coniuges interponere possent. *S. Alph.*, nn. 1110, 1112.

1077. — *R. ad* 2m *Quaes.* Prudentia caruit FLORIMUNDUS, tam praecipitanter et tam clare novum matrimonii vitium aperiendo; potuit enim praebere causam uxori turpitudinem mariti sui graviter suspicandi, cum periculo iurgiorum et odiorum inter coniugatos.

1078. — *R. ad* 3m *Quaes.* Non recte egit FLORIMUNDUS parochus, procedendo secunda vice ad matrimonii revalidationem. Mulieres sane ut testes adhiberi possunt in matrimonii sollemnitate tantum ubi nullum est servandum secretum, sed e contrario, testimonium publice perhibendum. In casu autem nostro, nullus testis fuisset adhibendus, et a fortiori nulla femina; et res tota in confessione peragenda erat cum VICTORINO, prudenter admonito de matrimonii invaliditate. V. **Comp.**, nn. 971, 976, 1124-1133.

* CASUS XIV

DE MATRIMONII SANATIONE IN RADICE

TITIUS et BERTHA Matriti, ubi recreationis causa per quatuor hebdomadas commorati fuerant, coram parocho actualis habitationis, bona fide, connubium iniverunt, anno 1889, nulla petita vel obtenta delegatione a proprio parocho vel Ordinario. Paulo post in Angliam se contulerunt, et in avitum domicilium se receperunt, ubi vitam coniugalem ducentes quatuor iam filios genuerunt. Sed ecce captus TITIUS amore CAIAE turpissimo, et hanc ob rem gravibus exortis domesticis discordiis, petivit et obtinuit divortium a toro et cohabitatione, ut liberius pravae cupiditati indulgeat. Cum vero res ita se haberent, casu rescivit BERTHA suum matrimonium nullum esse, ob impedimentum clandestinitatis; vult tamen, propter bonum prolis, ut matrimonium convalidetur per sanationem in radice, si fieri possit. Plures hac de re interrogat confessarios: quorum primus dicit convalidari non posse, quia non perseverat consensus TITII; alter asserit matrimonium non egere sanatione in radice, nam ipso facto convalidatum fuit, ex quo prima vice iam in Anglia copulam maritali affectu habuerunt; tertius demum pronuntiat et sanatione in radice indigere, et hanc posse adhuc obtineri. Igitur ut inter tam oppositas sententias quid sentiendum sit intelligatur, sequentia dubia tibi proponuntur dirimenda.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid sit sanatio in radice, et quinam eius effectus?*
2.° *Quandonam suos producat effectus dispensatio in radice?*
3.° *An matrimonium* TITII *et* BERTHAE *ipso facto fuerit in Anglia convalidatum per vitam maritalem?*
4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

1078 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes.* Sanatio matrimonii *in radice* est eiusdem convalidatio, secum ferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu et retrotractionem, per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum. — Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur. — Dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest, vel una tantum, vel utraque parte inscia (can. 1138). — Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede (can. 1141). V. **Comp.**, n. 1128 seq.

1078 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes.* In sanatione *in radice* debemus dis-

tinguere: *a)* convalidationem matrimonii, et *b)* ablationem effectuum, qui e nullitate matrimonii orti erant.

a) Matrimonium convalidatur *ex nunc,* seu a tempore fulminatae dispensationis, et absque renovatione consensus, hoc pacto: cum enim adsit consensus, qui, inspecto solo iure naturae, sufficiens sit ad contractum matrimonialem, et hic consensus ex impedimentis tantum iure canonico inductis inefficax sit, si Ecclesia nunc tollit huiusmodi impedimenta, consensus ille perseverans producit suos effectus, etiamsi id ignorent contrahentes, et consequenter ex *nunc* datur validum matrimonium. Non autem per sanationem fit, nec fieri potest, ut matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum (1).

b) Effectus orti e nullitate matrimonii, v. gr. illegitimitas filiorum, ita auferuntur ac si matrimonium validum fuisset ab initio; unde quoad effectus *fictione iuris* matrimonium convalidatur *ex tunc:* filiis igitur confertur legitimitas quasi a tempore initi matrimonii, saltem in ordine ad effectus spirituales, ad beneficia, sc., ad sacros ordines, ad ecclesiastica officia, etc.

1078 *c.* — *R. ad* 3m *Quaes. Neg.* Matrimonium enim ab initio nullum non convalidatur (excepto casu dispensationis *in radice)* etiamsi cessent impedimenta, quae consensum reddebant *iuridice* inefficacem, nisi coniuges, cognita nullitate matrimonii, et cessatione impedimenti, novum consensum exprimant (2). Vide dicta supra, n. 1069, ex can. 1133, 1134. Ratio videtur desumenda ex iure positivo Ecclesiae. *Gasparri,* n. 1130; *Génicot,* l. c. Atqui TITIUS et BERTHA ignorabant matrimonii nullitatem. Ergo... V. **Comp.,** n. 1129, *b.*

1078 *d.* — *R. ad* 4m *Quaes.* Matrimonium TITII et BERTHAE nullum fuit, utpote clandestine contractum in loco ubi vigebat cap. *Tametsi.* V. **Comp.,** n. 1071, et n. 992. Cfr. *Ferreres,* El imped. de clandestin., n. 79 seq. Sed adhuc sanari *in radice* potest, quia adsunt omnes conditiones requisitae, ut patet ex dictis supra, n. 1071. Unica difficultas esse poterit circa perseverantiam consensus ex parte TITII. Consensus tamen adhuc perseverare plane videtur. Quamvis enim TITIUS divortium a toro et habitatione petierit, et ita sit dispositus, ut si impedimentum cognosceret, consensum *revocaret,* non obstante hac ipsius animi dispositione seu voluntate interpretativa, consensus eius in vinculo adhuc perseverat. Ergo dari potest sanatio *in radice.* Cfr. *Acta S. Sedis,* vol. 1, pag. 182 seq.; *Gasparri,* n. 1156; *Il Monitore,* vol. 12, pag. 67 seq. — V. **Comp.,** n. 1132.

Post decretum *Ne temere* et etiam post Codicem validum fuisset hoc matrimonium, si intra limites territorii parochi assistentis contractum fuerit.

(1) *Bened. XIV,* const. *Etsi matrimonialis,* 27 sept. 1755. Cfr. *Schmalzgr.,* l. 4, tit. 17, n. 123; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 4, n. 663 seq.; *Gasparri,* n. 1149; *D'Annibale,* 3, n. 368, nota 16; *Lehmk.,* 2, n. 828. — V. **Comp.,** n. 1129, *a* et *b.*

(2) Cfr. S. Off., 31 aug. 1887; *Gasparri,* n. 1138; *Wernz,* l. c., n. 649, nota 7, et n. 650, nota 8; *Lehmk.,* 2, n. 824; *Génicot,* 2, n. 1138; *Il Monitore,* vol. 11, pag. 26.

CASUS

DE CONIUGUM DIRECTIONE

SEU

Praesertim circa debitum matrimoniale, et eius abusum, seu onanismum.

CASUS I

OBLIGATIO DEBITI

1.° URSULA, uxor, ob dolores partus et nutritionis incommoda maximo taedio affecta, statuit in posterum debitum marito non amplius concedere. Cum autem nolit a proposito suo recedere, absque absolutione a confessario dimittitur.

2.° GERMANA, mater familias, debitum viro praestare non vult, ex eo quod prolem numerosiorem iam habeat, et insuper bonis fortunae destituatur: melius enim est, inquit, filios non parere, quam eos ad miseram vitam procreare.

3.° AGNES debitum viro denegat, quia novit tum ex propria experientia, tum ex medicorum declaratione, se absque probabili mortis periculo parere non posse.

4.° VICTORIA magna tristitia laborat, eo quod omnes filii, quos genuit, nati sunt mortui; quapropter nullos alios in posterum generare statuit, adeoque debitum marito denegare.

5.° THECLA in magna anxietate conscientiae versatur, propter virum, qui frequenter solet debitum coniugale persolvere modo venialiter malo, v. gr. situ innaturali. Nollet peccato viri cooperari, licet leve sit; sed timet ne ipsi displiceat, eumque contristetur. Quaerit igitur quid facere possit, vel debeat?

HINC:

QUAER. *Quid sentiendum in praefatis casibus?*

SOLUTIO:

1079. — *R. ad Quaes. In primo casu* URSULA non potest a peccato, et quidem gravi, immunis esse. Recte igitur absque absolutione a confessario dimissa est. Uxor excusari nequit a debito reddendo ob ordinaria partus vel nutritionis incommoda, neque ob dolores moderatos, aut etiam graves sed non diuturnos, v. gr. capitis per plures men-

ses post partum, neque ob valetudinem aliquo modo debilitatam, quia haec omnia conditione matrimoniali sunt annexa; et uxor, vi contractus, corpus suum ad finem generationis tradendo, censetur se obligasse ad omnia incommoda generationem concomitantia, vel subsequentia.

1080. — *In secundo casu* GERMANA excusari nequit a debito matrimoniali, nisi de consensu viri. Ratio est, quia procreatio prolis spectat ad praecipuum finem matrimonii, cui postponendum est quodvis incommodum *de se* non extraordinarium. Secus enim obligatio debiti facillime et plerumque declinari posset a muliere, cum magno viri gravamine, et incontinentiae periculo. Debebat igitur GERMANA ad haec incommoda attendere antequam nuptiis inhiaret: in praesenti vero ut ea subeat necesse est. Confidat autem in Deo summe providenti, qui *dat iumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum.* Ps. 146, 9. *S. Alph.*, n. 941.

1081. — *In tertio casu* AGNETI indulgendum est. Etenim non tenetur ad debitum reddendum uxor, quae in tantis constituitur angustiis, quia solutio debiti cum detrimento gravi urgeri nequit; mulier enim matrimonium contrahens non censetur se obligare ad onera omnino extraordinaria, et ad vitam suam prodendam, ut marito obtemperet. Attamen plerumque attendendum non est ad dolores primi partus, cum maiores in hoc esse soleant. *S. Alph.*, n. 953.

1082. — *In quarto casu* non videtur inquietanda VICTORIA *per se*, si infortunium illud proveniat ex aliquo vitio organico ex quo partus difficillimus efficitur, et fetus, antequam in lucem prodeat, extinguitur. Ratio est, quia remedium huic malo non suppetit, et hoc nimium generat moerorem. Excipe tamen, si dissidia inter coniuges ex debiti denegatione subsecutura sint *(S. Alph.*, nn. 952, 953) vel periculum incontinentiae pro viro.

1083. — *In quinto casu*, quid THECLAE respondendum? *Per se* ab omni obligatione excusanda est. Ratio huius decisionis est, quia actus coniugalis tali modo exercitus est illicitus; vir autem ad actum illicitum ius strictum habere non potest. Potest tamen uxor debitum simili modo peragendum permittere ex aliqua rationabili causa, v. gr., si incommoda notabilia ex debiti denegatione timeat, nempe viri aliquam offensionem, etc. *S. Alph.*, n. 946. Ceterum non sunt ingerendi scrupuli ingenuae mulieri, quae pro bono pacis, et ne quid peius contingat, marito obtemperat quoties agitur tantum de culpa veniali, quam *facile* impedire nequit. *Billuart, Reuter,* etc.

CASUS II

OBEX AD DEBITUM 1.°

1.° LEONIA, puella annos viginti nata, votum castitatis perpetuum emittit. Pluribus autem annis abhinc elapsis, a parentibus inducta, nuptiis favorabilibus, quae occurrunt, corde et animo inhiat. Ast quid de voto? illud nemini aperire audet. Hoc igitur non obstante, matrimonium perficit; verum mox angustiae incipiunt. Statuit quidem solutionem ab illo vinculo quamprimum petere, sed interea debitum marito petenti reddere cogitur; immo, ut ipsi placeat, aliquando et ipsa petit. Denique, stimulis conscientiae agitata, adit confessarium, cui omnia pandit.

2.° ROSALIA, matrimonio bona fide contracto, mox incipit dubitare de aliquo secreto impedimento. Perseverat nihilominus in cohabitatione cum viro, donec de matrimonii nullitate certa fiat. Comperto autem postea impedimento, quaerit anxia a confessario quid sit faciendum? «Neganda omnino cohabitatio, inquit ille, usquedum dispensatio obtenta fuerit». Sed pessimus exitus consilii sequitur; inducitur enim ROSALIA ad debitum viro furenti reddendum ex metu gravissimo, immo sub mortis periculo, atque, ut e tantis angustiis eripiatur, votis mariti obtemperat.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid agendum a confessario cum* LEONIA *in primo casu? an ei permittendum ut debitum petat et reddat, instante viro, donec a voto dispensetur?*

2.° *An* ROSALIA, *in secundo casu, debitum marito reddere possit, ut vitet malam tractationem, vel mortis periculum?*

3.° *An saltem passive se habere possit?*

4.° *Quis ab impedimento in utroque casu dispensare valeat?*

SOLUTIO:

1084. — *R. ad* 1^m *Quaes.* LEONIA 1.° debitum petere non potest. *Feije,* De imped. et disp. matr., nn. 517 et 559; *Génicot,* n. 513. — V. **Comp.,** n. 1107.

1085. — 2.° LEONIA potest quidem debitum reddere, ut iuri compartis satisfaciat; sed non potest petere, donec a voto dispensetur, quia hoc esset voti violatio. — 3.° Debet autem omnino abstinere a debito coniugali, si alter consentiat, vel ius petendi amiserit, v. gr. per adulterium, vel incestum. V. **Comp.,** n. 981.

1086. — *R. ad* 2^m *Quaes. Nego* omnino. Ratio est, quia, nullitate

matrimonii certo cognita, copula coniugalis ROSALIAE esset vere fornicaria: atqui fornicatio est quid intrinsece malum; ergo nunquam licita est, ne ad mortem quidem vitandam; nec refert quod maritus ignorans impedimentum sit in bona fide, et ius suum, ut putat, prosequatur, quia, stante matrimonii nullitate, nullum ius habet, licet se habere existimet.

1087. — *R. ad* 3m *Quaes. Controvertitur.* Hic redit casus utrum mulier vi oppressa debeat potius permittere se occidi quam violari. Duplex datur sententia probabilis: prior negat, quia mulier se passive habendo rei extrinsece malae cooperatur; posterior vero affirmat, quia mulier se passive habendo nullum actum ponit, sed tantum ex gravissima causa, seu ex metu mortis, omittit resistentiam externam, et denegat positive omnem consensum internum; haec autem permissio non est cooperatio formalis, sed mere materialis, et sufficienter metu mortis excusatur. Verum supponitur semper nullum adesse periculum consensus in delectationem veneream. V. **Comp.,** vol. 1, n. 75, et n. 488; *S. Alph.,* l. 4, n. 368.

1088. — *Obiicies:* Si mulier se passive habere potest, iuxta sententiam probabiliorem modo enuntiatam; ergo simpliciter debitum reddere potest, siquidem hoc est pro muliere idem ac se passive habere.

Resp. Nego conseq. et paritatem. Ratio est, quia secundum usum communem loquendi, reddere debitum minime idem est ac se passive habere; etenim reddens debitum vere cooperatur, cum consentiat in viri actionem, et corpus suum eius voluntati simpliciter subiiciat; dum mulier, quae se passive habet, ex dictis: 1.°, in actionem viri minime consentit; 2.°, consensum in delectationem constanter excludit; 3.°, vi opprimitur, et ex solo metu gravissimo resistentiam externam omittit. *Elbel,* nn. 419, 423.

1089. — *R. ad* 4m *Quaes.* Episcopus in utroque casu dispensare potest. Etenim, *in primo casu,* Episcopus dispensare potest a voto castitatis, contracto matrimonio, in ordine ad usum matrimonii restituendum: sic ex consuetudine, iuxta can. 1045, supra, n. 1034, citato. Insuper reservatio huius voti Summo Pontifici cederet in destructionem, non in aedificationem, cum tantum periculum in hoc casu communiter instet. *S. Alph.,* n. 987. Recole dicta, n. 930.

1090. — *In secundo* autem *casu* dispensare etiam potest Episcopus, licet agatur de impedimento dirimente, quia ingens datur periculum in mora, iuxta superius dicta, n. 1034. *S. Alph.,* n. 1123, *et alii communiter.*

CASUS III

OBEX AD DEBITUM 2.°

BASILISSA, pia mulier, contracto matrimonio, statuit castitatem coniugalem servare tam perfecte quam fieri possit, illaeso mariti iure. Quapropter ea de re votum emittit. Sed postea quaerit quomodo votum illud servare possit, vel debeat: an viro blandiri possit et sic ei occasionem dare debitum coniugale petendi? Adeo autem voto adhaeret, ut quamlibet eius commutationem respuat. Interea autem HYPARCUS, vir eius, in contrariam abiens viam, adulterio, immo et incestu cum eiusdem BASILISSAE consobrina, secreto se contaminavit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo amittatur ius ad debitum petendum?*
2.° *An coniux votum emittere possit debitum non petendi?*
3.° *A quo ius amissum sit restituendum?*
4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

1091. — *R. ad* 1m *Quaes.* Amittitur ius petendi debitum: 1.° *Per adulterium.* Coniux innocens non tenetur debitum reddere comparti de adulterio culpabili, quia frangenti fidem fides non amplius debetur, ut ex verbis Iesu Christi ipsius constat. Attamen adulter non peccat, debitum petendo, licet non possit stricte illud exigere; posset etiam illud exigere, si compars ei condonaverit, vel si ipse in idem crimen lapsus fuerit, quia tunc esset compensatio iniuriae. Quid vero, si compars innocens crimen ignoret? Adulter potest petere et exigere debitum, quia non tenetur sibi ipsi poenam infligere, nemine cogente.

1092, 1093. — 2.° *Per votum castitatis,* sive emissum sit ante sive post matrimonium. Coniux voto ligatus non potest petere debitum; tenetur autem reddere, sicut dictum est modo de impedimento affinitatis, si excipiatur forte primum bimestre, in quo reddere non posse videtur, quia alter tunc temporis nullum ius habet. Si vero uterque coniux votum castitatis emiserit, nullus neque debitum petere, neque reddere potest. V. **Comp.**, nn. 981, 1138, 1139, 1149, et vol. 1, n. 416, q. 4; *S. Alph.*, n. 930. — V. supra, n. 929.

1094. — *R. ad* 2m *Quaes. Distinguendum est.* Non potest seorsim uterque coniux emittere votum non petendi debitum simpliciter sine restrictione, quia aliquando votum illud alteri valde onerosum evaderet, et ius illius laederet: sic vir, qui debitum petere solet, ut consuetudo est virorum, vovere nequit petitionis omissionem, quia gravamen

notabile uxori crearet. Multo facilius autem uxor votum huiusmodi facere potest, quia uxores sic communiter petere non solent, vel petitionem omittendo non sunt viris onerosae. Responsio igitur ad *quaesitum* a solis circumstantiis personarum pendet.

1095. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Ius debitum petendi restitui potest ab *Episcopo* dispensando a voto. Quatenus amittatur per adulterium, ad coniugem innocentem pertinet ius condonandi.

1096. — *R. ad* 4^m *Quaes.* In primo casu valet votum BASILISSAE, cum huiusmodi votum non videatur viro onerosum, nec proinde iura eius ideo laedantur. BASILISSA igitur debitum petere nequit, sed reddere debet donec vir ius suum non amittat. Ceterum, uxor se gerere potest erga maritum ut aliae honestae uxores, quae signa amicitiae convenientia viris suis praebent, eisque blandiuntur, ut eorum affectum foveant. Postquam autem vir ius suum amisit per adulterium, non potest amplius debitum reddere: nam vovit castitatem servare tam perfecte quam posset, illaeso iure mariti: atqui negando debitum, nullum ius violat, cum hic nullum ius amplius habeat; ergo...

CASUS V (1)

INSTRUCTIO PRO SPONSIS ET CONIUGIBUS

1.° DOMITILLA, puella, accedens ad confessarium: «Pater, inquit, proxime nuptura sum. Obligationes status matrimonialis penitus ignoro. Audivi multa in eo reperiri salutis aeternae pericula, seu frequentes peccandi occasiones. Volo tamen animae meae prospicere. Velis igitur, pater, mihi declarare quaenam sint sub peccato mortali aut veniali prohibita».

2.° VENEFRIDA, a paucis diebus vel mensibus matrimonio coniuncta, accedit ad confessarium magna anxietate pressa circa ea, quae in statu coniugali licita vel illicita sunt, et enixe postulat ut ab eo de his omnibus instruatur.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid* DOMITILLAE *respondendum? an expediat ut in particulari edoceatur?*

2.° *Quomodo cum* VENEFRIDA *agendum?*

SOLUTIO:

1097-1101. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Confessarius valde prudenter et caute cum DOMITILLA procedere debet, nempe modo generali tantum, ad particularia minime descendendo; cavendum enim est ne scandalum

(1) Casus IV omissus est, quia de amissione iuris petendi debitum agebat causa incestus, quae amissio per Codicem sublata est. V. **Comp.**, vol. 1, nn. 1037, 1180.

paenitenti creet, officia coniugum minutatim evolvendo. Haec autem proferre potest: «Sanctum est matrimonium, vocaturque ab Apostolo *magnum in Christo et in Ecclesia;* adeoque sancte in hoc sacro vinculo vivendum est. Non omnia sane in coniugio licita sunt, sed ea tantum quae ad illius finem conducunt. Generatim oboedientiam viro tuo praestare debes, nisi clare intelligas aliquid mali tibi praecipi, aut a te postulari. Ne tardes, quaeso, ad sacrum paenitentiae tribunal iterum accedere; tum autem, si difficultas quaepiam in mentem tibi venerit, eam confessario tuo candide aperies». *Reuter,* Neoconfessarius, part. 2, n. 113. — V. **Comp.,** n. 1145, IV.

1102. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Eadem fere cautela erga VENEFRIDAM, recens coniugatam, agendum est. Generatim non praeeat confessarius, sed interroganti paenitenti respondeat tantum in genere, scilicet, ea coniugibus licere, quae ad prolis susceptionem conducunt; nihil esse faciendum, quod huic fini matrimonii adversetur; omnia honeste, et secundum ordinem a natura institutum peragenda esse. Confessarius igitur ad particularia non deveniat, sed sinat ut mulier proprias difficultates exponat, si quas habeat quibus angatur, et tunc iis breviter respondebit. *Reuter,* Neoconfessarius, ibid. — V. **Comp.,** l. c.

* CASUS V *bis*

DE USU MATRIMONII

TITIUS habet uxorem aegre valentem, praecise ratione usus matrimonii, a quo usu tamen sponsus non vult sese abstinere.

Sed rem componit hoc pacto: sponsus excitat prius seipsum tactibus ex se impudicis; in momento seminandi, seminat intra vas mulieris, potius per iuxtapositionem organorum quam congressu proprie dicto; semen tamen recipitur intra vas mulieris vel totum vel maxima pars. Opus autem seminandi perficitur spatio unius minuti, plus minusve.

HINC:

QUAER. 1.° *Suntne omnia licita?*
2.° *Quatenus negative, quid suadendum viro, ad pauca parato?*
3.° *Quid suadendum mulieri ad omnia omnino paratae?*

SOLUTIO:

1102 *bis.* — *Resp.* Si revera grave sit incommodum ex parte feminae si res aliter perficiatur, non constat de peccato, saltem gravi. Igitur id aperte eis significari potest, quamvis consilium utrique detur ut,

quantum liceat, rem meliori quo possint modo perficiant. Suppono uxorem non versari in proximo periculo incontinentiae eo quod privetur venerea delectatione alias sibi debita.

* CASUS VI

ONANISMUS 1.°

ROMANA virum habet impium, procreare liberos fastidientem, saturandae vero libidinis cupidum, qui idcirco dum ad uxorem accedit, infandum Onae crimen semper patrat. Hoc ROMANAE notissimum. Itaque luget, atque ingemiscit pia mulier. Si virum admoneat de usu matrimonii rite obeundo, vel si debitum ob abusum ei deneget, verbis asperis et durioribus verberibus excipitur. Timens divinam offensam, nescit misera quo se vertat. Undique ambagibus premitur. Pergit ad confessarium, consilii petendi causa. Ab eo quaerit utrum debitum viro petenti reddere possit, et an poscere sit sibi criminosum? Utrumque flagitiosum esse asserit confessarius, quia crimen Onae est quid intrinsece malum, etiam ex parte uxoris, utpote cooperantis. Quare omnia mala et ipsam mortem esse sufferendam ab uxore, potius quam tanto scelere foedari. Moerens ROMANA a confessario recedit, et prae dolore mortem appetit.

HINC:

QUAER. 1.° *An unquam in viro onanismus excusari possit a mortali?*

2.° *An a peccato excusari valeat mulier invita, virum onanistam patiens ex gravi causa?*

3.° *An vero excusetur mulier, debitum sine gravi causa viro onanistae reddens? et an petere possit?*

4.° *Quid de casu?*

SOLUTIO:

1103. — *R. ad* 1^m *Quaes. Neg.* omnino, quia infandus ille actus est semper viro voluntarius in onanismo *ordinario:* is enim est semper agens, dum mulier se passive habere potest. Malitia onanismi intrinseca consistit in hoc quod vir, copula incepta, se retrahat, ne semen in corpore mulieris effundatur, et proinde ne generatio inde sequatur; hoc autem est semper intrinsece malum; ergo vir nunquam a peccato gravi excusari potest; ergo nunquam est absolvendus, nisi de peccato doleat, et emendationem promittat.

N. B. Onanismi peccatum committitur etiam: *a)* Si membrum virile involucro quodam circumdetur ita ut, quamvis semen effundatur quin retrahatur membrum virile a vagina, fecundatio sequi nequeat; *b)* si intra vaginam alterum vas (uterus membranaceus, spongia, etc.)

contineatur, quod post copulam *cum semine* removeatur et ita impediatur generatio; *c)* si mulier, antequam copulam cum marito habeat, os uteri cum medicamento madefaciat, ut illud stringatur et claudatur, ita ut impediatur ascensus seminis in uterum, et consequenter impossibilis reddatur fecundatio; *d)* si in femineum vas ante copulam medicina introducatur, quae vim habeat substantialiter corrumpendi virile semen: **in quadruplici hoc casu,** *cum actus ab initio illicitus sit,* **mulier nec petere nec reddere potest;** *e)* si mulier brevi post copulam adhibeat lotiones uteri vel vaginae ad semen expellendum vel corrumpendum. *Capellmann,* pag. 133, 136; *Génicot,* n. 549; *Lehmk.,* 2, n. 858. Si autem mulier statim post copulam surgat, vel mingat, nihil facit quod conferat ad semen expellendum, quamvis peccare possit ex prava intentione. *Eschbach,* l. c., coroll., ad finem operis; *Berardi,* Praxis, 1, n. 989.

1104. — *R. ad* 2^m *Quaes.* 1.° *Affirm.,* si agatur de onanismo ordinario seu per *retractionem,* modo interius peccatum detestetur, ac displicentiam suam signis aut verbis ostendat. Ratio est: 1.°, quia rei licitae vacat, scilicet, actui coniugali; actus enim ille non est malus ex parte onanistae, nisi in fine, quando se retrahit. Haec autem inconstantia, quae actum intrinsece malum reddit, est omnino independens a muliere, quae se mere passive habet. 2.° Quia mulier non tenetur cum gravi suo incommodo, seu cum periculo iurgiorum, etc., peccatum mariti impedire. 3.° Quia constat ex variis responsionibus S. Paenit. talem uxorem non esse inquietandam. Cfr. S. Paenit., 3 apr. 1916.—V. **Comp.,** nn. 1150, 1160, 1165.

2.° *Negative* vero, si onanismus exerceatur modis *a, b, c, d,* descriptis n. 1003, *N. B.* Tunc enim graviter peccaret, quia illi modi ab initio sunt intrinsece mali: unde uxor nec petere nec reddere unquam potest. Idem intelligas si propositum habeat adhibendi lotiones de qua in *e.* S. Paenit., 3 apr. 1916.

1105. — *R. ad* 3^m *Quaes.* 1.° Non videtur excusanda mulier, quae sine gravi ratione debitum viro reddit, quando certo ipsi constat quod ille sit male acturus. Ratio est, quia ad cooperandum peccato alterius, licet materialiter tantum, causa gravis et proportionata requiritur. Constat etiam ex variis responsionibus S. Paenit., quae semper causam gravem requirunt ut mulier virum onanistam patiatur. V. **Comp.,** n. 1160. Causae autem graves fere semper habentur, v. gr., timor fundatus graviter viro displicendi, et pace in vita coniugali carendi, etc. Attamen *S. Alph.,* n. 947, dicit uxorem *probabilius* posse, immo et teneri debitum reddere viro onanistae, absque gravi causa: ratio est, ait, quia maritus ius habet ad copulam, et mulier, si non possit eum ab ea avertere per monitionem, non cooperatur peccato mariti reddendo debitum, quia cooperatur tantum copulae inceptae, non vero actioni viri quando, imperfecta copula, se retrahit. Sed recentibus S. Paenit. responsis nunc standum

est. — Quae omnia fac intelligas de onanismo *ordinario,* non de alio per additionem.

2.° Certo autem uxor non potest debitum petere a viro onanista absque gravi causa, v. gr., si ipsa periculo gravi incontinentiae exponatur, quia cooperatio etiam materialis sine iusta ratione permitti nequit. Secus vero, si uxor gravi de causa debitum petat; quia tunc a peccato cooperationis excusatur. *S. Alph.,* n. 947. Constat etiam ex declaratione Card. de Gregorio, S. Paenitentiariae praefecto. Quod pariter intelligendum est tantum de onanismo ordinario, non de alio.

Igitur cum uxor se accusat de malo usu coniugii culpamque vertat in maritum, ne applicet statim confessarius doctrinam de onanismo peracto per retractionem, sed interroget prudenter et modeste, ut intelligat an perficiatur alio ex modis supra dictis. Quod si ita sit, denuntiet firmiter, tunc iam ab initio copulam esse intrinsece malam, ideoque eam non magis licere, quam si esset cum viro non suo.

Immo mulier casu quo vir ad onanismum exercendum uti velit instrumento, tenetur ad positivam resistentiam, eam scilicet, quam oppressori virgo opponere debet (S. Paenit , 3 iun. 1916). Quod si sodomitice agere velit, uxor id permittere nequit ne mortis quidem vitandae causa (ibid., 3 apr. 1914). V. **Comp.,** n. 1154.

1106. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° In casu ROMANA nullo modo erat inquietanda, si, ut supponitur, agebatur de onanismo per retractionem, cum ex gravi causa viro onanistae debitum reddere impelleretur. Erravit igitur, et graviter, confessarius, eam de peccato mortali et de cooperatione intrinsece mala damnando. Id quidem asserebant olim theologi non pauci; sed, re melius perpensa, theologi recentiores communissime docuerunt mulierem non facere rem intrinsece malam debitum viro onanistae reddendo, cum gravi causa. (Excipe casus descriptos supra, n. 1103, *N. B.)* Omne dubium hac de re nunc reiiciendum est post memoratam S. Paenitentiariae decisionem; quis enim confessarius, graviter illicitum, et quidem intrinsece malum, declarabit id quod theologi communiter, et ipsa tribunalia romana permittunt? Igitur doctrinam suam emendare debet confessarius, et moerentem ROMANAM confestim consolari, ne prae tristitia et dolore mortem invocet.

2.° Recte egisset confessarius, si ageretur de onanismo per retractionem.

CASUS VII

ONANISMUS 2.°

1.° FLORIANUS, missionarius, maximis laborat difficultatibus circa coniugatos audiendos et absolvendos. Urget et instat in inquirendis peccatis actui coniugali et iuribus matrimonii oppositis. Omnes paenitentes vinculo nuptiali coniugatos de his sedulo interrogat. Quos au-

tem reperit his sordibus inquinatos non absolvit, nisi praehabita experientia quod in matrimonio debite vixerint; immo, pro sacramentali paenitentia ante absolutionem adimplenda, coniugale debitum rite reddendum eis iniungit.

2.° ARNALDUS, pariter missionarius, alia principia docet et sequitur. Tenet enim nunquam paenitentes hac de re esse interrogandos, licet ex adiunctis videantur praevaricatores, et taceant; immo non esse audiendos, si interrogent, at per effugium eis esse respondendum: quia, si sint in bona fide, ab ea non sunt extrahendi; si non sint, in ea sunt indirecte constituendi, ut salvi fiant.

HINC:

QUAER. 1.° *An vel quomodo interrogandi sint coniuges de peccatis operi coniugali oppositis?*

2.° *An sint interrogandi, ubi nulla occurrit* gravis *suspicio quod in his deliquerint?*

3.° *Quid de sententia eorum qui tenent coniuges nunquam esse interrogandos?*

4.° *Quid de agendi ratione utriusque missionarii?*

SOLUTIO:

1107. — *R. ad* 1m *Quaes.* Coniuges interrogandi non sunt de peccatis in usu matrimonii patratis, nisi obiter et perpaucis, propter incommoda quae ex multiplicatis interrogationibus sequerentur. Igitur, si locus sit interrogandi, breviter et *modo generali tantum* id fieri debet, ut occasio detur paenitenti, si reus sit, sese accusandi et obligationi suae satisfaciendi. Confessarius enim constituitur ad paenitentem adiuvandum quidem, ut viam ipsi sternat; sed non tenetur interrogare de iis omnibus, quae paenitens declarare debet: porro, si hoc verum est generatim loquendo, quanto magis in praesenti materia, quae maioribus quidem scatet incommodis! V. **Comp.**, nn. 1145, IV, et 1153.

1108. — *R. ad* 2m *Quaes.* Minime gentium: hinc si tibi occurrant paenitentes qui christiane vivant, neque soleant frequenter in mortalia prolabi, et interdum, decurrente anno, confiteantur et communicent, ab iis de actu coniugali interrogandis abstinere potes; immo *per se* debes, nisi tibi appareat suspicio *valde gravis,* quod in peccatum sint lapsi; a fortiori altum servare debes silentium, si coniuges frequenter confiteri soleant.

1109. — *R. ad* 3m *Quaes.* Illa sententia minime servanda est; e contrario prorsus reiicienda. Constat ex decisione S. Congr. Inquisitionis, die 21 maii 1851. Quaesitum enim fuerat, qua nota digna foret sequens propositio: *Nunquam expedit interrogare de hac materia (onanismi) utriusque sexus coniuges, etiamsi prudenter timeatur ne coniuges, sive vir, sive mulier, abutantur matrimonio.* Responsum fuit: *Propositionem prout iacet esse falsam, nimis laxam, et in praxi periculosam.* V. **Comp.,** n. 1160 seq.

Revera confessarius munus suum medici, doctoris et iudicis adimplere debet circa coniugum obligationes debitum matrimoniale spectantes, sicut in ceteris; sed maiori prudentia et interrogationum sobrietate in hac materia uti debet.

1110. — *Obiicies:* Sed cavendum est ne coniuges, qui forte in bona fide versantur, ab ea eruantur, et subinde peccata formalia committant.

Resp. Si valeret obiectio, iam neminem in re qualibet interrogare posses, ne paenitentes a bona fide excutias. Iam facillimum evaderet munus confessarii, et plerumque abiicere deberet sacerdos, vicarius Christi in tribunali paenitentiae, partes medici, doctoris et iudicis. Theologi docent quidem communiter omittendas esse interrogationes, ubi ex una parte constat de bona fide paenitentium, et ex altera praevidetur eos non obtemperaturos monitioni; sed in casu nostro non semper tibi constat de bona fide, ad summum enim de eius exsistentia dubitas. Immo saepe constat vel de mala fide paenitentium, vel de eorum ignorantia vincibili; ea enim quae repugnant iuri naturali, ut repugnat onanismus, non tam generaliter ignorantur.

1111.—*R. ad* 4m *Quaes. In primo casu,* omnino arguendus et damnandus FLORIANUS: 1.° quia omnes coniugatos de usu coniugali illicito interrogat, siquidem plerumque hac de re inquirendum non est; 2.° quia sedulo interrogat, cum nonnisi *generaliter* et *breviter* sit interrogandum, v. gr. an paenitens aliquid indebite circa matrimonium egerit (V. **Comp.**, l. c.); 3.° quia requirit ut paenitentes, de onanismo rei, experientiam de recto usu matrimonii faciant antequam absolvantur: hoc enim maximis incommodis obnoxium est, et, si malunt a coniugio omnino abstinere, ad illud cogi non possunt; 4.° quia idipsum pro salutari paenitentia imposuit: hoc enim confessarium et confessionem in contemptum et derisionem vertere potest.

1112. — *In secundo casu,* arguendus pariter et damnandus ARNALDUS: 1.° quia docet doctrinam falsam et periculosam, scilicet, nunquam esse de usu coniugii paenitentes interrogandos, iuxta superius dicta in responsione ad 3m quaes.; 2.° quia docet paenitentes non esse audiendos si hac de re interrogent; confessarius enim ut doctor non debet celare veritatem, praesertim iis, qui eam requirunt; insuper ii, qui interrogant, eo ipso in bona fide, seu in ignorantia invincibili, non versantur; 3.° quia docet paenitentes in bona fide esse constituendos saltem *indirecte,* quod falsum est et absurdum.

CASUS VIII

ONANISMUS 3.°

HUMBERTUS, confessarius, sic in sequentibus casibus:

1.° Ratum habet difficile credendum esse viris emendationem in usu matrimonii promittentibus, adeoque eis ipse absolutionem communiter denegat, usquedum firmitatem propositi longo temporis intervallo probaverit.

2.° Uxores non absolvit, nisi toties quoties repugnantiam exteriorem, et quidem maximam, viro onanistae ostenderint, et pessimum exitum ex denegatione debiti timuerint.

3.° De peccato mortali damnat uxorem in usu illo matrimonii delectationi sensibili consensum praebentem, licet a peccato viri abhorruerit, et repugnantiam suam viro ostenderit.

4.° Graviter arguit uxores quae interne cupiunt prole non gravari, licet debitum recte adimplere velint, et a peccato abhorreant.

HINC:

QUAER. 1.° *An absolvi possint onanistae recidivi, si emendationem promittant?*

2.° *Quid agendum cum uxoribus onanistarum, quae nollent quidem Deum offendere, sed nollent etiam filios procreare?*

3.° *Quid de doctrina et praxi* HUMBERTI *in singulis?*

SOLUTIO:

1113. — *R. ad* 1m *Quaes.* Tractandi sunt onanistae recidivi sicut alii qui in alia peccata relabuntur; regulae igitur quae communiter statuuntur pro recidivis, iis etiam sunt applicandae. Quare, si onanistae recidivi videantur vere de peccatis dolere, et emendationem serio promittere, absolvendi sunt.

1114. — *R. ad* 2m *Quaes.* Non paucae uxores in istis ambagibus versantes reperiuntur, quae abhorrent quidem a peccato mortali, quia nollent in aeternam damnationem incurrere, sed etiam a filiis procreandis deterrentur. In praxi requiritur: 1.° ut nullo actu positivo viri peccato cooperentur, neque verbis, neque signis, nec querimoniis de prole numerosiore, etc.; 2.° ut displicentiam externam habeant de peccato a coniuge commisso. His autem stantibus, non sunt inquietandae uxores respectu onanismi per retractionem, licet molestiam ac repugnantiam notabilem experiantur relative ad generationem: repugnantia enim ob partus dolores, et metum mortis forte ex partu secuturae, naturalis est; neque arguendae sunt mulieres coniugatae ex eo quod desiderent non habere plures filios, siquidem huiusmodi desiderium

nihil mali continet, modo peccato viri non cooperentur, neque in eo sibi complaceant. Compescendae etiam sunt uxores timoratae conscientiae, quae timent ne affectu interno in prava viri actione delectentur, ut filios non procreent; quia, cum plerumque a peccato gravi abhorreant, non censentur huiusmodi complacentiae inhaerere; proindeque absque difficultate sunt absolvendae.

1115. — *R. ad* 3^m *Quaes. Quoad primum casum,* HUMBERTUS severiorem procul dubio se habuit erga viros emendationem promittentes. Si confessarium decipiant, ipsi viderint. Tutus erit in conscientia confessarius *per se,* si illi asseverent se dolere de praeterito, et serio promittant emendationem de futuro: nihil aliud inquirendum remanet. Nec admittenda praxis HUMBERTI de firmitate propositi per temporis diuturni intervallum probanda; quia relapsus minime probat propositum defuisse, siquidem saepe etiam qui firmiter proponunt se peccatum vitaturos, relabuntur. V. **Comp.,** n. 728.

1116. — *Quoad secundum casum,* iterum severiorem praxim sequitur HUMBERTUS *si de onanismo per retractionem* sit sermo, non enim necessarium est ut uxores toties quoties displicentiam suam viro manifestent; sed sufficit si interdum id faciant, ita ut vir habitualiter existimet suam agendi rationem uxori displicere. Neque necesse est ut uxor pessimum exitum timeat ex denegatione debiti ad illud concedendum, sed satis est ut reformidet grave incommodum quodcumque, v. gr. si vir cessaret dare signa amicitiae, aut se ostenderet valde offensum; tunc enim eius consortium fieret ingratum, et magnum incommodum pro *uxore* tractu temporis induceret.

Quoad tertium casum, errat quoque apertissime HUMBERTUS. Uxor enim in actu copulae coniugalis delectationem sensibilem admittere semper potest, licet praevideat virum peccatum *Onae* patraturum esse; actus enim ille est in se honestus et mulieri permissus: satis est igitur ut peccato viri non consentiat.

1117. — *Quoad quartum casum,* atque iterum errat confessarius, arguendo de peccato uxores quae interne optant ut prolem non habeant; sufficit enim ut nullo actu positivo, ut supra dictum est, praevaricationi coniugis cooperentur, nec eius peccato assentiant. Caveant autem illae mulieres ne in tali desiderio, ceteroquin licito, diutius immorentur. Morosa enim illa consideratio non raro earum mentem perturbat, et quibusdam periculosa est.

* CASUS IX

ONANISMUS 4.°

TITIUS, coniugatus, prudenter in confessione a parocho interrogatus de usu matrimonii, fatetur se cum uxore, etiam aliquatenus repugnante, coitum semper abrumpere, ne sequatur proles, ita ut fere

semper extra vas mulieris seminare illi contingat. Additque se ita agere propter duplicem rationem: 1.° ne prole numerosiore status familiae deiiciatur (iam enim habet filium et filiam); 2.° ne uxor iterata graviditate nimium defatigetur: immo asserit hunc suum agendi modum sibi probatum fuisse a perillustri quodam confessario, modo in tali actu intendat sedationem concupiscentiae et non pollutionem. Parochus vero existimans rationem agendi TITII onanismum redolere, imperavit ut ab illa desisteret, suasitque ut, generationis vitandae gratia, illo tantum tempore copula uteretur, quod intercedit inter diem 14 a coepta menstruatione, et 4 ante novam menstruationem. Non acquievit TITIUS, parum fidens huic partiali abstinentiae. Quare confessarius illum in suo agendi modo perseverare volentem, inabsolutum dimisit.

HINC:

QUAER. 1.° *An recte se gesserit parochus* TITIUM *inabsolutum dimittendo?*
2.° *An licite praedictum dederit consilium?*
3.° *Ad quid teneantur parochi ac confessarii adversus onanismum coniugalem?*

SOLUTIO:

1117 *a.—R. ad* 1m *Quaes. Affirm.,* etenim «Sacra Paenitentiaria (13 nov. 1901) mature consideratis expositis, respondet: Parochum, de quo in casu, recte se gessisse, atque absolvi non posse paenitentem, qui abstinere nolit ab huiusmodi agendi ratione, *quae est purus putus onanismus*». V. **Comp.,** n. 1165.

1117 *b. — R. ad* 2m *Quaes. Affirm.,* quia copula debito modo uti illo tempore nullo iure prohibetur, nec alicubi prohibetur alio tempore a copula mutuo consensu abstinere. — Unde S. Paenit., 16 iun. 1880, respondit: «Coniuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam, de qua agitur, illis coniugibus (caute tamen) insinuare, quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit».

De efficacia huius partialis abstinentiae certe auctores disputant: at *Capellmann* ex medica experientia, tum propria tum aliorum medicorum, asserit probabilitatem generationis ex copula habita tempore illo intermenstruali adeo esse tenuem, ut revera nulla dici possit; seu non maiorem esse, quam in quovis alio coitu sterili onanistico. Cfr. *Capellmann,* l. c., pag. 135, 136.—V. **Comp.**, n. 1159.

1117 *c. — R. ad* 3m *Quaes.* Cum haec lues onanismi coniugalis latius in dies serpat etiam sub praetextu scientifico et damna quamplurima animabus inferat, immo periculum gravissimum pro familia ac pro ipsa societate et bono publico iam constituat, parochi et confessarii (ut medicos aliosque omittam) tenentur obligatione *gravissima* huic malo obstare, sive instruendo futuros coniuges, sive coniuges

interrogando prudenter in confessionali et clare aperteque interrogationibus paenitentium in confessionali respondendo, ne confessarii vel parochi silentium confirmet paenitentes in suo modo procedendi.

* CASUS IX *bis*

ONANISMUS 5.°

TITIUS, medicus, BERTHAE solutae, quae matrimonium contrahere cupiebat, matrimonium interdixit, ei denuntians gravissimum mortis periculum si praegnans evadat. Nescit illa an medici consilio aut praecepto oboedire teneatur, an libere possit matrimonium contrahere. Idem TITIUS MARTHAE coniugatae denuntiavit quoque periculum mortis si prolem concipiat, quare illa onanistice tantum coniugio utitur.

HINC:

QUAER. *An et quatenus iis medicorum praescriptis standum est?*

SOLUTIO:

1117 *d.—R. ad Quaes.* Medici, si timorati non sint, huiusmodi pericula partus pluries exaggerare solent, et hodie ars medica ea praecavere scit. Unde communiter nulla est obligatio talia consilia sequenti, certissimumque est, onanismum esse semper gravissimum peccatum.

Solent medici feminis cardiacis interdicere matrimonium, si solutae sint; praegnantiam, si coniugatae; at ipse medicus *Desplats* casum refert feminae cardiacae, quam ipse vidit et quae, cognoscens suum statum, matrimonium contraxit et septem filios genuit. Repente quidem mortua est, sed non ex partu, neque dum erat praegnans, aetatis anno 41.

E contra in praegnantia, tam prima, quam in subsequentibus, fetus exercet in matrem actionem stimulantem salutiferam, qua evolutio matris physiologice perficitur, energiae morales mirabiliter augentur, plures nervorum infirmitates vincuntur, character firmior et ad pericula subeunda difficultatesque vincendas animosior et constantior evadit. Hanc actionem opotherapiam totalem appellat clarissimus medicus *Dr. Desplats,* De la dépopulation par l'infécondité voulue. Cfr. *Annales de la Société scientifique de Bruxelles,* Rapport présenté à la section de Médecine, séance du 28 avril, 1908. Supplément, pag. 9 seq., 26 seq. Vide etiam *Vermeersch,* Le problème de la natalité, etc.

Immo praegnantiam esse efficaciorem remedium contra quasdam affectiones locales, propter quas antea putabant medici praegnantiam esse interdicendam, testatur *Dr. Desplats,* ibid., pag. 12.

Item medici gynecologici invenerunt praegnantiam esse medium aptius cavendi aut curandi quamplures affectiones genitales *(Dr. Desplats,* l. c., pag. 13).

N. B. 1.° Novis prolibus fortior et dulcior redditur coniugalis amor. Cfr. *Dr. Desplats,* l. c., pag. 10.

2.° Nec pro matre nec pro filiis periculum creat praegnatio frequens, etsi habeatur singulis annis. *Dr. Desplats,* l. c., pag. 27, 28.

3.° Certe multo graviora sunt pericula onanismi, quam praegnantiae; habetque tristiores sequelas onanismus, quam numerosa proles.

4.° Sunt revera casus, in quibus praegnantia periculosa quidem est, sive propter vitia conformationis organorum, sive propter affectiones renales, aut etiam cardiacas, aut propter tuberculosim pulmonarem, etc. Sed tunc aut abstinendum omnino est a copula, aut divinae providentiae se coniuges committere debent, recte utendo matrimonio. Verum nullo modo eis licitus est onanismus neque in hoc casu, sub ullo modo. V. **Comp.,** nn. 1157, 1158.

CASUS

DE CENSURIS

SEU

De conditionibus ad censuram contrahendam requisitis; de absolutione a censuris; de excommunicatione in genere, et ratione duelli, lectionis librorum prohibitorum, clausurae religiosae; de suspensione; de sepultura ecclesiastica; de interdicto.

CASUS I

CONDITIONES CENSURARUM

1.° MARTIALIS, miles, duello lacessitus, aegerrime, sed metu gravi adactus acceptans, adeo infeliciter se gessit, ut ab adversario transverberatus fuerit. Humi prostratus, sanguine perfusus, sacerdotem reclamat. Praesto advolat VICTORINUS, militum capellanus, qui inter alia MARTIALEM interrogat an censuram duello annexam esse cognoverit; respondet moribundus, se quidem cognovisse duellum esse gravissimum peccatum, sed ignorasse illud ab Ecclesia sub aliqua poena prohibitum fuisse.

2.° GASPARUS, Episcopus, prohibuit sub poena excommunicationis clero suo lusum chartarum in publicis diversoriis. ALBINUS et CYRILLUS, sacerdotes, per aliam dioecesim iter agentes, huiusmodi ludo vacant. ALBINUS advertens adversarium contra leges lusus fraudulenter agere, ex subito irae motu ei alapam impingit. CYRILLUS, iniuriam non ferens, statim ALBINUM repercutit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam conditiones ad censuram contrahendam requirantur?*

2.° *An vel quaenam ignorantia vel metus a censura excuset?*

3.° *An* MARTIALIS *in primo casu censuram contraxisse censeatur, et an, vel quomodo, a simplici sacerdote absolvi potuerit?*

4.° *An* ALBINUS *et* CYRILLUS *in secundo casu censuram contraxerint, aspectis praefatis circumstantiis?*

SOLUTIO:

1118. — *R. ad* 1m *Quaes.* Ad censurae *validitatem* requiritur ut delictum, cui adnectitur, sit *externum, grave, consummatum,* cum *contumacia coniunctum* (can. 2242, § 1).

Igitur delictum (1) debet esse: 1.° *Externum* (et *grave* qua externum); nam Ecclesia iudicat in foro externo, ad quod censurae pertinent, non vero de mere internis. — 2.° *Grave;* censura enim, cum sit poena gravissima, mortalem culpam requirit. — 3.° *Consummatum opere,* i. e. completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quae in praecepto vel lege continentur, ita ut completus sit ille effectus, quem legislator intendit sub censura prohibere; quia leges poenales sunt stricte interpretandae, iuxta regulam iuris: *Odia restringi, favores convenit ampliari.* — Excipe nisi legislator contrarium exprimat. — 4.° *Non mere praeteritum;* quia censura est poena medicinalis, quaeque proinde ferri non potest in eos, qui iam ad meliorem frugem sese receperunt. Proinde ut in casu peccatum *praeteritum* dicatur, necesse est ut ita prorsus cesset, ut nullo modo coniunctum sit cum aliqua inoboedientia et contumacia praesenti. Vide *S. Alph.,* lib. 7, n. 54.—5.° *Coniunctum cum contumacia* contra *Ecclesiae legem* seu *praeceptum.* — Ratio est, quia finis praecipuus censurae est pertinaciam contra legem Ecclesiae frangere. *S. Alph.,* n. 30 seq.

Qui a gravi culpa excusatur ob aliquam circumstantiam, etiam a censura excusatur, licet materia sit in se gravis (can. 2218, § 2). V. **Comp.,** n. 1189.

R. ad 2m *Quaes.* 1.° Ignorantia *affectata,* sive legis, sive solius poenae, nunquam excusat (can. 2229, § 1).—2.° Ignorantia *crassa,* vel *supina* excusat, si lex habeat verba *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit,* aliave similia, quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt (ibid., § 2); secus nunquam excusat (ibid., § 3, 1.°). — 3.° *a)* Ignorantia legis, aut *solius poenae,* si non fuerit crassa, vel supina, excusat *a censuris* latae sententiae, non autem *a vindicativis* latae sententiae poenis (ibid.). *b)* Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, si actiones sint adhuc *graviter culpabiles,* a poenis latae sen-

---

(1) Nomine *delicti,* iure ecclesiastico intelligitur *externa* et moraliter imputabilis legis violatio, cui addita sit *sanctio canonica* saltem indeterminata (can. 2195, § 1).— Quatuor igitur conditiones requiruntur ad constituendum *delictum:* 1.ª ut violetur lex, 2.ª libere, 3.ª externe, 4.ª ut violationi addita sit sanctio, seu poena canonica.

N. B. Quae in iure dicuntur de delictis, applicantur etiam violationibus *praecepti,* cui poenalis sanctio adnexa sit, nisi ex adiunctis aliud appareat (ibid., § 2). Differentiam inter legem et praeceptum vide in **Comp.,** vol. 1, n. 148.

Ergo omne delictum est peccatum, sed non omne peccatum est delictum. Peccatum enim est libera legis (aut praecepti) violatio, sive violatio sit externa, sive interna, sive legi addita sit sanctio canonica, sive non.

tentiae *non excusant* (ibid., 2.°). — 4.° Metus *levis* nunquam excusat; *gravis* vero excusat. Excipe, si delictum vergat in *contemptum* fidei, aut ecclesiasticae auctoritatis, vel in *publicum* animarum *damnum* (ibid., 3.°). V. **Comp.,** 1181.

1119. — *R. ad* 3m *Quaes.* MARTIALIS minime incurrit in excommunicationem simpliciter reservatam (can. 2351) latam contra duellantes, ex duplici ratione: 1.° quia metu gravi adductus est ad duellum; 2.° quia ignoravit censuram latam esse in eos qui duello confligunt. Praeterea etsi censuram contraxisset, in illo mortis articulo prout MARTIALIS versabatur, potuit absolvi a quocumque confessario directe et absolute, i. e. sine ullo onere se praesentandi Superiori, etiamsi MARTIALIS convalescat (nisi absolutus fuerit a censura *ab homine,* vel a censura *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservata). Ratio est, quia haec *censura non est* reservata *specialissimo modo,* sed tantum *simpliciter, Rom. Pontifici.* Cfr. dicta supra, n. 556. - V. **Comp.,** nn. 676 et 680, 1198, IV, 1259.

1120. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° ALBINUS et CYRILLUS non incurrerunt in censuram ludendo extra dioecesim; ratio est, quia statutum Episcopi ita generaliter latum, est lex territorialis, quae proinde non se extendit extra dioecesim; secus autem, si prohibitio facta sit alicui, aut aliquibus in particulari, quia tunc esset personalis. *S. Alph.,* n. 15 et seq.; *Reuter,* n. 270.

2.° Neque praefati clerici in censuram incurrerunt se invicem percutiendo, quia ad censuram contrahendam requiritur peccatum mortale; porro neque ALBINUS, neque CYRILLUS, censetur graviter peccasse. Percussio enim unius et repercussio alterius, ex motu primoprimo habita, caruit advertentia perfecta ad peccandum letaliter requisita; ergo neuter incurrit in excommunicationem contra percussores clericorum latam, et Ordinario proprio reservatam, iuxta can. 2343, § 4. **Comp.,** n. 1267.

* CASUS II

ABSOLUTIO A CENSURIS 1.°

1.° SIDONIUS, simplex sacerdos, ad moribundi confessionem excipiendam vocatus, eum variis censuris innodatum reperit: v. gr. ratione duelli, violatae clausurae monialium, necnon nominis sectae massonicae dati. Nescit confessarius an sit recurrendum ad Episcopum, cum sic adhuc possibilis recursus. Tandem absolvit aegrotum cum expressa conditione, ut ipse sistat se coram Episcopo, si a morbo convalescat.

2.° RENATUS, sacerdos extraneus, duplici suspensione papali et episcopali innodatus, pergit ad quamdam domum regularium ut exercitia spiritualia peragat, sperans se a patribus utroque vinculo solvendum esse.

HINC:

QUAER. 1.° *Quis absolvere possit a censuris in genere?*
2.° *An Ordinarii remittere possint poenas latae sententiae iure communi statutas?*
3.° *Quis vero speciatim in morte?*
4.° *An recte egerit* SIDONIUS *in primo casu? aut quid ipsi agendum fuisset?*
5.° *An* RENATUS *in secundo casu absolvi possit a confessario tum a peccatis, tum a censuris?*

SOLUTIO:

1121. — *R. ad* 1m *Quaes.* 1.° Censura *ab homine* semper est reservata ei, qui censuram inflixit, aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti, vel delegato, aut successori (can. 2245, § 1).

N. B. Poena *latae sententiae* in iure statuta quam quis incurrat, est *a iure,* sive coniungatur cum sententia declaratoria, sive non; habetur vero *ab homine: a)* poena *latae sententiae* adnexa praecepto peculiari, v. gr. si Ordinarius praecipiat clerico N., ut dimittat famulam e domo sub poena suspensionis ipso facto incurrendae, si intra mensem non obtemperet; *b)* poena in iure non statuta, sed imposita per sententiam iudicialem *condemnatoriam; c)* poena *ferendae sententiae* in iure statuta et applicata per sententiam iudicialem *condemnatoriam*. V. **Comp.,** n. 1175.

2.° *Episcopi: a)* ex can. 2237, § 2, absolvere possunt etiam a papalibus censuris *occultis*, iis exceptis, quae *speciali* vel *specialissimo modo* Rom. Pontifici sunt reservatae; *b) Cardinales* absolvere possunt paenitentes quoslibet a quibusvis peccatis et censuris, exceptis tantum censuris *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatis, et illis, quae adnexae sint revelationi secreti S. Officii (can. 239, § 1, 1.°). V. **Comp.,** n. 1199, VI.

R. ad 2m *Quaes. Affirm.,* etiam in casibus *publicis*. Excipe: *a)* casus ad forum contentiosum deductos; *b)* censuras omnes Sedi Apostolicae reservatas; *c)* poenas *inhabilitatis* ad beneficia, officia, dignitates, munera in Ecclesia, vocem activam et passivam, eorumve *privationis; suspensionis* perpetuae, *infamiae* iuris, *privationis* iuris patronatus et privilegii seu gratiae a Sede Apostolica concessae (can. 2237, § 1, 1.°-3.°). V. **Comp.,** n. 1185, et infra, n. 1123 *b*.

R. ad 3m *Quaes.* In *periculo mortis* omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet paenitentes a quibusvis *peccatis,* aut *censuris,* quantumvis *reservatis* et *notoriis,* etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvis his, quae circa absolutionem complicis statuta sunt (can. 882); sed qui hoc pacto a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura *ab homine,* vel a censura **specialissimo modo** *Sedi Apostolicae* reservata, tenentur, postquam convaluerint, obli-

gatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum, qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Paenitentiariam, vel ad Episcopum, aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi (can. 2252). Poterit etiam adire alium confessarium facultate praeditum, ut pro casu absolutionis in casibus urgentioribus dictum est. V. **Comp.**, n. 1198, IV.

N. B. Ab omnibus peccatis et censuris, etiam a *censuris* reservatis *speciali modo* Rom. Pontifici, absolvi poterit semel in vita et semel in morte vi **Bullae Cruciatae,** absque ullo onere se sistendi Superiori. V. **Comp.**, n. 1358.

1122. — *R. ad* 4^m *Quaes.* Recte egit SIDONIUS moribundum absolvendo ab omnibus peccatis et censuris cuicumque et quomodocumque reservatis. Cfr. supra, n. 556 et **Comp.**, n. 676.

Sed male se gessit imponendo paenitenti, si a morbo convalescat, obligationem sistendi se coram *Episcopo.* Absolutio enim in articulo mortis concedi debet sine onere, nisi paenitens absolvatur a censura *ab homine,* aut a **censuris specialissimo modo** Rom. Pontifici reservatis, in quo ultimo casu *per se* deberet paenitens, recuperata sanitate, se sistere coram Papa, non coram *Episcopo.* Iam vero nulla censura hic enumerata erat *ab homine,* nec Rom. Pontifici reservata **specialissimo modo,** sed omnes *simpliciter* tantum. V. **Comp.,** n. 680.

1123. — *R. ad* 5^m *Quaes.* 1.° RENATUS non potest absolvi per confessarium regularem a suspensione proprie episcopali, seclusa speciali licentia Ordinarii, quia iurisdictione destituitur. V. **Comp.**, n. 676, 4. — 2.° Non potest absolvi *per se* a suspensione papali, etiam si casus sit occultus, quia per Constit. *Apostolicae Sedis* iam adempta est regularibus omnis potestas, qua possint absolvere a casibus papalibus. — 3.° At in casibus *urgentioribus* bene potest absolvi a quibuscumque suspensionibus *papalibus* per quemcumque confessarium, cum onere recurrendi intra mensem ad Sedem Apostolicam etc., prout dictum est supra, n. 593. — 4.° Potest in omni casu absolvi a peccatis, etiam remanente vinculo unius aut alterius suspensionis, quia suspensio non privat beneficio absolutionis. V. **Comp.**, nn. 1205 et 1297.

* CASUS II *bis*

ABSOLUTIO A CENSURIS 2.°

TITIUS, sacerdos, in Vicarium suum Generalem recursum instituit ad tribunal laicale, ut impediret sententiae exsecutionem contra se latam. Postea vero Ordinarius contra TITIUM sententiam declaratoriam tulit eum incurrisse in duplicem excommunicationem Romano Pontifici reservatam. Nunc TITIUS, facti paenitens, ab Ordinario postulat absolutionem a praedictis censuris.

HINC:

QUAER. 1.° *Quot in censuris* TITIUS *inciderit?*
2.° *An Ordinarius absolvere possit a casibus ad forum contentiosum deductis, etsi hi casus* per se *non fuerint reservati?*
3.° *Quis absolvere potest a casibus publicis ad forum contentiosum deductis?*
4.° *Quid ad casum?*

SOLUTIO:

1123 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes.* TITIUS incidit uno eodemque actu in duplicem excommunicationem *speciali modo* reservatam Romano Pontifici: alteram vi canonis 2334, 2.°, quatenus impedivit exercitium iurisdictionis ecclesiasticae recurrendo ad laicam potestatem; alteram vero, vi canonis 2341, quatenus ausus fuit trahere suum Ordinarium ad tribunal laicum. V. **Comp.**, nn. 1191, 1244, 1245.

1123 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes. Neg.*, quatenus Ordinarius est, sed tales casus, etsi ex se reservati non sint, ab illo tantum Ordinario absolvi possunt, ad cuius forum contentiosum deducti sint. Vide supra, n. 1121, Resp. ad 2m quaes., et **Comp.**, n. 1185.

R. ad 3m *Quaes.* 1.° Si agatur de censura Ordinario reservata, tribunal illius solius Ordinarii, qui sententiam declaratoriam tulit (aut eius Superioris, aut successoris), poterit absolvere in foro externo et interno, et postea peccatum absolvi poterit a quocumque confessario. — 2.° Si censura sit reservata Romano Pontifici et Ordinarius habeat potestatem absolvendi a censuris papalibus, etsi tantum pro foro interno, poterit reum absolvere in foro interno, et postea ipsum suum tribunal declarare talem paenitentem fuisse legitime absolutum. V. **Comp.**, n. 1207.

1123 *c.* — *R. ad* 4m *Quaes.* Procedendum erit ut dicitur in secunda parte resp. ad 3m. Abs dubio Ordinarius specialem facultatem habebit absolvendi a praedictis reservatis papalibus; secus TITIUS ab alio pro foro interno absolvatur, et declarationem edat tribunal.

* CASUS III

EXCOMMUNICATIO

MARINUS, parochus, aliqua excommunicatione, qua de causa nescio, obstrictus, et criminis paenitens, cupit sacramento paenitentiae conscientiam abstergere; sed, deficiente confessarii copia, voti compos fieri nequit. Interea ad ministranda Sacramenta, tum mulieri puerperae, tum genitate proli advocatur. Magna angitur perplexitate. Quid faciet? Pergit tamen, quia absque famae periculo impedimentum, quo

ligatur, patefacere non potest. Sed postea apud theologos inquirit, utrum valide et licite egerit?

HINC:

QUAER. 1.° *Quinam sint effectus excommunicationis?*
2.° *An* MARINUS valide *Sacramenta ministraverit?*
3.° *An* licite, *vel an irregularitatem contraxerit?*
4.° *Quid, si fuisset nominatim excommunicatus, aut saltem lata esset contra ipsum sententia condemnatoria aut declaratoria?*

SOLUTIO:

1124. — *R. ad* 1m *Quaes.* Effectus excommunicationis sunt: privatio susceptionis et administrationis Sacramentorum, suffragiorum Ecclesiae, divinorum officiorum, sepulturae sacrae, iurisdictionis ecclesiasticae, beneficiorum, communicationis forensis, et societatis civilis. V. **Comp.**, nn. 1212, 1216 et seq.

1125. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Nulla difficultas pro baptismo, ad cuius valorem nulla requiritur iurisdictio, siquidem a quolibet homine, vel femina, positis ponendis, valide administrari potest. 2.° Valet etiam administratio sacramenti paenitentiae; ratio est, quia, licet MARINUS inciderit in excommunicationem, non tamen lata est contra ipsum sententia condemnatoria aut declaratoria; ergo non privatur iurisdictione; ergo post excommunicationem, uti prius, valide sacramentum paenitentiae ministrare potest. **Comp.**, n. 1224.

1126. — *R. ad* 3m *Quaes.* MARINUS licite potuit utrumque sacramentum ministrare, immo et debuit. Ratio est: 1.° Quia excommunicatio privare non potest facultate ministrandi Sacramenta in casu necessitatis; secus enin lex Ecclesiae esset in ruinam, et non in aedificationem: atqui, si MARINUS potuit licite, etiam debuit sacramentum utrumque ministrare, urgente scilicet lege caritatis et officii proprii; ergo... 2.° Quia excommunicatus ante talem sententiam, etiam seclusa necessitate, Sacramenta fidelibus conferre potest quoties ad id est requisitus; fideles enim possunt communicare cum ipso, praesertim ad bonum proprium, et proinde eum requirere possunt (can. 2261, § 2); ergo eorum requisitioni acquiescere potest et debet, sed actum contritionis prius praemittere tenetur, ut in statu gratiae Sacramenta conferat. *Elbel,* n. 53.

Quae omnia clarissime patent ex can. 2264: «Actus iurisdictionis tam fori externi quam fori interni positus ab excommunicato est illicitus; et, si lata fuerit sententia condemnatoria, etiam invalidus, salvo praescripto can. 2261, § 3; secus est validus, immo etiam licitus, si a fidelibus petitus sit ad normam mem. can. 2261, § 2».

1127. — *R. ad* 4m *Quaes.* Etiam in casu MARINUS potuisset et debuisset praefata conferre Sacramenta, stante, ut in casu supponitur, proximi extrema necessitate; omnis enim sacerdos, quantumvis excom-

municatus, vel etiam degradatus, absolvere potest fideles in articulo mortis, cum ita statuerit pia mater Ecclesia, ne quis ob defectum sacramenti pereat ut supra, n. 1121, dictum est. V. **Comp.,** nn. 1216 et 651.

* CASUS III *bis*

DELATIO CLERICI AD TRIBUNAL LAICORUM

TITIUS, sacerdos in regione Canadensi, Archiepiscopum suum anno 1919 absque ulla licentia Sedis Apostolicae ausu temerario coram saeculari foro in iudicium rapuit.

HINC:

QUAER. 1.° *An et quamnam censuram incurrerit* TITIUS?
2.° *Quid si rapuisset in iudicium saeculare clericum simplici tonsura insignitum, aut novitiam Ordinis vel Congregationis religiosae?*
3.° *Quid si non detur iura persequi nisi apud iudices laicos?*

SOLUTIO:

1127 *a.* — *R. ad* 1m *Quaes. Affirmative.* TITIUS enim incidit in excommunicationem Romano Pontifici *speciali modo* reservatam. Etenim ex can. 2341: «Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium, contrahit *ipso facto* excommunicationem Sedi Apostolicae *speciali modo* reservatam...».—Ex canone autem 120, § 2: «Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Praelati *nullius,* supremi religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae». V. **Comp.,** n. 1245.

1127 *b.* — *R. ad* 2m *Quaes.* Tunc incidisset *ipso facto* in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, si licentiam non obtinuisset Ordinarii loci. — Sic enim prosequitur canon 2341: «Si alium Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum *nullius,* vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus, excommunicationem latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; demum si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam privilegio fori fruentem, clericus quidem incurrit *ipso facto* in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur». V. **Comp.,** nn. 1245, VII; 1246, 1267, III.

1127 *c.* — *R. ad* 3m *Quaes.* «His in locis, in quibus *fori privilegium per Summos Pontifices derogatum non fuit,* si in eis non datur iura sua persequi, nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum *Ordinario veniam petere,* ut clericos in forum laicorum convenire possint; *eamque Ordinarii nunquam denegabunt,* tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet». Litt. S. Off., 23 ian. 1886 *(Acta S. Sedis,* vol. 18, pag. 416).

* CASUS IV

DUELLUM

1.° HONORATUS et NICASIUS, milites, habita inter se gravi querela, stringunt gladios. HONORATUS dicit: *Veni foras, et rem tibi ostendam.* Eunt et pugnant; sed, intervenientibus amicis, ab invicem separantur. Altero die HONORATUS scribit NICASIO: *A prandio, hora tertia, cupio te videre in prato suburbano, et rem tibi ostendere.* Litteras defert PATERNUS, qui etiam gladium suum HONORATO ad pugnandum commodat. Comparent HONORATUS et NICASIUS, dicto tempore et loco nominato dimicaturi, magna comitante caterva. Iam certamen ineunt, et mox HONORATUS infeliciter occumbit.

2.° NICANDER a NAZARIO contumeliis appetitus, ei duellum condicit certo loco et tempore ineundum; ad locum pugnae accedit NICANDER, magno septus comitatu. Eodem se contulere nonnulli, futuri certaminis spectatores. Verum, NAZARIO in campum non descendente, pugna locum non habuit.

HINC:

QUAER. 1.° *Per quale duellum censura contrahatur?*
2.° *An duellantes in primo casu excommunicationem contraxerint, tum prima, tum secunda vice?*
3.° *Quid de* PATERNI *cooperatione?*
4.° *An* NICANDER *in secundo casu excommunicatione ligatus censeri debeat? An eius comites et alii spectatores?*

SOLUTIO:

1128. — *R. ad* 1m *Quaes.* Censura seu excommunicatio contra duellantes contrahitur tantum per duellum in stricto sensu habitum, seu per pugnam periculosam duorum, ex condicto praecedenti de loco et tempore, et *probabilius* etiam de *armis. Lega,* De iudiciis, vol. 4, n. 51; *Ball.-P.,* vol. 2, n. 923; *Berardi,* Praxis, 1, n. 808; *D'Annibale,* 2, n. 288. — Non autem requiruntur testes ad censuram contrahendam; sufficit vero provocatio et acceptatio duelli, licet casu pugna non

sequatur, v. gr. quia ab aliis impeditur. Patet ex can. 2351, et antea ex Constit. Bened. XIV *Detestabilem*. V. **Comp.,** n. 1259, et tom. 1, n. 508; *S. Alph.,* n. 220, l. 3, n. 401; *Villada,* Casus, vol. 2, pag. 341 seq.

1129. — *R. ad* 2m *Quaes.* Praefati milites non contraxerunt excommunicationem prima vice, licet graviter peccaverint: quia non praecessit conventio de tempore et loco determinato ad confligendum, et proinde non fuit provocatio et acceptatio ad duellum proprie dictum; sed rixam, quam prius verbis inceperant, armis prosecuti sunt. *S. Alph.,* ibid. Secunda autem vice uterque excommunicationem contraxit; adsunt enim in casu omnes conditiones ad censuram requisitae. Hoc tamen intelligas si de armis etiam conventum fuerit; secus non constaret de incursa censura.

1130. — *R. ad* 3m *Quaes.* PATERNUS etiam excommunicationem contraxit propter duplicem cooperationem, scilicet: 1.° litteras provocationis ad duellum deferendo; 2.° gladium proprium provocanti commodando. Omnes enim duello qualemcumque operam aut favorem praebentes, eidem censurae subiacent ac ipsi qui nefariam pugnam ineunt, si tamen duellum vere sequatur. V. **Comp.,** n. 1259, VIII.

Quid vero de spectatoribus? Etiam eadem censura innodati sunt spectatores omnes qui *de industria* in locum certaminis se contulerunt, *ut pugnae assisterent.* Secus vero de illis qui, transeundo tantum, obiter et casu aspexerunt: et idem dicito de aliis, qui a longe vel clanculo duellum spectarunt. *S. Alph.,* n. 220.

Medicus vel confessarius, qui duello assistit, aut etiam in domo vicina seu loco propinquo ex condicto sistit, paratus ad praebendum suum ministerium duellantibus, si opus fuerit, quamvis cum intentione veniat citius finem pugnae imponendi, incurrit excommunicationem. S. Off., ad Episc. pictav., 31 maii 1884.

1131. — *R. ad* 4m *Quaes.* NICANDER incidit in excommunicationem Papae reservatam, ut sat liquet ex canone 2351, et antea ex verbis Bullae Pii IX *Apostolicae Sedis,* quia tali excommunicationi subiacent, non solum duellum perpetrantes, sed et simpliciter ad illum *provocantes.* Cum igitur ipse NAZARIUM provocaverit, ab excommunicatione immunis esse non potest, quamvis pugna non fuerit secuta.

Comites et spectatores probabilius in excommunicationem non inciderunt, cum duellum non fuerit secutum. *Lehmk.,* 2, n. 949; *Piat,* Comm., in h. l., Const. Apost. Sedis, not. 7; *D'Annibale,* ibid.; *Génicot,* 1, n. 595; **Comp.,** l. c.

CASUS V

LECTIO LIBRORUM HAERETICORUM 1.°

1.° PAMPHILUS commodatum sibi librum lectitans de *religione pertractantem,* quaedam deprehendit quae a doctrina catholica abhorrere videntur. Attamen, stili elegantia et eruditionis varietate allectus, illum legere prosequitur. Mox pondere rationum, quae contra religionem catholicam afferuntur commotus, dubitare coepit an vera sit illa doctrina quae catholicis dogmatibus adversatur.

2.° PROSPER, vir doctus, facultate legendi libros vetitos carens, ut haeretici cuiusdam opus varios contra fidem errores propugnans, eruditionis gratia, legere valeat, amicum adit illa facultate pollentem, et ab eo petit ut illum librum sibi legat. Audita lectione libri haeretici, minime a catholica fide dimovetur. Alia autem die, ut dissertationem in quadam academia legendam perficere possit, quatuor vel quinque paginas eiusdem vetiti libri ipse perlegit, in quibus nihil contra catholicam fidem invenit. Alias emit librum vetitum ut eumdem legat, et revera nonnullas eius lineas legit; sed conscientiae stimulis pressus, lectionem intermittit, librumque comburit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quaenam requirantur conditiones, ut, vetitum librum legendo, quis in excommunicationem incurrat?*

2.° *An* PAMPHILUS *in excommunicationem inciderit in primo casu? et quot peccata commiserit?*

3.° *An* PROSPER *graviter peccaverit et censuram contraxerit audiendo legentem, legensque ipse, ut in secundo casu?*

SOLUTIO:

1132.—*R. ad* 1m *Quaes.* Si liber fuerit per *litteras apostolicas,* nempe ab ipso Pontifice (non a CC. RR.) emanatas, *nominatim* (id est, expresso titulo) *sub poena excommunicationis Rom. Pontifici reservatae* prohibitus, qui eum legit, ipso facto, nisi materiae parvitate excusetur, incidit in excommunicationem Rom. Pontifici *speciali modo* reservatam.

Quando liber *nominatim* non fuit prohibitus ab Apostolica Sede, conditiones requiruntur sequentes:

1.° *Ut auctor sit apostata aut schismaticus haereticus.* Hinc non contrahunt excommunicationem legentes libros infidelium, etsi haeresim contineant, quia in canone 2318, § 1, dicitur *legentes libros apostatarum.* Attamen, si liber manifestam exhibeat professionem

haeresis, licet auctor lateat, prohibetur sub censura, quia auctor censetur haereticus.

2.° *Ut liber apostasiam, haeresim, schisma contineat ac propugnet.* Hinc liber haeretici tractans de religione, quin errorem defendat, non prohibetur sub poena excommunicationis; at e contra, si propugnat haeresim, aut *apostasiam,* etc., non excusatur legens, etiamsi legat ut errores confutare valeat, nisi periculum sit in mora, nec facilis aditus ad Superiorem pateat.

3.° *Ut lectio fiat in materia notabili, generatim loquendo,* iuxta sententiam communem, quae in hoc levitatem materiae admittit: sed non conveniunt doctores in hac materia notabili determinanda; videtur autem attendendum ad finem legislatoris, seu prohibitionis. Hinc, si aperiendo librum haereticorum incidas in doctrinam quae est *directe contra fidem,* poteris in excommunicationem incurrere, etiamsi legas paucas lineas tantum, quia in ipsis potest esse periculum perversionis; secus vero, si liber sit de materia indifferenti principaliter; tunc enim legendo etiam paginam excusaris a mortali, si nullum ibi invenias errorem. *S. Alph.*, n. 282 et seq.

4.° *Ut lectio fiat scienter,* hoc est ab eo qui noverit auctorem esse haereticum, haeresim in libro propugnari, excommunicationemque latam fuisse in legentes.

5.° Ut quod legas sit *liber,* vel saltem publicatio periodica in fasciculos ligata (S. Off., 13 ian. 1892), non autem si sint ephemerides, quae in fasciculos ligari non soleant (S. Off., 21 apr. 1880). V. **Comp.**, n. 1236, I et II, necnon n. 1239 seq. (1).

1133. — *R. ad* 2^m *Quaes.* 1.° Cum ex casu PAMPHILUS non videatur *scienter* legisse librum errores contra fidem propugnantem, immo neque clare constet auctorem huius libri esse haereticum, nullam a PAMPHILO excommunicationem contractam fuisse dicendum est.

2.° Ipse tamen duplex peccatum mortale patravit, scilicet, primum legendo in materia notabili librum periculosum; secundum vero, de vera fide cum deliberata cognitione dubitando.

1134. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Quid de PROSPERO? 1.° *Probabilius* non contraxit excommunicationem audiendo legere, quia non ipse legit, et poena fertur in ipsos legentes; hic enim cum agatur de odiosis, lex stricte interpretanda est. Immo *probabiliter* etiam excusatur a censura, quamvis ipse alium ad legendum induxerit, propter eamdem rationem. — 2.° Videtur etiam, iuxta *Sporer* et *alios,* a peccato saltem mortali eximendus, si, audiendo legere, nullum sit ei perversionis periculum. — 3.° Non est autem ab excommunicatione liberandus, ut

(1) *Opere publici iuris facto,* editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes (can. 1238, § 1).

videtur, ex eo quod quatuor vel quinque paginas libri illius haeretici legerit, licet nullum errorem in iis repererit; quia materia haec gravis apparet, iuxta superius dicta. — 4.° Tandem peccavit graviter, sed in excommunicationem non incurrit, librum *praecise* emendo vetitum, cum censura feratur solum in legentes, in edentes, retinentes vel defendentes, non autem in ementes. Neque in eam incurrit propter lectionem, cum paucas lineas tantum legerit. V. *S. Alph.*, nn. 284, 285, 292. Recole dicta in tom. 1, nn. 107, 108, et **Comp.**, n. 1239 seq.

* CASUS VI

LECTIO LIBRORUM HAERETICORUM 2.°

LUCAS varia manuscripta ab haeretico conscripta pluries legit, nec putavit censuram contrahere, quia typis *publicis* non sunt edita. — Alias in bibliopolae officina epistolam cuiusdam anonymi legit, quatuor vel quinque foliis impressam, qua Ecclesiae doctrina impetebatur. — Alias sub manu reperiens librum a noto heterodoxo in lucem emissum, ad novam quamdam doctrinam proponendam, legit statim auctoris monitum operi praefixum, et in exigua pagella contentum. Statuit deinde volumen illud non ulterius legere, sed solummodo ad maius bibliothecae suae ornamentum servare. Verum ab amico admonitus, libros huiusmodi neque legi, neque retineri posse, quin contrahatur excommunicatio Papae reservata, nonnullis adhuc diebus retinuit, et tandem flammis comburendum dedit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* LUCAS *excommunicationem Papae reservatam, ob lecta manuscripta, contraxerit?*

2.° *An in eamdem censuram incurrerit, ob lectam epistolam auctoris anonymi, erroribus refertam?*

3.° *An censuram contraxerit, monitum praevium libri haeretici legendo?*

4.° *An etiam excommunicatione obstrictus fuerit ob librum ad paucos dies retentum, vel quia illum ipse combussit, potius quam praesidibus ecclesiasticis traderet?*

SOLUTIO:

1135. — *R. ad* 1^m *Quaes. Neg.*, saltem *probabilius*, nisi forte *manuscripta* magno numero multiplicentur, et publice, instar librorum, venalia prostent. *Gennari*, in Const. *Officiorum*, pag. 121 (ed. 3.ª); *Vermeersch*, De prohib. et cens. libr., n. 38 (alias 9); *Wernz*, Ius Decretal., vol. 3, n. 111, nota 53, col. cum nota 67. — V. **Comp.**, n. 1239.

1136. — *R. ad* 2m *Quaes.* Lucas non videtur incurrisse in excommunicationem Papae reservatam, ob lectionem epistolae quae ab haeretico composita videtur, cum erroribus sit referta. Ratio est, quia epistola non dicitur liber. *Ita Sánchez et alii.* **Comp.**, l. c.

1137. — *R. ad* 3m *Quaes.* An in censuram incurrerit ob lectionem praevii moniti libri haeretici? — *Resp.* Facillime eam contrahere potuit, si liber haeresim propugnet, et Lucas id sciebat, quia generatim huiusmodi monita seu prooemia errorem continent, et sunt periculo plena. Etenim ordinarie error prima fronte aperte docetur, vel saltem dolose et fucate innuitur. Proinde, licet exigua pagella legatur, venenum tamen mox exhauritur, et materia gravis evadit. *S. Alph.*, n. 292.

1138. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Lucas excommunicationem non contraxit librum haereticum retinendo, ignorans illum esse sub censura prohibitum; immo idem dicendum, si id ex ignorantia vincibili et etiam crassa fecerit, quia in canone dicitur, *scienter.* — 2.° Neque incurrit in censuram, si ad unam vel alteram diem retinuit librum, postquam admonitus fuerit illum retineri non posse, quia videtur tunc dari materiae parvitas. Secus vero, si pluribus aliis diebus retinuerit, nisi forte exspectaret tempus opportunum ad illum Superiori tradendum. *S. Alph.*, nn. 295, 296. — 3.° Neque censuram contraxit librum comburendo, quia in Codice iam non praescribitur ut libri prohibiti Ordinario tradantur (1). V. **Comp.**, 1240.

CASUS VII

CLAUSURA RELIGIOSA

1.° Iustina, monialis, levitate abrepta, subiens eam partem rotae quae intra monasterium patebat, in oppositam seu exteriorem partem volvitur; ac eumdem situm et locum intra ligneum illum orbem retinens, mox intro revolvitur.

2.° Damaris, alia monialis, in ostio monasterii aperto insistens, crus integrum extra ianuam effert. Alias in ostii limine consistens, caput et superiorem corporis partem extra illud protendit.

Hinc:

Quaer. 1.° *An* Iustina *excommunicationem contraxerit?*
2.° *An* Damaris *in duplici casu?*
3.° *Quaenam est clausura, cuius violatio excommunicatione punitur in Codice canonico?*

---

(1) Cum S. Paenitentiaria confessariis concedit facultatem absolvendi ab hac censura, hanc conditionem apponit: «iniuncta congrua paenitentia salutari ac firma obligatione supradictos libros, quantum fieri poterit, ante absolutionem destruendi, vel tibi tradendi».

SOLUTIO:

1139. — *R. ad* 1m *Quaes.* IUSTINA videtur censuram contraxisse (1). Ratio est, quia reapse exivit extra septa monasterii; quod sic probatur: 1.° Ille locus censendus est extra septa monasterii, ad quem accessus impune laicis datur: atqui laici impune accedere possunt ad illum locum, quo IUSTINA rotam versans delata est; ergo illa exivit e septis monasterii; ergo in censuram incurrit.

2.° Si monialis ibi consistens non censeretur esse extra clausuram, iam ibi reperiri possent tum moniales, tum externi; hoc autem evidenter est contra mentem Pontificis, qui leges clausurae statuit cum poenis earum violationi annexis, siquidem voluit praecavere pericula quae occurrerent, si moniales cum externis in eodem loco consistere possent; ergo revera IUSTINA censetur clausuram violasse.

3.° Res posita in rota quando eius aditus exterius patet non dicitur adhuc in monasterio esse, nec censetur intra monasterium nisi quando, rota circumvecta, ad septa pervenit, atque in monialium potestate habetur; ergo monialis extra clausuram circumvecta est; ergo incurrit in excommunicationem. *Comitolus,* l. 3, q. 3.

1140. — *R. ad* 2m *Quaes.* DAMARIS non videtur contraxisse censuram, neque in primo, neque in secundo casu. Etenim ad clausuram violandam ex parte monialium requiritur egressus e monasterio: atqui non censetur e monasterio egredi illa monialis quae pedem unum tantum ponit in limine ianuae, seu extra ianuam, neque ea quae caput aut partem corporis superiorem extra solum monasterii protendit; nam egredi non dicitur monialis, nisi toto corpore extra ianuam exstet; ergo DAMARIS ab excommunicatione excusanda est. *S. Alph.*, n. 229; *Sánchez,* etc.

1141. — *R. ad* 3m *Quaes.* Sola *clausura papalis.* Haec habetur in omnibus monasteriis sive virorum sive mulierum, in quibus emittuntur vota *sollemnia.* Cfr. can. 579, § 1. Igitur ubi clausura papalis servari nequit, v. gr. in *Gallia,* in **Mexico**, etc., S. Sedes non permittit ut vota sollemnia a monialibus emittantur (2).

---

(1) «Plectuntur *ipso facto* excommunicatione Sedi Apostolicae simpliciter reservatae: 1.° Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes; quod si clerici sint, praeterea suspendantur pro tempus pro gravitate culpae ab Ordinario definiendum; 2.° mulieres violantes regularium virorum clausuram, et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes, et praeterea religiosi introducentes vel admittentes priventur officio, si quod habeant, et voce activa ac passiva; 3.° moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 602» (can. 2342).

«Nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, quovis praetextu, sine speciali Sanctae Sedis indulto, excepto casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali. — Hoc periculum, si tempus suppetat, scripto recognoscendum est a loci Ordinario» (can. 601).

(2) Cfr. *Ferreres,* Las Religiosas, Com. V, nn. 563 seq., 602 seq.; *De Angelis*, Prael.

CASUS VIII

SUSPENSIO

1.° GRATIANUS, parochus, ob quoddam delictum, ab officio et a beneficio ab Episcopo suspensus fuit. Eadem autem die qua suspensionis decretum accepit, ad infantem baptizandum advocatus est, quod et fecit. Die vero sequenti Sacrum fecit. Postea perrexit ad aliam dioecesim, ubi pluries celebravit.

2.° GASTO, sacerdos, nescio qua de causa, ab audiendis confessionibus per semestre suspenditur; nihilominus pergit ille Sacrum facere, baptizare, S. Eucharistiam et extremam unctionem conferre, immo etiam confessiones extra paroeciam excipere.

HINC:

QUAER. 1.° *Qualis sit suspensionis efficacia?*
2.° *An* GRATIANUS *potuerit sine nota irregularitatis baptizare et Sacrum facere, accepta suspensionis sententia?*
3.° *An potuerit extra dioecesim celebrare?*
4.° *An* GASTO *potuerit Sacramenta ministrare?*
5.° *An potuerit confessiones extra paroeciam excipere?*

SOLUTIO:

1142. — *R. ad* 1m *Quaes.* «*Suspensio* est censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque 'prohibetur» (can. 2278, § 1). V. **Comp.**, n. 1293.

1143. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° Cum GRATIANUS suspensus fuerit per sententiam condemnatoriam aut saltem declaratoriam, peccavit, et irregularitatem contraxit infantem baptizando, nisi infans fuerit in *periculo mortis* et alii ministri defuerint. V. **Comp.**, nn. 1296, 1216, 1217.

Si vero incursus tantum fuisset in suspensiones latae sententiae absque ulla sententia condemnatoria aut declaratoria, tunc requisitus a fidelibus potuisset valide ac licite baptizare.

2.° Pariter distinguendum est quoad Sacrum. Etenim posita sententia condemnatoria aut declaratoria, omnino incidit in irregularitatem et grave peccatum. Verum si talis sententia non accessisset, sed sola suspensio latae sententiae, tunc, cum necessario celebrare debuerit,

---

iur. Decretal., l. 3, tit. 35, n. 7; *Zitelli,* Apparatus iur. can., pag. 234; *Vermeersch,* De relig. inst., vol. 1, n. 86; *Angel. a SS. Corde,* Man. iur. reg., vol. 1, n. 468.— V. **Comp.**, n. 229 seq., 1257.

sive pro populo, sive alia de causa, aut ad vitandum infamiae periculum, nec adfuerit alius sacerdos, qui celebrare valeret, tunc non peccavit Sacrum peragendo, ideoque non contraxit irregularitatem; quia Ecclesia, pia mater, non censetur velle poenam suspensionis infligere cum tanto incommodo. Cfr. **Comp.,** l. c., et n. 1183.

1144. — *R. ad* 3m *Quaes.* GRATIANUS toties peccavit graviter quoties celebravit extra dioecesim, et irregularitatem contraxit. Ratio est, quia suspensio est poena *personalis,* et proinde suspensus in uno loco est quoque suspensus in alio loco, etiam extra dioecesim.

1145. — *R. ad* 4m *Quaes.* GASTO minime peccavit, nec proinde irregularitatem incurrit, Sacrum faciendo, et Sacramenta, *exclusa paenitentia,* ministrando; quia non erat suspensus totaliter *ab officio,* sed tantum *ab administratione sacramenti paenitentiae;* ergo licite potuit alias officii sui functiones obire, quin irregularitatem incurreret. Sacerdos enim suspensus cum restrictione, prohibetur tantum id facere quod verbis prohibitionis exprimitur. Secus vero de eo qui sit suspensus simpliciter, quia tunc indistincte suspensus censetur, seu tum ab officio, tum a beneficio. **Comp.,** 1293 seq.

R. ad 5m *Quaes.* GASTO non potuit, neque licite neque *valide,* confessiones excipere extra paroeciam, licet antea ad totam dioecesim approbatus fuerit, quia erat suspensus per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam; ergo per legitimam suspensionem iurisdictione actuali privatus est. Suspensio enim non afficit locum, sed personam immediate; ergo, ubicumque haec exsistat, manet ligata donec legitime absolvatur. Secus est de beneficiato, qui beneficia in variis dioecesibus habet; hic enim si suspendatur a beneficio ab Episcopo huius dioecesis, non censetur suspensus a beneficio, quod habet in alia dioecesi, quia sententia poenalis eo non se extendit. Cfr. can. 2281, 2282. *Voit,* n. 1434; **Comp.,** n. 1295.

CASUS IX

SEPULTURA ECCLESIASTICA

Plures parochi inter se confabulantes, de sepultura ecclesiastica sermonem habent: 1.° PAULUS ait: «Adii quondam moribundum a multis annis a Sacramentis alienum. Nunquam potui illum ad confessionem inducere; cum ego unicus testis repulsae fuissem, et aeger esset iam iam moriturus, rem nemini dixi, ad familiae contristationem et ad publicum scandalum vitandum; et defunctum cum bona pace in terra sancta sepelivi».

2.° MARCUS vero, vice sua, sic alios affatus est: «Et ego olim adii virum haereticum infirmum, in mea paroecia habitantem. Mihi visus est in bona fide versari, et credere quemque christianum in sua

religione salvari posse, ac timore humano a religione catholica retrahi. Quaesivi an absolvi vellet a peccatis, paratusque foret religionem catholicam amplecti, si sciret suam esse erroneam, eumque annuentem, de peccatis in genere se accusantem absolvi, et postea mortuum, petentibus cognatis, cum catholicis sepelivi».

3.° PHILIPPUS ait: «Habui virum probum quidem, sed tristem, in mea paroecia. Hic vespere se quieti nocturnae commisit cum aliis; mane inventus est laqueo suspensus et mortuus. Ego secreto admonitus, rem alto silentio premens, simulavi virum morte repentina decessisse, et eum more aliorum sepelivi».

HINC:

QUAER. 1.° *Quibusnam competat sepultura ecclesiastica, et quibus non competat?*

2.° *An praedicti parochi recte egerint?*

3.° *An deneganda sit ecclesiastica sepultura publice excommunicatis, publicis peccatoribus, etc., qui cum privati sensibus a sacerdote fuerint inventi, absoluti sunt sub conditione?*

4.° *An infantes haereticorum baptizati sive a pastore catholico sive ab haeretico, in coemeterio catholicorum sepeliri possint?*

5.° *An membra amputata catholicorum sepelienda sint in loco sacro?*

SOLUTIO:

1146. — *R. ad* 1m *Quaes.* «Omnes baptizati sepultura ecclesiastica donandi sunt, nisi eadem a iure expresse priventur» (1239, § 3). — «Ecclesiastica sepultura privantur, nisi ante mortem aliqua dederint paenitentiae signa: 1.° Notorii apostatae a christiana fide, aut sectae haereticae vel schismaticae aut sectae massonicae aliisve eiusdem generis societatibus notorie addicti; 2.° excommunicati vel interdicti post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam; 3.° qui se ipsi occiderint deliberato consilio; 4.° mortui in duello aut ex vulnere inde relato; 5.° qui mandaverint suum corpus cremationi tradi; 6.° alii peccatores publici et manifesti» (can. 1240, § 1). — «Occurrente praedictis in casibus aliquo dubio, consulatur, si tempus sinat, Ordinarius; permanente dubio, cadaver sepulturae ecclesiasticae tradatur, ita tamen ut removeatur scandalum» (ibid., § 2). V. **Comp.,** nn. 1323, 1325; *Gousset,* De extrema unctione, n. 636.

1147. — *R. ad* 2m *Quaes. In primo casu:* recte egit PAULUS impietatem moribundi occultam dissimulando, et permittendo ut cognati et alii crederent eum fuisse absolutum. Debent enim vitari scandala quantum fieri potest. Sic interpretanda est lex Ecclesiae, quia secus non in aedificationem, sed in destructionem, cederet. Igitur peccatori impaenitenti nunquam deneganda est sepultura ecclesiastica, nisi de

impaenitentia publice constet; modo tamen aliquod scandalum non sit reparandum necessario. *Gousset,* ibid.

«Nostris temporibus (ait *Card. Vives,* Comp. Th. mor., n. 790, 4.°) expedit ut sepulturae mere civiles vitentur, in quantum fieri possit sine religionis contemptu. Unde, parochus dubitans de moribundi dispositione, illum alloquatur sine testibus, ne malus eius animus innotescat, si forte recuset Sacramenta». V. **Comp.,** n. 1326.

1148. — *In secundo casu:* minime vituperandus videtur MARCUS, si prudenter timuit ne pravus exitus succederet, virum hunc haereticum ad fidem catholicam directe amplectendam inducendo, ut facile evenire potest. Insuper absolutio ipsi tali modo impertita non apparet invalida, cum *probabiliter* adsint omnia ad sacramentum paenitentiae requisita. Sic *Elbel,* De paen., n. 213; *Lacroix,* l. 6, part. 2, n. 1866. Cfr. *Casus Romae ad S. Apoll.,* pag. 99 seq. Recole dicta supra, n. 490. — Quod autem ad sepulturam sacram attinet, imprimis scandalum fidelium tollendum erat, declarando nempe illum haereticum in religione catholica mortuum esse. Nec recursus ad Episcopum fuerat omittendus, si haberi potuerit.

1149. — *In tertio casu:* bene fecit PHILIPPUS, et proinde laudandus. Ratio est: 1.° quia, cum suicidium fuerit secretum, non erat patefaciendum cum infamia suicidae, eiusque familiae, ut legi Ecclesiae obtemperaretur; Ecclesia enim in huiusmodi casibus praeceptum suum urgere minime censetur; 2.° quia, cum vir ille fuerit maxime in tristitiam proclivis, potuit parochus cum sufficiente fundamento suspicari eum in amentiam ob melancholiam cecidisse; ergo laudabiliter egit PHILIPPUS hominem in terra sancta sepeliendo.

R. ad 3^m *Quaes. Affirm.,* si nullum dederint paenitentiae signum: secus *negative.* S. Paenit., 8 mart. 1885; *Gennari,* Consult., vol. 1, pag. 271.

1150. — *R. ad* 4^m *Quaes. Affirmative,* absque difficultate. Baptismus enim est Christi et Ecclesiae verae, seu catholicae; ergo praefati pueri ad Ecclesiam omnino pertinent. Sunt enim vere de corpore Ecclesiae effecti per baptismum, neque per errores ab ea separati sunt. Nec obstat quod a ministro haeretico forte baptizati sint, siquidem hoc validitati baptismi officere nequit.

1150 *bis.* — *R. ad* 5^m *Quaes. Affirm.* Ad quod facilius assequendum in hospitalibus, «si fieri potest, in proprio horto domui adnexo deputetur aliquod parvum terrae spatium, ad sepelienda membra catholicorum amputata, postquam fuerit benedictum». S. Off., 3 aug. 1897.

* CASUS X

INTERDICTUM 1.°

1.° MAXIMINUS, Episcopus, interdictum tulit in omnes ecclesias alicuius civitatis, gravissima de causa. Attamen AEMILIUS, parochus, Viaticum et extremam unctionem moribundo ministravit, et plura benedixit matrimonia.

2.° NATALIS, parochus, in civitate ubi incolae interdicto generali subiiciuntur, baptismum et Viaticum pluribus paroecianis ministravit; immo et Viaticum ad moribundum cum ordinaria sollemnitate attulit.

HINC:

QUAER. 1.° *Quid et quotuplex interdictum?*
2.° *Quinam sint effectus interdicti localis generalis?*
3.° *An interdictum violaverit* AEMILIUS *in primo casu?*
4.° *An* NATALIS *in secundo casu?*

SOLUTIO:

1151.—*R. ad* 1m *Quaes.* 1.° *Interdictum* est censura, qua fideles in communione Ecclesiae permanentes usus divinorum officiorum, aliquorum Sacramentorum et sepulturae sacrae certis personis, aut in certis locis prohibetur. Hinc interdictum est personale, aut locale; generale, vel particulare.—2.° Interdictum *particulare* non cadit nisi in personas, aut in loca designata. Interdictum *sine limitatione* in aliquod totum, omnes eius partes afficit. V. **Comp.,** n. 1277.

R. ad 2m *Quaes.* «Si interdictum fuerit locale generale et interdicti decreto aliud non caveatur expresse: 1.° Permittitur clericis, dummodo non sint ipsi personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quacumque ecclesia aut oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis.

2.° In ecclesia vero cathedrali, in ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia quae unica sit in oppido, in iisque solis, permittuntur unius Missae celebratio, asservatio sanctissimi Sacramenti, administratio baptismatis, Eucharistiae, paenitentiae, assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali, mortuorum exsequiae, vetita tamen quavis sollemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, praedicatio verbi Dei. In his tamen sacris functionibus prohibetur cantus et pompa in sacra supellectili et sonitus campanarum, organorum, aliorumve instrumentorum musicalium; sacrum autem Viaticum ad infirmos privatim deferatur» (can. 2271).

1152.—*R. ad* 3m *Quaes.* AEMILIUS *in primo casu* non violavit interdictum, ministrando Viaticum nec assistendo matrimoniis eaque benedicendo benedictione quae est in Rituali, exclusa benedictione

nuptiali. Haec enim permittuntur in interdicto locali generali, saltem in ecclesiis paroecialibus. Cfr. can. 2271, 2.° — Ministratio extremae unctionis permissa omnino videtur ex can. 2270, § 1: «Interdictum locale sive generale sive particulare non vetat morientibus Sacramenta et Sacramentalia, servatis servandis, ministrare...». V. **Comp.**, n. 1281.

1153. — *R. ad* 4m *Quaes.* Neque NATALIS violavit interdictum *in secundo casu,* quia semper licet ministrare baptismum in tempore interdicti; sacramentum enim illud est primae necessitatis. Nec prohibetur Viaticum, ut modo in responsione ad 1m cas. dictum est, sed debuit illud ministrare privatim.

* CASUS XI

INTERDICTUM 2.°

1.° FIRMINUS, parochus, confessiones plurium fidelium excepit, licet incolae loci interdicto generali subiicerentur, nec ulla urgeret necessitas.

2.° EXUPERIUS, parochus, publicam habuit contionem in sua ecclesia die festivo patroni, adstantibus plerisque paroecianis, licet ecclesia illa cum incolis interdicta fuerit. Postea autem inquirit an interdictum violaverit?

3.° IUSTINUS, parochus, Missam celebravit in ecclesia paroeciali ibique contionem habuit, licet sacellum aliquod eiusdem ecclesiae et adiacens coemeterium ab Episcopo, nescio qua de causa, interdictum fuerit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* FIRMINUS *violaverit interdictum in primo casu?*
2.° *An* EXUPERIUS *in secundo casu?*
3.° *An* IUSTINUS *in tertio casu?*
4.° *Quinam sint effectus interdicti particularis in sacellum aut in coemeterium?*

SOLUTIO:

1154. — *R. ad* 1m *Quaes. Neg.* FIRMINUS enim ab omni culpa excusandus est, quia «qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium subest, quin eidem causam dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si sit rite dispositus, Sacramenta recipere, ad normam canonum praecedentium, sine absolutione ab interdicto aliave satisfactione» (can. 2276), et idem videtur dicendum de eo, qui subsit interdicto personali generali in populum, paroeciam, dioecesim, aut nationem. V. **Comp.,** n. 1286.

1155. — *R. ad* 2m *Quaes. Neg. pariter.* Ratio est, quia in ecclesia paroeciali, stante interdicto generali, contiones minime vetantur, ut

patet ex can. 2271. Insuper praedicatio divini verbi prohiberi nequit; secus enim impediretur instructio christiana, adeo fidelibus necessaria, nec daretur modus peccantes ad meliorem frugem revocandi. V. **Comp.**, n. 1282.

1156. — *R. ad* 3m *Quaes.* Quid vero de IUSTINO? Absolvendus. Etenim: 1.° non peccavit contionando, quia, etiamsi tota ecclesia esset interdicta, in ea, utpote quae paroecialis sit, non esset interdicta praedicatio, si nulla alia esset in oppido ecclesia paroecialis. V. **Comp.**, n. 1283. Ratio est, quia, si populus privaretur piis instructionibus, medio praecipue efficaci ad meliorem frugem percipiendam careret. In casu vero nostro ecclesia non est interdicta, sed solum sacellum aliquod eiusdem ecclesiae et adiacens coemeterium: ex canone enim 2273, «interdicta civitate, interdicta quoque manent loca accessoria etiam exempta et ipsa ecclesia cathedralis; interdicta ecclesia, interdicta sunt sacella contigua, non vero coemeterium; interdicto sacello, non est interdicta integra ecclesia nec, interdicto coemeterio, interdicta est ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in coemeterio erecta». V. **Comp.**, n. 1284. — Ergo in praedicta ecclesia omnes sacri ritus celebrari possunt, cum interdicta non sit.

2.° Neque peccavit IUSTINUS celebrando in ecclesia, ut patet ex dictis.

R. ad 4m *Quaes.* 1.° In interdicto locali particulari, si interdictum fuerit altare vel sacellum alicuius ecclesiae, nullum sacrum officium seu sacer ritus in eisdem celebretur. — 2.° Si interdictum fuerit coemeterium, fidelium quidem cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu» (can. 2272, §§ 1, 2).

CASUS

DE IRREGULARITATE

SEU

De irregularitate in genere; de irregularitate ob defectum corporis, natalium, lenitatis, ob bigamiam, ob violationem censurae, ob homicidium.

* CASUS I

IRREGULARITAS IN GENERE

ANATOLIUS, puer duodecim annorum, ut solus heres esset parentum suorum, fratrem suum adhuc infantulum, digito in os intromisso, suffocavit anno 1904. Peracta postmodum de hoc crimine paenitentia, operam dat studiis, ut sacerdos evadat. Absolutis autem studiis, et iam sacerdos ordinatus, legit in theologia homicidas irregulares esse. Quid tunc faciet miser? a quo dispensationem ab irregularitate impetrabit? Nescit quo se vertat. Donec autem occasionem habeat interrogandi de his theologum sibi notum, Missam celebrare pergit.

HINC:

QUAER. 1.° *An impuberes in irregularitatem ex delicto incurrant?*

2.° *An ignorans irregularitatem ex delicto ab ea excusetur? an etiamsi de homicidiis agatur?*

3.° *An* ANATOLIUS *celebrando cum dubio de irregularitate peccaverit, et in poenam incurrerit?*

4.° *Quis ab irregularitate dispensare possit?*

SOLUTIO:

1157. — *R. ad* 1m *Quaes.* Irregularitas *ex delicto* non contrahitur, nisi peccatum fuerit: *a) grave, b) externum* (sive publicum, sive occultum), *c)* et post baptismum commissum (can. 986). *Excipe* quoad *c)* irregularitatem ortam ex mala susceptione baptismi (ibid.), de qua in can. 985, 2.°; haec enim contrahitur in susceptione baptismi.

Hinc patet irregularitatem *ex delicto* contrahi posse etiam ab

impuberibus; quia in ipsorum delictis hae tres conditiones reperiri possunt (1).

1158. — *R. ad* 2m *Quaes. Negative* ad utrumque. Etenim «ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu atque impedimentorum ab eisdem non excusat» (can. 988). **Comp.**, n. 889.

1159. — *R. ad* 3m *Quaes.* 1.° ANATOLIUS omnino dicendus esset irregularis, si delictum post Codicem perpetrasset. In casu vero illud commisit antequam Codex suam vim exsereret, ideoque res dubia videtur; putamus nihilominus eum esse irregularem, quia aperte de illo verificatur quod perpetravit voluntarium homicidium. Ergo est irregularis iuxta can. 985, 4.°. Ergo nequit exercere receptos ordines, ut indicat can. 968, § 2. V. **Comp.**, nn. 888, 895. — 2.° An vero peccaverit ANATOLIUS Missam celebrando, pendet a modo quo ipse conscientiam suam efformavit antequam celebraret. Peccavit sane, et quidem graviter, si irregularem se agnovit, nec aliqua necessitate ad Sacrum faciendum impulsus fuit.

1160. — *R. ad* 4m *Quaes.* 1.° Papa dispensare potest ab irregularitate in omni casu, modo non adsit impedimentum de iure naturali. — 2.° Ordinarii, sive per se, sive per alium, possunt *suos subditos* dispensare ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario aut abortu, aliisve deductis ad forum contentiosum (can. 990, § 1). — 3.° Idipsum possunt confessarii quilibet in casibus urgentioribus occultis, in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc *dumtaxat,* ut paenitens ordines *iam susceptos* exercere valeat (ibid., § 2). V. **Comp.**, n. 907.

CASUS II

DEFECTUS CORPORIS

GUILLELMUS, sacerdos, dum rheda insidens quiete iter ageret, equis subito in furorem actis, adeo infeliciter delapsus est, ut crus sibi fregerit, faciem non sine notabili macula gravissime alliserit, oculum sinistrum effoderit, et pedem alterum adeo attriverit, ut

---

(1) Ante Codicem communior sententia negabat impuberes contrahere irregularitates ex delicto, quia dicebant huiusmodi irregularitates habere rationem poenae latae sententiae et impuberes excusari a poenis latae sententiae. Cfr. *Wernz*, Ius Decretal., vol. 2, n. 100; *Gasparri,* l. c., n. 202; *Lega,* De iudic., vol. 3, n. 199; *D'Annibale,* n. 312.

Codex vero irregularitates recenset inter *impedimenta,* minime vero inter *poenas,* neque inter medicinales, neque inter vindicativas, neque inter remedia poenalia. Ergo non attendit in ipsis ad rationem poenae, ideoque ipsis applicari non debent canones 2204, 2230, qui ad excusandos impuberes afferri possent, si de veris poenis in sensu Codicis ageretur.

abscindi debuerit. Postea vero in sanitatem restitutus, nonnisi pede ligneo et baculo suffultus incedere valuit. Nollet pius sacerdos beneficio Missam celebrandi carere, sed nescit an irregularis factus sit. Interrogati ab ipso de hoc varii sacerdotes, alii affirmant, et quidem quadruplici de causa, scilicet propter oculi carentiam, vultus maculam, pedem ligneum, et baculi necessitatem; alii vero quoad omnia negant, fatentes quidem per haec induci irregularitatem ante sacerdotii susceptionem, non vero ordine suscepto.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo contrahatur irregularitas ob defectum corporis ante, vel post ordines susceptos?*

2.° *An defectus oculi sinistri, vel potentiae visivae in eo, irregularitatem constituat?*

3.° *An* GUILLELMUS *censeatur irregularis?*

SOLUTIO:

1161. — *R. ad* 1m *Quaes.* Irregularitatem ob defectum corporis habent «corpore vitiati qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant» (can. 984, 2.°). Hinc irregulares sunt: 1.° mutilati, crus ligneum gerentes, manu, pollice aut indice uti non valentes; 2.° caeci, vel ita caecutientes ut Missam legere non possint; 3.° surdi, qui vocem ministri audire nequeunt; 4.° muti vel balbutientes, qui verba integra pronuntiare non valeant; 5.° claudi, qui sine baculo ad altare sistere non possunt; 6.° monstruosi, aut enormiter deformes. V. **Comp.**, nn. 890, 892.

1162. — Praedicti defectus impediunt quidem sacrorum ordinum susceptionem, non omnes tamen impediunt eorum exercitium, quando absolute exerceri possunt absque nimia indecentia, seu fidelium admiratione et horrore. Sic enim Codex, l. c.: «Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt». Etenim, ut in antiquo iure habebatur, *multa fieri prohibentur, quae tamen facta tenent. C. Ad apostolicam, de Regular.* Non igitur mirandum quod superveniente corporis vitio, praesertim sine culpa vitiati, post susceptos ordines ministrare permittatur, quantum fieri potest (1), quamvis laborans tali defectu ab iis suscipiendis arceatur, quia *turpius eiicitur quam non admittitur hospes,* iuxta vulgatum axioma de *Iure can.* depromptum, *C. Quemadmodum,* 25, *de Iureiurando:* et etiam quia *afflictioni non est addenda afflictio* iuxta *C. Ex parte,* 5, *de Clerico aegrot.* — *Elbel, Reiffenstuel, Castropalao, Lacroix, S. Alph.,* n. 413. **Comp.**, l. c.

(1) Anno 1909 die 23 maii concessa fuit dispensatio sacerdoti ob brachii dexteri amputationem irregulari, «dummodo celebret in oratorio privato et, si Episcopo videatur, cum adsistentia alterius sacerdotis vel diaconi». Cfr. *Acta,* I, pag. 521. Vide quoque *Mach-Ferreres,* vol. 1, n. 381, edit. 15.ª

1163. — *R. ad* 2m *Quaes. Communiter* dicunt theologi defectum oculi sinistri inducere irregularitatem ante ordinum susceptionem; quia canon Missae, hoc oculo deficiente, legi non potest sine magna difficultate. Excipiunt tamen merito nisi candidatus ad ordines, oculo dextro, sine magna difficultate canonem legere valeat, quod fieri posset attrahendo missale ad medium altaris prope calicem. In dubio, res Episcopi iudicio subiicienda est. Defectus autem ille exercitium ordinis iam suscepti impedire non potest. Vide *S. Alph.*, n. 404; **Comp.**, n. 820; *Lacroix,* l. 7, n. 500; *Elbel,* n. 430.

N. B. Qui uno tantum oculo videre potest et alium habet graviter maculatum aut erutum, videtur dicendus irregularis, nisi haec ultima deformitas oculo vitreo reparetur. Cfr. *Gasparri,* n. 258.

1164. — *R. ad* 3m *Quaes.* GUILLELMUS non videtur ut irregularis habendus, proinde licite Missam celebrare potest. Ratio est, quia vitium corporis superveniens alicui iam ordinato, solum impedit usum ordinis, qui exerceri nequit sine magna difficultate, vel scandalo, aut periculo irreverentiae: atqui celebratio Missae a GUILLELMO haberi potest sine magna difficultate, non obstantibus vitiis supradictis; neque enim est cur fideles inde scandalum capiant, immo potius ad compassionem movebuntur, praesertim cum tales defectus absque culpa sacerdotis iam ordinati advenerint. Attamen, cum nemo in causa sua iudex sit, consultius erit ad Episcopum recurrere. Minor adhuc erit difficultas quoad alia munia paroecialia aut clericalia. GUILLELMUS igitur ea licite obire potest, scilicet: beneficium retinere, verbum Dei praedicare, confessiones excipere, matrimoniis assistere, baptizare, mortuos sepelire, etc. Ratio est, quia haec omnia exercere potest sine scandalo, sine magno incommodo proprio, et dedecore pro rebus sacris. Ita *Suárez,* disp. 51, sect. 2, nn. 13 et 18; *Elbel,* n. 228, *et alii plures.* V. **Comp.**, n. 515.

1165. — *Obiicies:* Habetur ab omnibus ut irregularis ille qui adeo claudicat, ut ad altare sine baculo accedere nequeat; ergo GUILLELMUS est irregularis.

Resp. Doctrina illa intelligenda est tantum de nondum ordinatis, minime vero de clericis, qui iam ordines susceperunt, ut communiter docent theologi, ait *Elbel,* n. 229; ergo GUILLELMO non est applicanda.

* CASUS III

DEFECTUS NATALIUM

1.° RUFINUS, derelicta uxore, se in dissitam regionem recipit; et ibi se fingens liberum, aliam ducit uxorem, ex qua suscipit filium RUFINULUM. Hic cupiens statum clericalem amplecti, operam navat studiis, quibus absolutis, ad sacerdotium promovetur, ignarus se illegitimo ex

matrimonio natum esse. Rescit autem postea se spurium esse. Quare anxius dubitat an sit irregularis, seu utrum ordines exercere possit.

2.° CRISPINUS, filius illegitimus, non obstante natalium defectu, sacris ordinibus fuit initiatus. Sed ecce: vix ad sacerdotium evectus est, cum eius parentes legitimo foedere coniuncti sunt. Nescit autem CRISPINUS utrum dispensatione indigeat ut Missam celebret, aliasque ordinis functiones obeat. Dubium hoc suum tibi exponit: quid tu de illo?

HINC:

QUAER. 1.° *An* RUFINULUS *sit reipsa irregularis in primo casu?*

2.° *Quid* CRISPINO *interroganti respondendum?*

SOLUTIO:

1166. — *R. ad* 1^m *Quaes.* RUFINULUS noster non est habendus ut irregularis, licet ex invalido matrimonio natus sit. Ratio est, quia ex iure habetur ut legitimus. Etenim non solum illegitimi legitimantur per matrimonium subsequens parentum, sed censentur legitimi ii, qui nati sunt ex matrimonio invalido, bona fide contracto, saltem ex una parte, in facie Ecclesiae. Sic enim in Codice: «Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo» (can. 1114). «Matrimonium invalidum dicitur *putativum,* si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat» (can. 1015, § 4). Bona fide contraxisse RUFINULI matrem hic supponimus. Igitur tales, quamvis impedimentum postea detegatur, nihilominus tanquam legitimi reputantur. Ita etiam *ex C. Cum inter,* 2, *qui filii sint legit.* Ergo RUFINULUS non est irregularis; et proinde absque dispensatione, ordinis exercitium prosequi potest. *S. Alph.,* n. 424; *Reuter,* n. 312. **Comp.,** nn. 1104, 925, 891.

1167. — *R. ad* 2^m *Quaes.* CRISPINUS minime indiget dispensatione, dummodo parentes fuerint habiles ad matrimonium contrahendum tempore conceptionis, aut gestationis, aut nativitatis illius (can. 1116). Ratio est, quia, licet peccaverit ordines suscipiendo, et irregularitati subiectus tunc fuerit, haec tamen irregularitas ablata est per subsequens matrimonium parentum; virtus enim legitimandi filios cuique valido matrimonio tribuitur, salva exceptione unica, nempe si genitores non fuerint habiles ad contrahendum tempore, quo proles concepta vel nata est. *S. Alph.,* n. 423. — V. **Comp.**, nn. 891, *b,* 1.°, 1105.

* CASUS IV

OBSTUPEFACTUS ORDINANDUS

EDMUNDUS, clericus, se itineri accingebat ad ordinem subdiaconatus suscipiendum. Ei valedicendo mater sic ait: «Fili mi, te quidem ego pro filio legitimo habui; sed quia audivi grande scelus patrari ab

illo, qui, natus toro non coniugali, petit ut sacris ordinibus initietur, ne ego huius criminis particeps fiam, maximum pando tibi secretum: pater qui te genuit, nunquam mihi matrimonio iunctus est. Perpende igitur nunc quid tibi sit agendum; feci ego quod mihi praestandum erat». Obstupefactus et admodum perturbatus EDMUNDUS convenit virum gravem, doctum et sapientem, illi exponit ea quae a matre audivit, atque ab eo consilium petit. Respondit theologus consultus: «Nihil est cur angaris; etenim, si ita res esset, posses ab Episcopo dispensari; praeterea opus tibi nullum est dispensatione, quia matri fidem habere, praesertim in re adeo odiosa, minime teneris; siquidem *testis unus, testis nullus*». EDMUNDUS, his non parum sublevatus, re tacita, ad ordinem suscipiendum perrexit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* EDMUNDUS *possit matri fidem denegare, et non obstante hac revelatione, ordinem suscipere?*

2.° *An Episcopus possit in hoc defectu dispensare?*

SOLUTIO:

1168.—*R. ad* 1m *Quaes. Affirm.* cum *S. Alph.*, lib. 3, n. 654, ubi ait: «*Communissime et probabilius* filius non tenetur credere matri declaranti ipsum esse illegitimum, etiamsi iuramento id asserat...: 1.° quia filius est in possessione legitimitatis, cui cedere non tenetur nisi convincatur quod sit illegitimus; 2.° quia nemo tenetur credere uni testi, etsi probatissimo». Idque omnino constat ex Codice: «Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur» (can. 1115, § 1). Ergo EDMUNDUS in bona pace ad ordinationem pergere potest. S. C. C., *in Syracusana,* 17 iun. 1857. Cfr. *Gasparri,* De sacr. ordinat., n. 236. — V. **Comp.**, vol. 1, n. 871, vol. 2, nn. 891, 1104.

1169. — *R. ad* 2m *Quaes. Per se* Episcopus in hac irregularitate licet *occulta,* dispensare nequit; quia solus Papa dispensare valet in omnibus irregularitatibus *ex defectu.* Ita ex can. 990, supra, n. 1160, citato. Plures tamen dicebant hanc irregularitatem provenire *ex delicto,* scilicet, *parentum.* Sed respondetur quod, ubi intervenit irregularitas *ex delicto,* agitur de noxa ordinando propria, non vero de peccato parentum. Praeterea irregularitas ista ob indecentiam specialem conditionis illegitimorum constituta est; ergo est proprie irregularitas *ex defectu,* quod evidenter constat ex can. 984, 1.°, ubi haec irregularitas inter irregularitates ex defectu numeratur. Attamen in nostro casu bene potuit Episcopus EDMUNDUM ad ordinem admittere, declarando scilicet, eum minime pro illegitimo habendum esse, et proinde non indigere ulla dispensatione.

* CASUS V

BIGAMIA

ANTONIUS duas uxores legitime duxit, quare bigamus factus est. Secunda uxore orbatus, mundo valedicens, religiosum ordinem ingressus est. Emissa autem sollemni professione, a Summo Pontifice dispensationem ab irregularitate petit, ut ordines sacros suscipere possit. Verum Pontifex roganti ANTONIO minime est assensus. Quid ille? Ad S. Paenitentiariam confugit, et quod fuerat a Papa negatum ab ea impetravit, quin mentionem faceret de repulsa quam a Pontifice passus erat. Ad diaconatum iam promotus fuerat ANTONIUS, cum suspicari coepit se novo irregularitatis genere teneri, ex eo quod uxorem suam per adulterium iam corruptam cognovisset. Id autem, in supplici libello ad S. Paenit. directo, ex ignorantia omiserat.

HINC:

QUAER. 1.° *Quotuplex sit bigamia irregularitatem inducens?*
2.° *An irregularitas* ANTONII *per professionem religiosam exstincta fuerit?*
3.° *An vero, subsistente irregularitate, valide a S. Paenitentiaria dispensatus fuerit?*
4.° *An novam contraxerit irregularitatem, uxorem suam ab alio corruptam cognoscendo, etiamsi eius crimen ignoraret?*

SOLUTIO:

1170. — *R. ad* 1^m *Quaes.* Post Codicem iam unica est bigamia inducens irregularitatem vi cuius irregulares sunt *bigamia,* qui nempe *duo* vel plura matrimonia *valida* successive contraxerunt (can. 984, 4.°) (1). V. **Comp.,** n. 890, 4.°

1171. — *R. ad* 2^m *Quaes.* Irregularitas ANTONII non fuit exstincta per sollemnem professionem religiosam; etenim non quaelibet irregularitas solvitur per sollemnem professionem religiosam, sed tantum ea quae in iure est expressa. Porro in iure non invenitur expressa irregularitas ex bigamia, sed tantum quae oritur ex defectu natalium (can. 984, 1.°); ergo cessare nequit talis irregularitas, nisi per dispensationem. *S. Alph.,* n. 354. **Comp.,** nn. 889, 890.

1172. — *R. ad* 3^m *Quaes.* Videtur omnino nulla dispensatio, iuxta dicta vol. 1, n. 121, et **Comp.,** vol. 1, n. 186.

1173. — *R. ad* 4^m *Quaes. Negative,* iuxta dicta n. 1170.

(1) Sunt etiam irregulares quatenus infames infamia iuris, bigami, qui nempe, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint (can. 2356).

* CASUS VI

DEFECTUS LENITATIS 1.°

ANDRONICUS, absolutis studiis, militiae nomen dedit, et aliquando in conflictibus versatus est: non novit se unquam propria manu aliquem occidisse; sed alios verbo et exemplo adhortatus est ad fortiter pugnandum. Immo a duce iussus occidit militem legitime damnatum. A bello dimissus, statum clericalem amplectitur, atque ad sacros ordines, nulla facta mentione vitae militaris, promovetur. Paucis post annis parochus constituitur. Nulla anxietate laborans circa ordinationem, summa pace fruebatur ANDRONICUS. Sed ecce intempesta nocte a somno repente excitatur per furem qui, nescio quomodo, in presbyterium ingressus magnam pecuniae copiam subducebat. Ocius surgens parochus in hominem irruit, et, advocato in auxilium famulo, vinculis constringit, et satellitibus tradit ut puniatur, rogans tamen ne postremo supplicio afficiatur.

HINC:

QUAER. 1.° *Quomodo contrahatur irregularitas ex defectu lenitatis?*

2.° *An* ANDRONICUS *factus sit irregularis, tum in bello, tum furem satellitibus tradendo?*

SOLUTIO:

1174. — *R. ad* 1m *Quaes.* Irregularitas ex defectu lenitatis post Codicem iam non contrahitur nisi a iudice qui mortis sententiam tulit, et ab iis qui munus carnificis susceperint eorumque voluntariis ac immediatis ministris in exsecutione capitalis sententiae (can. 984, 6.°, 7.°).

Milites non fiunt irregulares nisi in bello *iniusto:* tunc si ibi aliquis pereat, fiunt irregulares quotquot ex adverso *eo cornu* dimicant, si se mutuo excitaverint. Excipe probabiliter eos, qui inviti militant, nec glandem exploserunt (vel exploserunt in aërem), nec gladium eduxerunt. *D'Annibale,* 1, n. 427; *Wernz,* l. c., n. 145. — V. **Comp.,** n. 896.

1175. — *R. ad* 2m *Quaes.* 1.° ANDRONICUS *in primo casu* nullam contraxit irregularitatem (nisi forte in bello evidenter iniusto pugnaverit, quod in casu non supponitur). Nec obstat quod alios adhortatus sit ad strenue pugnandum, quia cooperatio illa non est proxima.

Neque *in secundo casu* irregularis effectus est, quia nec sententiam mortis tulit, nec voluntarie sed iussus a suo duce sententiam mortis exsecutioni mandavit. **Comp.,** n. 894.

1176. — 2.° Neque factus est irregularis *in tertio casu,* propter rationes iam adductas in casu secundo, et vel magis quia mortem furis non intendit; immo rogavit, ne morte plecteretur. Clerici enim accu-

sare possunt eos, a quibus iniuriam accipiunt, licet ii morte plecterentur. Secus enim improbis hominibus daretur ansa clericos occidendi, vel eos bonis suis spoliandi ubi ipsi conqueri non possent. *Reuter,* n. 316, coroll. 1 et 8. Cfr. *Gasparri,* De sacr. ordin., n. 545, d. — V. **Comp.,** n. 897.

CASUS VII

DEFECTUS LENITATIS 2.°

FIRMILIANUS, parochus, a praedonibus noctu invasus, fistula sua iaculatoria unum ex eis occidit, alteri nasum gladio aufert; diffugiunt reliqui; duo capiuntur et ad mortem damnantur. Advocatur FIRMILIANUS ut eos in morte iuvet, et ad supplicium comitetur. Cum autem caelum pluviosum sit, hortatur aurigam ut festinet viamque breviorem capiat.

HINC:

QUAER. *An* FIRMILIANUS *irregularitatem contraxerit in circumstantiis modo enuntiatis?*

SOLUTIO:

1177. — *Resp. ad Quaes.* 1.° FIRMILIANUS non incurrit in irregularitatem, vitam suam et res suas, noctu praesertim, defendendo contra iniustos invasores, quamvis unum occiderit et alium mutilaverit. Licet enim unicuique se defendere contra iniustum aggressorem vitae et bonorum notabilium, modo non excedatur moderamen inculpatae tutelae. Sed in huiusmodi circumstantiis valde erat difficile FIRMILIANO excedere moderamen inculpatae tutelae, cum in mediis tenebris tantum esset periculum; ergo ex illa parte minime est inquietandus FIRMILIANUS. *S. Alph.,* n. 389; *Gasparri,* l. c., n. 431 seq.

1178. — 2.° Nec incurrit in irregularitatem adhortando aurigam ut festinaret et viam breviorem caperet, propter tempus pluviosum, dum reos ad supplicium comitaretur; quia hoc ad supplicium non spectabat, sed tantum suadebatur ut incommodum pluviae vitaretur: hoc enim lenitati non repugnat. *Reuter,* coroll. 9, n. 316.

CASUS VIII

ORDINIS USURPATIO ET CENSURAE VIOLATIO

1.° VICTOR, diaconus, dum sub nocte adesset in ecclesia, cernens vetulam iuxta sedem confessionalem adstantem et confessarium exspectantem, iocandi gratia, et ad experiendum quomodo illa confiteretur, locum confessarii accepit, paenitentem audivit, et absolutionem simulavit.

2.° DIDYMUS, sacerdos, ob aliquod delictum suspensus, Missam tamen pluries celebravit.

3.° LEO, sacerdos, ex delicto irregularis factus, Sacrum facere non dubitavit.

HINC:

QUAER. 1.° *An* VICTOR *in irregularitatem inciderit?*
2.° *An* DIDYMUS *in irregularitatem incurrerit?*
3.° *Quid, si suspensus tantum fuerit a beneficio?*
4.° *Quid de* LEONE *statuendum?*

SOLUTIO:

1179. — *R. ad* 1m *Quaes. Affirmative,* quia usurpavit functionem ordinis sacri, ad quem non fuerat promotus. Constat ex can. 985, 7.°, in quo haec habentur: «Irregulares ex delicto sunt... 7.° Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti». V. **Comp.,** n. 895.

1180. — *R. ad* 2m *Quaes.* DIDYMUS contraxit irregularitatem, censuram violando, quia posuit actum ordinis clericis in ordine sacro constitutis reservatum a cuius exercitio poena canonica prohibitus erat. **Comp.,** l. c. Unicam tamen irregularitatem contraxit, licet pluries celebraverit; quia non multiplicantur irregularitates, nisi ex diversis eorumdem causis, non autem ex repetitione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario (can. 989). V. **Comp.,** n. 907.

1181. — *R. ad* 3m *Quaes.* DIDYMUS in hac hypothesi non factus esset irregularis; quia suspensus a beneficio non est ideo suspensus ab officio, nec proinde peccat officium exercendo. **Comp.,** n. 1293 seq.

1182. — *R. ad* 4m *Quaes.* LEO, iam irregularis, non incurrit in secundam irregularitatem. Ratio est, quia irregularitas contrahitur tantum in casibus a iure determinatis. Porro in iure non dicitur, irregularitatem in hoc casu contrahendam esse. Potuisset tamen incurrere in novam irregularitatem, non quidem ex eo quod priorem violasset, sed propter violationem censurae, v. gr. suspensionis, si forte aliqua lata esset in admittentes delictum, cuius causa irregularis factus est. **Comp.,** n. 889, IV.

* CASUS IX

HOMICIDIUM 1.°

1.° GENESIUS inimicum PANCRATIUM contumeliis et improperiis lacessivit, atque cumulavit. Ira incensus PANCRATIUS in GENESIUM, districto gladio, irruit. Hic vero, ut morti certae se subtraheret, eum praeveniens transfodit. Cum autem ordines suscipere postea cupiat, nescit an irregularitatem incurrerit.

2.° GENEBALDUS, gravi contentione cum QUIRINO habita, cum eo confligendo eius pollicem ex dimidia parte, et indicem integrum amputavit; atque adeo graviter in faciem percussit, ut ille utrumque oculum amiserit.

3.° ALFREDUS, cum SIDONIO congrediens, manum eius adeo valide compressit, ut hic ea manu non amplius in posterum uti potuerit.

HINC:

QUAER. *An praedicti in irregularitatem incurrerint?*

SOLUTIO:

1183. — *R. ad* 1m *casum.* In specie casus controvertitur utrum contrahatur irregularitas, necne. S. Alphonso videtur distinguendum: si GENESIUS, inimicum verbis iniuriosis provocans, praevidit se facillime ab eo aggrediendum esse, factus est irregularis eum occidendo, etsi ad suam defensionem id fecerit, quia tunc dedit operam rei illicitae, proxime periculosae. Secus vero, si hoc non praeviderit. Ita *S. Alph.*, n. 388. Alii vero existimant etiam in casu praevisionis *probabilius* non contrahi irregularitatem. *D'Annibale,* 1, n. 423. Igitur irregularitas in casu est *dubia.* Ita *Suárez,* De cens., d. 46, sect. 1, n. 10 seq.; *Gasparri,* l. c., n. 438.

1184. — *R. ad* 2m *casum.* GENEBALDUS in nullam incurrit irregularitatem, quia adversarium non mutilavit; etenim ad mutilationem requiritur amputatio seu abscissio membri, vel partis corporis quae proprium officium habet, ut pes ad ambulandum, manus ad agendum. Media autem pars digiti, vel digitus integer, vel etiam alter, non constituit membrum. *Gasparri,* l. c., n. 406. Nec refert quod GENEBALDUS adversarium excaecaverit, quia eius oculos non eruit, nec effodit, sed tantum eum visu indirecte privavit; ergo eum non mutilavit. *S. Alph.*, n. 278 et seq.; *Pontas*, v. Irregularitas, cas. 82. **Comp.**, n. 900.

1185. — *R. ad* 3m *casum.* ALFREDUS non evasit irregularis, quia SIDONIUM non mutilavit. Etenim irregularitas non contrahitur, nisi casibus iure determinatis; porro ex iure non statuitur contrahendam esse irregularitatem ob corporis laesionem, praeter homicidium, abortum et mutilationem: atqui in casu nostro manus fuit tantum debilitata, non vero mutilata; ergo revera ALFREDUS ab irregularitate immunis esse debet. *Pontas*, ibid., cas. 83.

1186. — Attamen *S. Alphonsus,* n. 380, dicit cum aliis, valde probabiliter incurrere irregularitatem eum, qui alterius membrum ita debilitavit, ut illud aridum, seu mortuum reliquerit; quia tale membrum, licet iuxta apparentiam non sit mutilatum, reipsa tamen ablatum censetur, cum non sit amplius animatum et ad usus proprios aptum. Quare probabiliter e converso non fieret irregularis ille, qui tale membrum omnino exsiccatum abscinderet, quia non esset mutilatio formalis. Quidquid sit, stante controversia, in nullo est admittenda irregularitas, nisi interveniat mutilatio proprie dicta. Cfr. *Gasparri,* l. c.;

D'Annibale, l. c., n. 421. Nulla enim irregularitas sive ex defectu sive ex delicto contrahitur, nisi expresa fuerit in Codice (can. 983). **Comp.,** n. 889.

* CASUS X

HOMICIDIUM 2.°

1.° TITIUS, inimicum suum ex odio graviter vulneravit: hic postea mortuus est quidem; sed dubium est an mors ex vulnere, aut medici negligentia secuta sit.

2.° CAIUS abortum suasit ANNAE quacum peccaverat, quod et factum est, sed nesciebat utrum iam effluxerint octoginta dies a conceptione, necne; nec utrum fetus esset masculini an feminei generis.

3.° SEMPRONIUS, suggessit alteri modum et occasionem ut vindictam ab inimico suo sumere posset, eum vel mutilando, vel occidendo; sed dubium est an mors, vel mutilatio secuta fuerit.

4.° MARIUS, cernens amicum in conflictu contra iniustum aggressorem, se iniicit in medium et, morte huius, alterum liberavit.

5.° ALBERTUS, miles, pugnavit in bello *offensivo* quod sibi iustum videbatur; dubitat vero, an eiaculando cum aliis aliquem occiderit.

HINC:

QUAER. *An omnes isti in irregularitatem incurrerint, vel quinam ab ea irretiantur, necne?*

SOLUTIO:

1187.—*Resp.* ad varios casus propositos: 1.° TITIUS factus est irregularis, non obstante dubio de efficacia suae actionis in mortem inimici sui. Ratio est, quia constat de morte alicuius, et de actione mala a te posita, quae huius mortis causa esse potuit, ideoque censeris factus irregularis, licet dubites de influxu sufficiente actionis tuae ad mortem afferendam. *Decretal.,* lib. 5, tit. 12, cap. 12. Cfr. *S. Alph.,* n. 347; *Reuter,* n. 320; *Wernz,* Ius Decretal., vol. 2, n. 145; *Gasparri,* l. c., n. 407. — V. **Comp.,** n. 897.

2.° CAIUS omnino habendus est ut irregularis, quia ex can. 985, 4.°, irregulares sunt qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes. Nec obstat dubitatio circa tempus quo effluxerit a conceptione, quia Codex irregulares decernit procurantes abortum fetus humani effectu secuto, et omnis fetus a muliere conceptus est humanus. Aliunde ex doctrina hodie passim admissa fetus animatur ab ipsa conceptione. Unde quando Pius IX in Const. *Apostolicae Sedis* tulit excommunicationem contra procurantes abortum effectu secuto, omnes intellexerunt tali censura comprehendi procurantes abortum etiam fe-

tus unius diei. — Ergo idem tenendum est hodie quoad irregularitatem.

Antea quidem irregularitas ex abortu non oriebatur nisi quatenus continebat homicidium et, cum illa lex (de qua nihil dixit Pius IX) lata est, doctrina ab auctoribus passim admissa, tenebat fetum *masculinum* non animari nisi post dies *quadraginta* a conceptione, *femeninum* vero post dies *octoginta*. Unde ante tale tempus non censebatur fieri homicidium. V. **Comp.**, nn. 898, 1268.

1188. — 3.° SEMPRONIUS non est irregularis, quia, ad irregularitatem contrahendam ratione homicidii, requiritur ut de morte constet. Immo quoad mutilationem non esset irregularis, etiamsi constaret de facto mutilationis, et dubium foret de influxu in eam, quia pro solo homicidio dubio lex irregularitatem imposuit. *S. Alph.*, n. 347. — V. **Comp.**, n. 897, 4.°

4.° MARIUS immunis est ab irregularitate, modo non excesserit moderamen inculpatae tutelae, amicum contra iniustum aggressorem defendendo. Ratio est, quia id quod licitum est ad seipsum defendendum contra iniustum aggressorem, etiam licitum est, ratione caritatis, ad alium a morte liberandum. *S. Alph.*, n. 388, de V praec., n. 389. **Comp.**, n. 897.

5.° ALBERTUS minime factus est irregularis, quia in bello quod iustum reputavit ipse pugnavit. *Reuter*, n. 320. — V. **Comp.**, n. 896, 3.°

CASUS XI

HOMICIDIUM CASUALE

1.° LONGINUS, viduus, ordines suscipere cupiens, meminit se olim filiolum suum recens natum suffocasse, dum ipsum in lecto secum una cum uxore repositum haberet. Hinc dubitat an irregularitatem contraxerit.

2.° DIDACUS, clericus, venationi tempore vacationum operam dando, cum ALBANO alio clerico, dum leporem occidere vellet, socium infeliciter globo traiecit. Rem confessario exposuit, a quo audivit se tum excommunicationem, tum irregularitatem contraxisse.

3.° ARSENIUS, medicus, aegroto remedium praebuit dubius utrum profuturum esset necne, sed cuius experimentum facere volebat. Aegrotus paulo post mortuus est. Medicus autem volens ordines sacros suscipere, timet ne in irregularitatem incurrerit.

HINC:

QUAER. *Quid de irregularitate in praedictis casibus?*

SOLUTIO:

1189. — *Resp. ad Quaes. In primo casu* LONGINUS factus non est irregularis, nisi mors pueruli evenerit ex culpa gravi, id est, si proximum suffocationis periculum praeviderit, quod facile evenire potest, ubi infantulus recens natus sit. Ratio est, quia Codex statuit irregularitatem ex solo homicidio voluntario. Hoc, iuxta aliquos, de solo homicidio *directe* voluntario intelligentum est; sed videtur potius sufficere voluntarium in causa, graviter culpabili, sicut ante Codicem. Cfr. can. 6, 2.° — V. **Comp.**, n. 896, 5.°

1190. — Nec DIDACUS *in secundo casu* factus est irregularis *per se,* ut eruitur ex rationibus num. 1189 adductis, nisi valde imprudenter egerit, et periculum praeviderit. Plures tamen *affirmant,* iuxta quos DIDACUS irregularitatem in eo casu incurrisset, quia socium occidit vacando operi illicito. Sed *respondeo:* 1.° Non omnis venatio clericis prohibetur, sed tantum venatio clamorosa. 2.° Non sufficit ad irregularitatem contrahendam, ratione homicidii, ut quis vacet operi illicito, sed requiritur insuper ut opus illud sit proxime periculosum; nam non satis est ut actio sit mala, sed debet esse mala ex malitia homicidii. Ita *S. Alph.*, n. 386. DIDACUS igitur non censetur irregularis nisi magna imprudentia egerit, quia venatio non est *per se* et *proxime* periculosa: homicidium enim quod accidit mere *casuale* fuit, seu *per accidens* evenit. V. **Comp.**, n. 897. Cfr. tamen S. C. C., in *Galtellinen.*, 12 martii 1785; et in *Adrien.*, 21 ian. 1781. Vide *Gasparri,* l. c., n. 444.

1191. — ARSENIUS *in tertio casu* irregularitatem vere contraxit, si mortis periculum praevidit; quia contrahitur irregularitas ab eo qui praevidet mortis periculum ex aliqua sua actione secuturum, et negligit culpabiliter illud praecavere; ergo, a fortiori, contrahitur ab illo qui periculum ex proposito praebuit: atqui ARSENIUS posuit periculum mortis aegroti, cum experimentum de efficacia remedii incogniti facere voluerit; ergo reapse irregularitatem incurrit. Potuit tamen ARSENIUS dubitare de efficacia remedii quin existimaret illud fore nocivum; quia remedium potuit esse simpliciter inutile, et tunc nullus fuisset irregularitati locus.

* APPENDIX

DE IIS, QUI PROBABILITER ADHUC VIVUNT, QUAMVIS VULGO RECENTER MORTUI CREDANTUR, SACRAMENTO DONANDIS

Titius, parochus, cum in rebus theologicis, tum etiam in medicis non mediocriter doctus, sacramenta paenitentiae et extremae unctionis, sub conditione administravit in sequentibus casibus: 1.° Caprasio, domum ab oppido sat remotam incolenti diuturnaque infirmitate confecto, quem, dum vocatus ad eius domum ocius se confert, reperit iam, ut praesentes et ipse medicus testantur, ante horae dimidium obiisse. — 2.° Leandro, ad quem repentino morbo correptum venire non potuit, nisi postquam ille iam a duabus horis mortuus videbatur. — 3.° Claudino, qui, fracto dum ipse transiret ponte, aquis suffocatus et impetu fluminis raptatus, nec inveniri nec extrahi potuit, nisi post duas horas, ex quo aquis submersus fuerat. — 4.° Celerino, ictu fulminis, dum iter nocte superiori per montana ageret, extincto, quique demum summo mane repertus fuerat. — 5.° Demetrio, qui vulnere accepto emissaque magna sanguinis copia, iam a quatuor horis obiisse credebatur.

Immo fetus fere omnes sibi oblatos baptizare solet, quamvis nullum vitae signum edant.

Ita se gerit Titius quia probabile reputat nullum fere hominem mori illo praecise instanti, quo communiter creditur, sed post aliquod temporis spatium, tardius vel maturius pro natura morbi causarumve mortem afferentium. Illos igitur omnes probabiliter adhuc vivere reputabat, quamvis nec peritae auris medicus cordis pulsationes percipere potuerit, nec aliud certum vitae signum in ipsis fuerit repertum.

Hinc:

Quaer. 1.° *An detur signum aliquod, vel complexus signorum, vi cuius in homine instans mortis certo dignosci queat?*

2.° *An et quousque probabile sit, hominem adhuc vivere per spatium aliquod temporis post instans illud, quod vulgo instans mortis esse creditur?*

3.° *An et quae Sacramenta, et quibus conditionibus, administrari possint vel debeant hominibus probabiliter adhuc viventibus, post illud instans quo mortui ex communi aestimatione creduntur?*

4.° *Quid iudicandum de* Titio *in singulis casibus?*

SOLUTIO:

1192.—*R. ad* 1^m *Quaes. Neg.*, saltem si rigiditatem cadavericam et plene comprobatam generalem totius organismi putrefactionem excipias: quod maxime confirmatur ex eo quod, cum propositum fuerit praemium ab Academia parisiensi, conferendum ei qui huiusmodi signum *certum* demonstraret, nulli adiudicatum tale praemium fuerit. Cfr. *Ferreres,* La muerte real y la muerte aparente, etc., nn. 77-102 (1).

1193. — Ratio difficultatis in huiusmodi signis inveniendis inde petitur: 1.° quia nescimus quaenam sit ea corporis intima dispositio, qua posita, animam statim a corpore recedere necesse sit; 2.° quia licet illud nobis esset cognitum, mediis tamen destituimur, quibus certo investigare possimus, an talis dispositio iam in organorum intimas partes inducta fuerit. Generatim nos tantum attingimus cessasse quasdam vitae functiones, quae magnis organis aut apparatibus respondent, uti sunt *respiratio pulmonaris, sanguinis circulatio,* etc.; non vero eas, quae in partibus intimioribus exercentur; uti sunt *respiratio interna, cellularum nutritio, atque textorum.* Hae autem intimae functiones, etiam postquam externae cessarunt, possunt adhuc exerceri per aliquod temporis spatium, nisi ipsa elementa anatomica laesa atque inepta reddita sint. Quamvis enim priores functiones necessarium nutrimentum pro posterioribus subministrare debeant, ideoque, illis cessantibus, et hae brevi perire debeant, non tamen necesse est ut pereant *statim,* cum nutrimentum in antecessum acceptum ipsis sufficere possit ad tempus aliquod, brevius vel longius pro diversis casibus. Cfr. *Dr. Blanc,* De la muerte aparente con relación a los Sacramentos, in ephem. *El Criterio Católico en las Ciencias Médicas,* vol. 6, pag. 171.

1194. — Hoc significant physiologi, cum mortem non *puncto temporis* organismum dicunt invadere, sed *paulatim* ab externis in internas partes ingruendo *(de la periferia al centro).* Cfr. *Laborde,* Les tractions rythmées de la langue, pag. 11 (Paris, 1897), necnon eius communic. ad Academiam medicam parisien., ubi lecta fuit 23 ian. 1900

---

(1) Hoc opusculum, *anglice, gallice, germanice, italice, lusitane* et *hungarice* iam translatum est, illudque «nulli sacrorum Pastorum ignorare fas esse», aiunt *Acta S. Sedis;* classicum esse ac necessarium sacerdoti ac medico catholico, scripsit *The Tablet;* et adiungendum esse omni cursui Theologiae moralis iudicat *Il Monitore.* Plures dioecesanae Synodi immo et Concilium Provinciale Caesaraug. doctrinam opusculi probarunt et in praxim esse deducendam statuerunt. **Pius vero X** idem opusculum iudicavit utilitate plenum pro humanitate, pro scientia ac pro religione, et ardenter se desiderare dixit ut haec doctrina a medicis praesertim ac sacerdotibus cognoscatur. Clariss. *Antonelli,* in suo praeclaro opere Medicina pastoralis, vol. 2, part. 3, cap. 2 et 3, doctrinam opusculi totam suam fecit.

Dignae sunt ut legantur opusculi nostri versiones gallicae, germanicae vel italicae, ubi auctor versionis, *Dr. Geniesse,* multa documenta magni ponderis diligentissime collegit. Cfr. *Ferreres,* La muerte real, etc., nn, 160-214, edit. 4.ª

(Bulletin, séance du 23 janv. 1900, pag. 64 seq.). Quamquam igitur multis in casibus, si recurrant externa illa consueta mortis signa, possis omnino affirmare hunc hominem *certo* brevi moriturum, si iam mortuus non sit: eum iam obiisse, ex praedictis signis tibi *certo* non constabit. Cfr. *Dr. Blanc,* l. c., pag. 204; *Béclard,* Physiologie, § 427; *Dr. Coutenot* apud ephem. *Études franciscaines,* janv. 1901, pag. 44 seq. Hinc *Dr. Coutenot* (laudatus a *Dr. Blanc,* l. c., pag. 207) ait: «Después del paro del corazón la vida existe todavía un tiempo variable, que la experiencia podrá un día determinar; pero que existe». Cfr. etiam *D'Halluin,* La resurrection du coeur, pag. 33; Les étapes de la mort, apud *Revue de Lille,* mart. 1906, pag. 32.

1195. — Immo existimat *Dr. Blanc,* cum plurimis aliis DD. medicae Academiae Barcinonensis SS. Cosmae et Damiani, fieri posse ut anima pergat informando hominis corpus, huiusque corruptionem impediendo, quin ullam aliam vitalem operationem exerceat. Cfr. *El Criterio Católico en las Ciencias Médicas,* l. c., pag. 136, 137, 172, 197. Vide etiam conclusionem primam approbatam ab Academia Barcinonensi. Quae quidem omnia iis confirmari videntur, quae de *vita latente* tum in plantis tum etiam in animalibus passim videmus certo accidere. Cfr. *Cosmos,* ann. 1903, vol. 48, pag. 721. — Adde quod saepe saepius nec cessationem omnimodam magnarum illarum functionum cognoscere possumus; sed ad summum argumenta tantum *negativa* habemus. Ut enim testatur *Icard* (La mort réelle et la mort apparente, pag. 82-89 seq., Paris 1897), exsistunt *plurima* exempla clinica demonstrantia cor pergere in exercitio suarum functionum, quin peritissimae auris medicus, auscultatione quam accuratissime instituta, pulsationem vel minimam percipere possit. Cfr. etiam *Dr. Blanc,* l. c., pag. 204. Quare *pluries* accidit, ut dum medici (peracta auscultatione per horam integram) nec *respirationem,* nec *cordis pulsationes,* nec ullum aliud vitae signum perciperent ideoque ad putatum cadaver anatomice discindendum ventum fuerit, aperto per incisionem pectore, cor adhuc suas pulsationes exercere clarissime fuerit compertum. *Icard,* l. c., pag. 90.

Et haec accidunt cum peritissimi medici, adhibitis accuratissimis observationibus, hominem obiisse credunt; quid vero fiet cum huiusmodi iudicium hominibus imperitis, ut communiter contingit, relinquatur?

1196. — Porro, non modo cessatio magnarum illarum functionum, sed nec *maculae* sic dictae *cadavericae,* quaeque a ceruleo rubentes 8-11 horis post mortem in declivibus corporis partibus observari solent, signa sunt mortis absolute certa, cum in *vivis* hominibus vel etiam in illis observatae sint qui e statu asphyxiae ad vitam revocabantur. Ita *Capellmann,* Medicina pastoralis, pag. 183 (ed. 2.ª lat.). *Dr. Blanc,* l. c., pag. 202.

1197. — A fortiori id dicendum est de *oculo,* ut aiunt *cadaverico,*

de *facie hypocratica,* etc. Unde *P. Villada,* Casus, vol. 3, sect. 7, (pag. 235 ed. 1ae): «Constat etiam signa certae mortis non haberi pro omni casu nisi *rigorem cadavericum* et *putredinem*... immo cum admodum difficile sit distinguere rigorem cadavericum, qui observatur ex *Capellmann,* 1-24 horis post mortem et durat per 6-48 horas, et rigorem spasmaticum, asphyxicum, tetanicum, convulsivum, qui in quibusdam morbis ante mortem accidit; in praxi non remanebit certum aliud signum mortis pro omni casu, nisi putrefactio antea dicta, quaeque post tres dies tantum accidere solet». Cfr. etiam *Goggia,* in ephem. *Cosmos* (vol. 44, pag. 145); *Dr. Blanc,* l. c., pag. 201 seq.

1198. — Quae omnia cotidie ex factis confirmationem accipiunt, cum innumeri sint iam casus, et cotidie augeantur, in quibus hi, qui ex praedictis signis prorsus iam mortui credebantur, ad vitam fuerint revocati. Et quamquam huiusmodi casus ad illos homines maxima ex parte referri videantur, qui fuerint *accidenti subito correpti,* sive ab extrinseco illud proveniat, ut in *fulminis* ictu, *submersione, suffocatione* et aliis bene multis; sive ab intrinseco, ut in *apoplexia, epilepsia, lethargo, hysteria, asphyxia, haemorrhagia, narcotismo, intoxicatione, cholera, pestilentia,* etc.; non videntur tamen exclusivi.

1199. — Etenim praeter casus, qui in ephemeridibus circumferuntur, fidem faciet vel maxime, id, quod nobis scripsit clariss. *Dr. Aloisius Cirera,* quodque iam retulerat in medica Academia SS. Cosmae et Damiani, de muliere quadam 32 annos nata, quae quidem, ut ipse testatur, cum pneumonia duplici et pericarditi coniuncta cum effusione *(derrame)* fuisset affecta, tandem post dies 14, postque duas agoniae horas, *apparenter* occubuit ita ut nullum omnino vitae signum edere videretur. At, tentata ab ipso *Dre. Cirera* per quindecim momenta *(minutos)* artificiali respiratione, primum quidem motus cardiaci perceptibiles fieri coeperunt, tum recuperata fuit naturalis respiratio, non nisi post mucorum bronchialium expulsionem magna cum difficultate obtentam; accessit deinde loquela antequam visus, demum facultatum omnium usus. Nec tamen evanuit gravitas morbi mortisque periculum; altero enim die post 24 horas, simili agonia praeeunte, mortua est. — Ex quo facto Dr. concludit: «Me parece que este relato induce a creer que si en una afección que tan directamente compromete las funciones circulatoria y respiratoria, no sólo la paciente estaba con vida, sino que recobró todas sus funciones; si no se hubiese practicado la respiración artificial, la vida también se hubiera prolongado algún tiempo, aunque sin manifestaciones exteriores de la misma, y que *es probable* que así ocurra en *todos* los enfermos, cuando cesan en sus manifestaciones apreciables de la vida» (Sess. diei 15 ian. 1903). Cfr. etiam *Dr. Blanc,* l. c., pag. 200.

1200. — Denique liceat quae hucusque dicta sunt confirmare aucto-

ritate *octodecim* clarissimorum in re medica Doctorum (1) qui in citata Academia Barcinonensi SS. Cosmae et Damiani hanc quaestionem (nobis postulantibus, et nunc amplissimas gratias agentibus) doctissime simul ac diligentissime pertractarunt diebus 8, 15, 22 ian. et 3 febr. 1903, et sequentes conclusiones, disserente egregio *Dre. Blanc, unanimiter* post maturam discussionem approbarunt.

«3.ª Los hechos han demostrado que el hombre puede volver a la vida después de permanecer *durante horas enteras* en un estado en el cual habían desaparecido *todas* las manifestaciones de la vida general, como son: el conocimiento, el habla, la sensibilidad, los movimientos musculares, *la respiración,* y en que no se percibían tampoco los *ruidos del corazón*. A este estado es lógico llamar muerte aparente».

«4.ª El estado de muerte aparente descrito en el párrafo anterior suele ser más frecuente y más largo en los que fallecen de muerte súbita o por accidente; pero es *muy probable* que un estado semejante se produzca durante un tiempo mayor o menor *en todos* los hombres, aunque mueran de enfermedad *común,* sea ella aguda o crónica».

«7.ª Resulta exacta la expresión de Brouardel de que *no tenemos signo alguno ni conjunto de signos,* que baste a precisar en todos los casos con certeza científica el momento de la muerte».

«11. Antes de aparecer la putrefacción no existe signo alguno ni conjunto de signos que baste a dar certeza absoluta del estado cadavérico».

1201. — *R. ad* 2m *Quaes.* Ex dictis in superiori quaesito iam nova haec responsio veluti corollarium profluit: si enim certum est hominem paulo antea esse vivum, nec ullum habes signum certum de eius morte, sequitur *probabile* esse eum adhuc vivere. Huc facit etiam conclusio Barcinonensis 15ª *unanimiter* quoque approbata, quae sic se habet:

«De las anteriores conclusiones se deducen *fundadas* sospechas de que *ningún hombre* muere en aquel momento que vulgarmente se juzga ser el último de la vida, sino *algún tiempo* después» (2).

1202. — Ut vero res magis pateat, distinguamus oportet inter eos qui repentino aliquo accidenti occumbunt, et illos qui morbo chronico vel aliqua alia infirmitate lente consumpti moriuntur. In prioribus enim probabile omnino esse, eos in *apparente morte* versari per multum temporis, sc., per horas, per diem, reviviscentium hominum passim

(1) Dtres. Georgius Anguera Cailá, Aloisius Cirera Salse, Isidorus Pujador Faura, Ioannes Rovira Vendrell, Hermenegildus Puig Sais, Linus Iordá, Ioachimus de Riba, Ioannes Ribas Perdigó, Iosephus Boniquet, Antonius Gatell, Alexius Civil, Eusebius Grau Martí, Petrus Nubiola, Iosephus Ruiz Contreras, Iosephus Blanc, Pelagius Fontseré, Augustinus Bassols et Iosephus A. Masip.

(2) Cfr. etiam *Icard,* apud *La presse médicale,* Paris, 17 aug. 1904; *D'Halluin,* apud *Revue de Lille,* mart. 1906, pag. 32; *Ferreres,* l. c., nn. 129-134, et apud *Razón y Fe,* vol. 18, pag. 245.

testantur exempla: quin immo ad vitam revocati sunt milites, postquam per 2, 4 vel etiam 12 integros dies in loco pugnae iacuissent exsangues *(desangrados) Dell'Acqua,* quem citat *P. Goggia,* ope cuiusdam electrici apparatus, ad hunc finem a se inventi, post 44 horas restituit vitam *apparenter* mortuo, nullum prorsus vitae signum danti (1).

1203. — Idem fere de neo natis ac fetibus dicendum est, qui *frequenter,* praesertim in partu difficili, asphyxia corripi ita soleant, ut qui adhuc vivant et ad vitam et perfectam sanitatem revocari possint, omnino mortui per horas et dies integros appareant, ita ut aliqui sepultura donati fuerint, et postea, ab illa extracti, reanimari potuerint (2).

1204. — Maior est difficultas pro aliis, qui sc. infirmitate aliqua pereunt. Ratio discriminis obvia est: nam in illis repentinus casus invenit organismum sanum plerumque et robustum; elementa anatomica et texta, quibus organa coalescunt, magna mediorum copia, quibus intima vita illa perduret, provisa *(reserva orgánica).* Ex quo fit ut, licet per aliquod temporis spatium sistant quae magnae functiones dicuntur, ob organorum vel apparatuum laesionem; pergant nihilominus per plures horas intimae partes et elementa vivere. In aliis vero videntur omnia paulatim consumi; unde cum penitus exterius vita discedit, non multum post temporis discedat interius necesse est.

1205. — Quantum vero illud tempus producatur non facile assignari potest: hoc enim cum pendeat a morbi qualitate eiusque duratione ac totius organismi lenta et successiva consumptione, tempus animae discessus non facile assignare audebis. Adde praeterea, te nescire, an repentino accidenti interno alicui, ex illis nempe, quae longiorem mortem *apparentem* solent aliquando inducere, ille status debeatur, quem mortem appellas.

1206. — Ex sententia *Capellmann,* l. c., pag. 178, videtur illud tempus probabiliter protendi ad pauca minuta, quae ad *sex* circiter extendi posse dicit *P. Villada,* l. c. At iam saeculo XVII aliqui medici docebant, teste *Lacroix,* l. 6, part. 2, n. 1264 (al. 1164) «animam rationalem manere unitam corpori etiam *uno* vel *altero quadrante* post mortem vulgariter existimatam», et *P. Feijoo,* in dis. *Señales de muerte actual,* § X (ed. Rivadeneyra, pag. 257), illud tempus extendit *ad horae dimidium.*

1207. — Quod non videtur improbabile legenti conclusiones Barcinonenses, praesertim 5^{am}, 6^{am} et 8^{am}, etiam unanimiter approbatas, et quae sic se habent:

«5.ª Después del momento vulgarmente llamado de la muerte,

---

(1) Cfr. *Laborde,* Les tractions rythmées; *Bulletin de l'Académie de médecine,* séance du 30 janv. 1900, pag. 99-100; *Ferreres,* l. c., nn. 103-112; *Aimé Witz, Revue des Questions Scientif.,* vol. 47, pag. 434; *Dr. Blanc,* l. c., pag. 136, 138; *Dr. Cirera,* etc.

(2) Cfr. *Eschbach,* Disp. phys. theol., c. 3, a. 3; *Icard,* l. c., part. 2, c. 6, a. 19; *Dr. Blanc,* l. c., pag. 209; *Dr. Grau,* in Academia Barcinonensi, die 15 ian. 1903; *Dr. Ruiz Contreras,* ibid., 22 ian. 1903.

aun en la consecutiva a enfermedades *agudas* o *crónicas*, según testimonio de la *mayoría de los autores*, tienen lugar en el cuerpo humano unos como restos de vitalidad de los tejidos, que se revelan por contracciones de las fibras musculares lisas y estriadas, absorción, movimientos vibrátiles de las pestañas epiteliales y de los espermatozoides, contracciones del útero, que a veces han determinado la expulsión del feto».

«6.ª Ante un cuerpo humano que presenta los fenómenos que se citan en la conclusión anterior, no tiene hoy por hoy la ciencia medio alguno para decidir si el principio que mantiene en el organismo la unidad funcional, ha desaparecido».

«8.ª Las pestañas vibrátiles de las vías aéreas, según autores dignos de confianza, vibran todavía de 12 a 15 horas después de lo que vulgarmente se llama el momento de la muerte».

1208.—Immo *Dr. Bassóls* existimat probabiliter illud tempus esse extendendum usque ad instans, in quo appareat rigiditas cadaverica (In citata discussione Barcinon. Academ., 22 ian. 1903).

1209. — *R. ad* 3m *Quaes.* In antecessum, tanquam principium ab omnibus hodie admissum, statuendum est hominem sensibus destitutum, *quamdiu* **probabiliter** *adhuc vivit*, posse et debere Sacramentis, quibus forte indigeat, sub conditione donari. Cfr. *Lacroix*, l. c., n. 1256 seq. V. **Comp.**, n. 608. Quod intelligendum est etiam pro casu, in quo *tenuis* tantum *probabilitas* habeatur de illius hominis vita. *Lacroix*, l. c., n. 1261, §§ 7 et 9; *Elbel*, part. 9, n. 216. Cfr. *Villada*, l. c., n. 75. Vide infra, n. 1213. His igitur suppositis, tres casus distinguamus oportet: vel enim agitur de *neo natis* et *fetibus*, vel de *repentina morte abreptis*, vel demum de *longo morbo consumptis*.

1210. — *In primo casu* de *neo natis* et *fetibus*.—Dico I. Infantes recenter natos, vel fetus abortivos plane formatos, licet nullum vitae signum habere videantur, quamvis a plurimis horis videantur mortui, modo corrupti aut putrefacti certo non sint, sine mora baptizari sub conditione, *si vivis*, etc., *posse* et *debere*. Ita Conc. *Caesaraug.*, tit. 2, c. 2; Syn. *Aurien.*, const. 52; *Matriten.*, lib. 2, tit. 1, c. 1; *Eschbach*, Disp. physiol. theol., dist. 3, part. 2, c. 3, a. 3 (ed. 2.ª): in his enim, nisi putredo confirmata fuerit, non videtur de eorum morte signum certum haberi. Cfr. *Ferreres*, l. c., nn. 13-39; *Instruct. past. Eystetten*, n. 85; *Dr. Goggia*, apud Ephem. *Cosmos*, vol. 40, pag. 145. Aliunde agitur de sacramento omnino necessario ad salutem.

1211. — Dico II. Fetus abortivos nondum formatos, qui sine motu vitali appareant, et a mola distinguantur, modo non fuerint certo putrefacti, sub conditione, *si vivis*, etc., baptizari *posse* et *debere*. Ita Conc. *Caesaraug.* et Syn. *Aurien.*, et *Matriten.*, ll. cc.; *Eschbach*, l. c., *Ferreres*, l. c.; Conc. Prov. *Vallisol.*, part. 3, tit. 2, n. 6.

1212. — *In secundo casu*, de mortuis nempe ex repentino accidente. — Dico: omnes huiusmodi homines, nisi putrefactio confirmata

iam illos invaserit, vel certe ille rigor cadavericus ita cum aliis realis mortis signis fuerit coniunctus, ut omne dubium de vera morte, quod vix unquam accidit, tollatur, *posse* et *debere* absolvi sub conditione, *si vivis et es dispositus,* etsi a repentino accidenti plures horae, immo etiam integer dies intercesserit, vel si simpliciter ignores tempus quod ab illo fluxerit (1). Haec conclusio iam fere ab omnibus admittitur. Ratio: quia in his dantur casus non rari *apparentis mortis* per plures horas, aliquando etiam per integros dies, et aliunde hic et nunc haberi nequit, ut ex disputatis suppono, de reali morte *moralis certitudo.* Cfr. *Villada,* l. c., n. 76; *Noldin,* De Sacram., n. 294, nota; *Alberti,* Theol. past., part. 1, n. 18, VI; *Pighi,* vol. 4, n. 420. Vide *Ferreres,* l. c., nn. 103-112.

1213. — *In tertio casu,* quando sc. homines gradatim morbo aliquo extinguuntur. — Dico: omnes sic in extremis versantes, si *dimidium horae* ab ultima exspiratione nondum fluxerit, et antea non fuerint absoluti vel alio sacramento muniti, vel etsi antea iam fuerint sacramento muniti, dubitatur tamen *prudenter* de subiecti dispositione fructuve sacramenti percepti; in falibus, inquam, adiunctis, ordinarie saltem loquendo, absolvi *posse* et *debere* sub conditione, *si vivis et es dispositus* (2). *Noldin,* l. c.; *Kern,* De sacram. extr. unct., lib. 4, in fine (Ratisbonae, 1907); *Génicot-Salsmans,* n. 422; *Sabbetti-Barret,* n. 828; *Pighi,* vol. 4, n. 420. Cfr. *Ferreres,* l. c., n. 190-245.

Quare *Lacroix,* l. c., cum sibi obiecisset: «Aliqui medici tenent animam rationalem manere unitam corpori etiam uno vel altero quadrante post mortem vulgariter existimatam: ergo sacerdos superveniens postquam aliquis ita est in propinquo tempore defunctus, tenebitur eum absolvere, saltem sub conditione». *Respondet:* «Si opinio illa per auctoritatem vel rationem fiat alicui *saltem dubie probabilis, c. seq.*»

1214. — Praeterea in secundo et tertio casu potest etiam administrari *conditionate* sacramentum extremae unctionis (3). Hi enim homines, ut sensibus destituti haberi posse videntur, ac proinde, iuxta Rituale, huius sacramenti capaces, modo dolor aliquis et salutis desiderium in eis praesumi possit. Cfr. *Génicot,* n. 422.

1215. — Immo huiusmodi hominibus melius subveniri iudicamus per hoc quam per paenitentiae sacramentum (4). Ratio est, quia sacra-

---

(1) Ita expresse declararunt Synodi dioecesanae *Matritensis,* lib. 2, tit. 3, const. 6 pag. 194 (Madrid, 1909); *Auriensis,* const. 78, pag. 48 (Orense, 1908).

(2) Ita etiam Synod. *Matrit.,* l. c.; *Auriensis,* l. c.; Conc. Prov. *Caesaraugustan.,* c. 6, tit. 2, pag. 92 (Caesaraug., 1908). Cfr. etiam Synodos citatas in nota ad n. 1214.

(3) Ita etiam Syn. *Matrit.,* l. c. Cfr. etiam Syn. *Corduben.* in America, n. 180; *Malacitan.,* lib. 3, tit. 7, c. 2, n. 9 (Málaga, 1909), pag. 394; *Ancudien.,* part. 2, c. 6, pag. 74 (S. Carlos de Ancud, 1907); *Manilan.,* n. 73 (Manila, 1911); *Cebuen.,* n. 87 (Manila, 1911); *Calbayoyen.,* tit. 2, const. 2.ª, pag. 76 (Manila, 1911); Conc. Prov. *Caesaraug.,* l. c.

(4) Cfr. *Villada,* l. c., n. 75; *Ball.-P.,* vol. 5, n. 235 seq., 861; *Lehmk.,* Casus, 2, n. 624, r. 2; *Pesch,* Praelect. dogm., vol. 7, n. 86.

mentum extremae unctionis, licet *secundario,* delet tamen *per se* peccata mortalia, supposita in subiecto aliqua attritione cum bona fide. In paenitentiae vero sacramento, aliqua, ex communi sententia, requiritur confessio, quae an et quomodo his in adiunctis haberi possit, res est multis dubitationibus obnoxia. V. **Comp.**, n. 608 *bis.* Sed dices: hoc pacto generatur scandalum fidelibus, qui sacerdotem viderint hoc sacramentum mortuo, ut ipsi putant, administrantem. — *Respondeo:* moneat sacerdos, instruat praesentes, et scandalum nullum aderit. Cfr. *Lehmk.,* l. c.; *Ferreres,* l. c., nn. 140 145.

1216. — Immo nullum erit scandali periculum, quia pro huiusmodi urgenti necessitate adhibenda est haec forma generalis: *Si vivis, per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.* Satis est tunc unicam unctionem peragere, v. gr. in fronte, quod fieri poterit ita ut alii non advertant. *Buccer.,* n. 869; *Deshayes,* l. c., n. 1352; *Génicot,* n. 417. — V. supra, n. 791, et **Comp.**, n. 838.

1217. — «No es buena práctica, ait *Dr. Cirera,* l. c., la que generalmente se sigue en estos casos, o sea que cuando el paciente exhala el último suspiro, los que le cuidan le dan por muerto y como tal le tratan, antes de llegar el sacerdote; siendo así que *lo más probable* es que viva todavía *algún tiempo,* que se pudiera aprovechar para administrarle la extremaunción. Y adviértase que me refiero *no* a los accidentes *repentinos, ni* menos a los *ahogados* y *fulgurados* (pues en éstos es bien sabido que vuelven a veces a la vida después de muchas horas de muerte aparente); *me refiero a los que mueren, pasando por las fases ordinarias que presentan las enfermedades graves,* y en los que suele admitirse el testimonio del más imperito de los enfermeros para declarar la muerte.» Postea afferrebat ad confirmandam assertionem ea quae supra retulimus, n. 1199.

1218. — Igitur in praxi semper (vel fere) poterit sacerdos absolvere et extrema unctione munire adultum, qui *vulgo* recenter mortuus absque ultimis Sacramentis credatur, nisi mors per generalem cadaveris corruptionem fuerit certo comprobata.

1219.—Etenim eos, qui repentino accidente correpti extinguuntur, probabilissimum est per *plures horas* et aliquando per integros dies versari in statu mortis apparentis.

1220.—Quoad illos vero, qui longa infirmitate vexati, vel chronico morbo pereunt, res adhuc facilius expeditur: 1.° quia hi generatim, dum certe adhuc vivunt, solent Sacramentis donari; 2.° quia saltem statim ac illi credantur mortui advocabitur sacerdos, ideoque ante horae dimidium ab instanti, quod vulgo mortis appellatur.

1221. — Immo his in casibus, etiam si adveniat sacerdos post illud horae dimidium, poterit *generatim* adhuc absolvere apparenter mortuum: 1.° quia multoties etiam iis in adiunctis mors debetur repentino alicui accidenti, quod mortem attulit citius quam sperabatur, et tunc

status mortis apparentis plus temporis protenditur, probabiliter ad duas vel tres horas (cfr. *Feijoo,* l. c., §§ IX et XI); 2.° quia generatim saltem sacerdoti non constabit illum statum non deberi repentino illi accidenti; 3.° quia illud horae dimidium intelligitur postquam *peritus* medicus, adhibitis *accuratissimis* auscultationibus et aliis observationibus, iam nullum vitae vestigium percipit: atqui saepe saepius vel non adest *peritus* medicus, vel non adhibentur illae accuratissimae observationes; ergo saltem in hac hypothesi, etiam post horae dimidium ex quo vulgo creditur mortuus, poterit adultus absolvi, vel extrema unctione donari. V. **Comp.**, n. 852; *Ferreres,* l. c., n. 146 seq.

1222. — *R. ad* 4^m *Quaes.* TITIUS non inutiliter videtur pollere aliqua de rebus medicis notitia, cum ea ad aeternam animarum salutem utatur, nec imprudenter. Igitur recte iudicandus est in primo casu egisse, CAPRASIUM nempe absolvendo, eique sacramentum extremae unctionis conferendo, modo monuerit, ut suppono, ne mirarentur adstantes: neque enim ipsi certo constabat eum *re* et *veritate* efflasse animam. Neque reprehendendus in secundo, eadem officia LEANDRO praestando post duas horas a morte repentina; neminem namque mortalium latet, plures in simili casu rediisse ad vitam. Pari ratione *potuit* et *debuit,* ut fecit, miserrimo CLAUDINO meliori quo potuit modo, subvenire (Cfr. *Dr. Blanc,* l. c., pag. 136, 138). Laudanda etiam in 4.° casu eius cura et diligentia in mediis aeternae salutis concedendis ei, quem medicus facile forte potuisset ad vitam revocare. In 5.° casu bene etiam se gessit TITIUS noster, cum milites nonnulli, in iisdem fere adiunctis, post plures etiam dies revixisse dicantur. — Quod additur de fetibus, nihil habet difficultatis; nisi enim corrupti aut putrefacti fuerint, etsi nullum vitae signum dederint, de eorum morte reali nulla habetur certitudo: quo posito, non solum potuit, sed gravissime tenebatur TITIUS memoratos fetus sub conditione baptizare.

FINIS TOMI SECUNDI

INDEX ALPHABETICUS

Nota. — Numeris romanis designatur tomus, arabicis numerus marginalis.

A

Ablatio indirecta tumescentis uteri, I, 403 *e,* seq.

Abortus. An aliquando licitus, I, 399, 403 *a,* seq., 403 *e,* seq.—Eius poenae spirituales, ibid.

Absolutio. An, quando, et quomodo tribuenda recidivis et consuetudinariis, II, 701-711, versantibus in occasione peccati, 685 seq., moribundis, 481 seq., 718 seq.; dubie dispositis, 392 seq.; pueris ante primam communionem, 712 seq.; complici in peccato turpi, 611 seq. — Absolutio conditionata, 392 seq.; regularium, 660 *a-i;* navigantium, 660 *k,* seq.— Quaenam certitudo dispositionis ad absolutionem sit requisita 672 seq. — Absolutio a censuris, 1121 seq.— Absolutio per telephonium, 389. — Absolutio conferenda apparenter mortuis, qui probabiliter adhuc vivunt, 1192 seq.

Abstinentia a carnibus, I, 478 et seq. Abstinentiae dispensatio ratione festivatis, 497 *a,* seq.

Actiones et obligationes in societatibus commercialibus vel industrialibus. An liceat clericis eas accipere, II, 61 *a-c.*

Actus. An dentur actus indifferentes in individuo, I, 28 seq.

Adiuratio. An, et quando licita, I, 303 seq.

Adultera seipsam prodens, I, 749.

Adulterium. Quam obligationem restituendi inducat, I, 743. – Adulterium ut dirimens matrimonium, II, 981, v. *Crimen.*—Quatenus est causa divortii a toro et habitatione, 910 seq.

Advocatus. Eius obligationes, II, 6-10, *b.*

Aequatoriensis Resp. **Vol. I.** Adultera seipsam prodens, 749.— Auctorum dominium, 509 *c.*—Cessio bonorum, 725, 726. — Consuetudo, 138. — Contractus de re turpi, 763; metus in contractu, 785, 786.—Depositum, 876. — Donatio revocabilis, 807.—Donationis collatio, 825, 826. — Filii familias dominium, 498. — Interesse legale, 984. — Inventio, 521, 526. — Legatum sub conditione non nubendi, 787. — Minor contrahens, 770. — Occupatio, 514, 515. — Patria potestas agnoscitur in matre, 326. —Possessor bonae fidei, 599, 600, 604, 607. —Praescriptio, 534, 541, 543. — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682. — Restitutionis ordo, 695, 697; restitutio ob fornicationem, 739. — Specificatio et commixtio, 550. — Testamentum. Eius conditiones, 836, 846. — Thesaurus, 526. — Transactio, 962, 963. — Venditio, 776, 781. — Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936; vitia rei manifestanda, 910. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h.* — Uxorum bona, 560; uxor contrahens, 773, 775. — Usura. Interesse ex interesse, 904. — **Vol. II.** Dominium religiosorum, 111. — Vigebat cap. *Tametsi,* 1011.

Aequivocatio, v. *Restrictio mentalis.*

Aetas ad legem, I, 79; ad ordines, II, 828 seq.

Affinitas. Quando matrimonium dirimat, et quo iure, II, 969-972.

Aggressor vitae, honoris ac rerum, I, 390-398.

Alphonsus (S). Auctoritas eius doctrinae, I, 72.

Amens. An admittendus ad Eucharistiam, vel Viaticum, II, 277 *a-e.*

America. Sacerdotes in Americam demigrantes, II, 834 *a-i.*

America latina. Vol. I. Cessio bonorum, 725, 728. — Contractus turpis, 375 *g*, 769. — Donatio revocabilis, 807; mortis causa, 811, 812, 813, 816, 819. — Donationis collatio, 825. — Fideicommissum, 868. — Ieiunium. Licent in cenula ova et lacticinia, 464, 465. — Iuramentum, an firmet sponsalia privata, 301. — Minor contrahens, 770. — Possessor bonae fidei, 600, 601, 606. — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682. — Restitutionis ordo, 695; restitutio pro homicidio, 733; ob fornicationem, 739. — Res inventa, 521. — Testamentum. Eius conditiones, 836, 843, 845, 846, 847. — Iuramentum in testamento, 847. — Scholae neutrae. Instructiones Conc. Plen., 370 *b.* — Specificatio et commixtio, 550, 551, 552. — Venditio, 776, 777; ex dolo, 836. — Tempus paschale, 448. — Uxor contrahens, 773, 775. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h.* — **Vol. II.** Baptismus haereticorum, 424-425. — Vigebat cap. *Tametsi,* 1011. — Matrimonia mixta, 1003; haereticorum, 1020, 1023. — Puerorum confirmatio, 247. — Puerorum prima communio, 278-280. Sponsalia privata, invalida, 834 *k.* — Vocatio in statum religiosum. An requiratur consensus parentum, 92.

Amor Dei, I, 206-212.

Amphibologia, v. *Restrictio mentalis.*

Ancilla. Caute eligenda in filiorum curam, I, 370 *a.*

Anima. Dispositiones animae ad Eucharistiam, II, 281-292.

Animalia. An ferae sint capientis, I, 514, 515.

Apparitor, II, 11, 12.

Applicatio Missae, II, 325. — Obligatio parochorum applicandi Missam pro populo, 328-333.

Approbatio. Confessarii, II, 536.

Aragonia. Testamentum. Eius conditiones, I, 829.

Argentina. Resp. **Vol. I.** Adultera seipsam prodens, 749. — Auctorum dominium, 509 *c* et *d.* — Consuetudo, 138. — Depositum, 876. — Donatio inter vivos, 802, 803, 804; revocabilis, 807. — Donatio mortis causa, 817. — Donationis collatio, 825, 828. — Filii familias dominium, 498. — Inventio, 521, 526. — Minor contrahens, 770. — Patria potestas agnoscitur in matre, 326. — Possessor bonae fidei, 599, 600, 607. — Praescriptio, 534, 541, 543. — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682. — Restitutionis ordo, 695; restitutio ob fornicationem, 739; restitutio pro homicidio, 733. — Testamentum. Eius conditiones, 846. — Specificatio et commixtio, 550. — Thesaurus, 526. — Transactio, 962. — Uxorum bona, 560; uxor contrahens, 773. — Venditio, 777. — Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h.* — **Vol. II.** Dominium religiosorum, 111. — Vigebat cap. *Tametsi,* 1011.

Assecuratio. Eius efficacia, I, 1012-1014. — Restitutio ob damnum illatum rei assecuratae, 651. — Assecuratio vitae, 1014 *a-h.*

Attritio. An sufficiat in sacramento paenitentiae, II, 405.

Auditio Missae, I, 343-346.

Avaritia. Quandonam sit gravis, I, 172.

B

Banna. Eorum obligatio, II, 872 seq. — Quomodo fieri debeant, ibid.

Baptismus. Eius materia, II, 184; forma, 191; minister, 198; subiectum, 205; patrini, 230; iteratio, 207. — Baptismus filiorum infidelium, 212. — Baptismus privatus, 221; sollemnis, 226-229; non differendus etiamsi desit sacerdos, 222 *bis.*

Bellum. An licitum, I, 408. — Quid in dubio de eius iustitia, ibid. — Praeliantes quando irregulares fiant, II, 1174-1178.

Beneficiatus. Quando committat simoniam, I, 285. — Quando teneatur ad erogandum superfluum pauperibus, 507 seq.

Blasphemia. Quale peccatum, I, 293.
Bolivia. Vol. I. Adultera seipsam prodens, 749. — Cessio bonorum, 725.—Contractus de re turpi, 763. — Filii familias dominium, 498. — Depositum, 876. — Donatio inter vivos, 802; revocabilis, 807. — Fideicommissum, 868. — Inventio, 526. — Patria potestas agnoscitur in matre, 326.—Legatum sub conditione non nubendi, 787. — Legatum, 851.—Minor contrahens, 770. — Possessor bonae fidei, 599, 600, 604, 607.—Praescriptio, 534, 541, 543. — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682. — Restitutionis ordo, 695. — Specificatio et commixtio, 550, 551. — Thesaurus, 526. — Uxor contrahens, 773. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h.* — **Vol. II.** Vigebat cap. *Tametsi,* 1011.
Bona fides, quoad praescriptionem, I, 534.
Bona filiorum, I, 498; uxorum, 505; clericorum, 507. — Bona inventa, v. *Inventio*.
Breviarium, v. *Horae canonicae.*
Bulla Cruciatae, I, 140; 942 *p.* — Absolutio a censuris vi Cruciatae, II, 1121.
Bursae operationes. Quid sint, quatenus licitae aut illicitae, I, 946 *a,* seq.

C

Calendarium. Quodnam sequendum a clerico per longum tempus extra dioecesim commorante, II, 46 *bis*.
Calumnia, v. *Detractio.*
Cambium. An, vel quando liceat, I, 990.
Canada, quando matrimonia ruthenorum, II, 1015, *h.*
Caritas, quoad pauperes succurrendos, I, 215; quoad delinquentes corrigendos, 223. — Ordo servandus in bonis, 215; in personis, ibid. — Vitia opposita, 226-232.
Carnes. Abstinentia a carnibus, I, 478-489.
Castitas. Votum castitatis, I, 332; quoad religiosos, II, 117; ut impedimentum impediens, 929; dirimens, 946.
Castrensis iurisdictio, quoad matrimonia, II, 1028-1031.
Casus reservati. De potestate absolvendi a reservatis, II, 593.
Cathalaunia. Possessor bonae fidei, I, 599, 600.
Causa. Causae excusantes ab auditione Missae, I, 342; a ieiunio, 468 et seq.; ab operibus prohibitis die festo, 352 et seq.; a restitutione, 714; a recitatione horarum, II, 57. — Causae ad absolvendum sub conditione, 392-397; ad solvenda sponsalia, 861; ad dispensandum in impedimentis matrimonii, 1037.
Celebratio Missae, ratione sacerdotii, II, 317; ratione officii, 328-333; ratione stipendii, 333-354. — Modus celebrandi, 357-363, v. *Rubricae.*
Censura, II, 1118; excommunicatio, 1124; suspensio, 1142; interdictum, 1151; de absolutione a censuris, 1121.
Census. Quando licitus, I, 1005.
Census ecclesiastici apud quem redimi possunt iure hispano, I, 761 *f.*
Cenula die ieiunii, I, 462, 464.
Cessatio a labore, v. *Operistitia.*
Cessio bonorum, I, 725-731.
Chilensis Resp. **Vol. I.** Adultera seipsam prodens, 749.—Auctorum dominium, 509 *d.* — Cessio bonorum, 725, 726.—Consuetudo, 138. — Contractus de re turpi, 763, 767, 768; metus in contractu, 785, 786. — Depositum, 876. — Filii familias dominium, 498. — Donatio inter vivos, 802; revocabilis, 807. —Donatio mortis causa, 817, 819. — Donationis collatio, 825, 826.— Interesse legale, 984. — Inventio, 521, 526. — Ieiunium: dispensatio a lege de non permiscendis epulis, 489. —Legatum sub conditione non nubendi, 787, 788. — Minor contrahens, 770.— Occupatio, 514, 515. — Possessor bonae fidei, 599, 600, 604, 607.— Praescriptio, 534, 541, 545.— Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682.—Restitutionis ordo, 695, 697;

restitutio ob fornicationem, 739; restitutio pro homicidio, 733; ob stuprum, 737. — Specificatio et commixtio, 550.—Tempus paschale quoad milites, 448, nota. — Testamentum. Eius conditiones, 832, 836, 846, 847. Legatum sub conditione non nubendi, 787. Legatum, 851. — Thesaurus, 526. — Transactio, 962, 963. — Uxorum bona, 560; uxor contrahens, 773, 775.— Usura. Interesse ex interesse, 904.— Venditio, 776, 781. — Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936; vitia rei manifestanda, 910.— Vis et efficacia legum civilium, 761 *h.*—**Vol. II.** Religiosorum dominium, 111. — Vigebat cap. *Tametsi,* 1011. Matrimonia mixta, 1003.

Choreae. An, vel quando licitae, I, 233.

Chorus, quoad canonicos et religiosos, v. *Horae canonicae.*

Chrisma in baptismo, II, 222, 229; in confirmatione, 239.

Circumstantiae, I, 31; quoad restitutionem, 624; quoad confessionem, 447-461.

Clandestinitas, quoad matrimonium, II, 1008-1016.

Clausura. Quomodo servanda, II, 1139.

Clerici. Eorum dominium, I, 507; negotiatio eis interdicta, II, 61 *a-c.* Delatio clerici ad tribunal laicorum, 1127 *a.*

Cognatio naturalis, seu consanguinitas, II, 952-964; spiritualis, 965-968.

Collatio bonorum, I, 825-828.

Collatiuncula, v. *Cenula.*

Collectae ab Ordinario imperatae, II, 366 *e.*

Columbiana Resp. **Vol. I.** Auctorum dominium, 506 *c.* — Cessio bonorum, 725.— Consuetudo, 138. —Contractus de re turpi, 763; metus in contractu, 785, 786.—Depositum, 876. — Filii familias dominium, 498.— Interesse legale, 984 — Donatio inter vivos, 802, 803; revocabilis, 807. — Donatio mortis causa, 817, 819. — Donationis collatio, 825, 826. — Inventio, 521, 526. Minor contrahens, 770. — Occupatio, 514, 515. — Patria potestas agnoscitur in matre, 326.—Possessor bonae fidei, 599, 600, 604, 607.—Praescriptio, 534, 541, 543. — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682.— Restitutionis ordo, 695, 697; restitutio ob fornicationem, 739.—Specificatio et commixtio, 550.—Testamentum. Eius conditiones, 836, 846. — Thesaurus, 526. — Transactio, 962, 963. — Uxorum bona, 560; uxor contrahens, 773, 775.— Usura. Interesse ex interesse, 904. —Venditio, 776, 781; obligationes venditoris et emptoris, 908; vitia rei manifestanda, 910. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h.*— **Vol. II.** Religiosorum dominium, 111.—Vigebat cap. *Tametsi*, 1011.

Comitia. In eis suffragium quando et cui ferendum, I, 375 *a-f.*

Commixtio. Quid per commixtionem acquiratur, I, 550.

Commodatum. Eius obligationes, I, 869 et seq.

Communicatio cum infidelibus, I, 202 *b,* seq.

Communio. Paschalis, I, 448-457; frequens, II, 316 *a-c;* in nocte Natalis Domini, 376 *a-f;* administratio, 266-272; dispositiones animae, 281-288; corporis, 292-298; in periculo mortis, 302-312.—An dubius de ieiunio possit communicare, 294. — Communio in institutis monialium, vel etiam virorum omnino laicorum, 316 *a-e.* — Puerorum prima communio, 278-280.

Commutatio voti, I, 337; paenitentiae, II, 522-526.

Compensatio occulta, I, 573 seq.; eius conditiones, 573.

Complex in damno quoad restitutionem, I, 657-692; in peccato turpi quoad absolutionem, II, 611.

Conceptus ectopicus, I, 403 *a.*

Concupiscentia, I, 21.

Condimenta ex adipe, I, 464.

Conditio in contractu, I, 787; apposita in baptismo, II, 191-197, 207; in absolutione, 392-397.

Confessarius. Confessarii approbatio, II, 536; iurisdictio, 539. — Confessarius monialium, 572; navigans, 660 *k-n;* confessarius cum

scrupulosis, I, 48 *b;* cum moribundis, II, 481-491; cum rudibus, 666; cum versantibus in occasione peccati, 685; cum consuetudinariis, 420, 701; cum recidivis, 420, 704-711; cum pueris, 712; cum mulieribus, 725; cum sponsis, 730. — Confessarius a paenitente declinans, 774; confessarius memoriae debilis, 677; methodi ad eius memoriam iuvandam, 680. — Electio libera confessarii, 70.

Confessio annua, I, 443-447. — Obligatio, II, 423; integritas, 427-439; dimidiata ob infamiae periculum, 436; mendacium in confessione, 440-444. — Confessio iteranda, 497-502; defectus confessionis reparandi, 737-748. — Sigillum confessionis, 748-752; usus externus notitiae confessionis, 752-760.

Confirmatio. Materia, II, 238-242; forma, 240 seq., subiectum et obligatio, 245-250.

Coniuges. Testamentum inter coniuges, I, 845 seq. — Directio coniugum, II, 1101 seq.

Consanguinitas, II, 952-965.

Conscientia erronea, I, 37-43; dubia, 42-48; scrupulosa, 48-51. — Conscientiae examen, II, 492, 497.

Conscripti militiae, I, 757-762.

Consecratio. Materia prioris consecrationis, II, 250-252; posterioris, 252-255; forma, 148 seq., 156 seq., 260.

Consensus in contractu, I, 776 seq.—Consensus parentum in vocationem filiorum, II, 91 seq.; Episcopi pro clerico in vocationem religiosam, 94.—Consensus sponsalitius verus, 846 seq.; erroneus, 850 seq.; conditionalis, 853 seq.

Consentiens in damnum, I, 667-672.

Consuetudo. Eius effectus ad legem inducendam vel abrogandam, I, 132 seq.

Consuetudinarii. An absolvendi, II, 701-704.

Consulens damnum, I, 662-667.

Contractus. Consensus in contractu, I, 776 seq ; error in contractu, 779 seq.; dolus, 783 seq.; metus, 785; conditio, 787. — Contractus de re turpi, 767-769. — Contractus usurarius a lege annullatus, 906 *b*, seq.

Contrahens. Minor, I, 770 seq. — Uxor, 773-776.

Contritio extra sacramentum, II, 398-401; in sacramento, 401-413.

Contumelia, I, 434.

Convictores, quoad absolutionem, II, 554.

Cooperatio ad peccatum, I, 241 seq.; in damnum proximi, 657-693; negativa, 681-693.

Copula incestuosa relative ad matrimonium contrahendum, II, 1037 seq.—Copulae incestuosae intentio an exponenda in petitione dispensationis, 1040, 1041.

Corporis dispositiones ad Eucharistiam, II, 292-302.

Correctio fraterna, I, 223-226.

Costa Rica. **Vol. I.** Adultera seipsam prodens,749.—Auctorum dominium, 509 *c*. — Cessio bonorum, 725.—Consuetudo, 138.—Donatio revocabilis, 807.—Donationis collatio, 825.—Fideicommissum, 868. — Filii familias dominium, 498. — Inventio, 521, 526.—Legatum sub conditione non nubendi, 788.—Legitima, 824. - Minor contrahens, 770. — Patria potestas agnoscitur in matre, 326. — Possessor bonae fidei, 599, 600, 604, 607. — Praescriptio, 543.—Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682. — Restitutionis ordo, 695, 697; restitutio ob fornicationem, 739; restitutio pro homicidio, 733. — Specificatio et commixtio, 550, 551. — Testamentum. Eius conditiones, 846. — Thesaurus, 526. — Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936. — Uxor contrahens, 773. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h*. — **Vol. II.** Vigebat cap. *Tametsi*, 1011.

Creditores. Ordo restitutionis, I, 695-701.

Crimen. Impedimentum criminis, II, 981-993.

Culpa. De gravitate peccati, I, 141-144. — Culpa theologica, vel iuridica, relative ad restitutionem, v. *Damnificator*.

Cultus disparitas. Impedimentum

matrimonii dirimens et impediens, II, 999-1004.
Custodes agrorum, etc., II, 24-26.

D

Damnificator, quoad restitutionem, I, 624-657.
Damnum emergens in mutuo, I, 900 seq.
Debita ex delicto, ex contractu, v. *Restitutio*.
Debitoris obaerati parentes ac filii quoad restitutionem, I, 731 *a*.
Defectus. Quomodo aperiendi in venditione, I, 910 seq.; in sponsalibus, II, 867 seq.—Defectus commissi in confessione reparandi, 643-646.
Deflorator. Ad quid teneatur, I, 737 seq.
Delegatio. Pro sponsalibus, II, 849; pro matrimonio, 1019 seq.— Quid de iurisdictione delegata, v. *Iurisdictio*.
Denuntiatio sacerdotis sollicitantis in materia turpi, II, 648-661.
Deportus et reportus. Quid sint et an liciti, I, 947-949.
Depositum, I, 875-885.
Detractio. Eius malitia, I, 420-434; reparatio, 422.
Dichotomia, II, 28 *a*.
Differentia peccatorum in specie, I, 144-150; in gravitate, 141-144; in numero, 150-158.
Difficultas gravis, an excuset a praeceptis humanis, I, 103 seq.; a Missa, 347-352; a ieiunio, 468-478; ab officio, II, 59-61 *a*.
Dilectio inimicorum, I, 216 seq.
Directio coniugum quoad debitum, etc., II, 1079 seq.
Dispensatio a lege, I, 109-117; a voto, 332-337. — Dispensatio ab uno Superiore negata, ab alio negationis ignaro concessa, 121. — Dispensatio implicita, 497; a ieiunio et abstinentia ratione festivitatis, 497 *a-d;* in impedimentis dirimentibus, II, 1022 *a,* seq.; 1033 seq.
Dispositio ad Sacramenta suscipienda, v. *Subiectum*.
Distinctio peccatorum specifica, I, 144-150; numerica, 150-158.
Dissolutio sponsalium, II, 858-872; matrimonii, 902-910.
Divinatio. Eius malitia, I, 263 seq.
Divortium, quoad vinculum, II, 902-910; quoad habitationem et torum, 910-919.—Divortii sententia an et quatenus a iudice pronuntiari possit, 5 *a,* seq.
Dolor, v. *Contritio*.
Dolus in contractu, I, 783 seq.
Domicilium, quoad leges, seu de subiecto legis, I, 81 seq.; quoad ordines, II, 820 seq.; quoad matrimonium, 1028-1033.
Dominium. Eius subiectum, I, 498-510.—Dominium filiorum, 498-505; uxorum, 505-507; auctorum, 509 *c-d;* clericorum, 507-510.—Modus illud acquirendi, 510-522. — Dominium religiosorum, II, 107-116.
Dona. An possint a iudice accipi, II, 3 seq.
Donatio. Quis donare possit, I, 802 seq. — Donatio ad pias causas, 859-866; mortis causa, 811-822; parentum, 882 seq. — Donationis revocatio, 807-810.
Dotalia bona quoad debita, 506 *a*.
Dubium. Dubium de lege, v. *Probabilitas*.—De voto, I, 305-312; de rei possessione, 622-624. — Dubia peccata, II, 445-447. — Dubium quoad iurisdictionem, 549 seq.; dubium quoad reservationem, 587-590; dubium impedimentum, 927-929; dubia materia in Sacramentis, 145 seq.
Duellum, I, 401-408; eius poenae, 1128-1132.

E

Ebrietas. Quale peccatum, I, 176-183; an aliquando licita, 180-183.
Ecclesiae ius acquirendi in Hispania: bonorum ecclesiasticorum commutatio, I, 509 *a-b;* emptio bonorum ecclesiasticorum, 761 *a-h*.
Ectopicus conceptus, I, 403 *a*, seq.
Eleemosyna. Quando obliget, I, 219 seq.
Emigrantes, II, 834 *a*, seq.
Emphyteusis, I, 978-980.
Emptio, v. *Venditio*.

Emptor, v. *Venditio*.
Error in contractibus, I, 779-782; in matrimonio, II, 941-946; in confessione, 737-748; quoad iurisdictionem confessarii, 545-549; parochi, 552-555.
Eucharistia. Administratio iuxta novas rubricas, II, 51 *d.*—Materia, 250-255; forma, 258-261; minister, 266-273; subiectum, 276-281; necessitas in vita, I, 448-458; in morte, II, 302-313.—Dispositiones ad illam suscipiendam, 281-289; 292-299.
Examen. Quale praerequiratur ad integritatem confessionis, II, 492-497.
Excommunicatio, II, 1124-1128.
Excardinationis titulus, II, 820.
Expositorum baptismus, II, 208.
Extrema unctio. Materia, II, 785-793; minister, 793-797; subiectum, 799-804; eius obligatio, 807-811; an ministranda neophytis, 800; conferenda apparenter mortuis, qui probabiliter adhuc vivunt, 1214 seq.

F

Fabrica papyri conficiendae, I, 942 *a*, seq.
Fama, v. *Detractio*.
Famulus. Obligationes, I, 371-373; an possit se compensare, 573-576; cooperari domino ad malum, 241-243; excusari a Missa, 348; quid de furtis famulorum, 558; dimissio famuli, 971.
Fenus solvendum, I, 906 *bis*.
Festa. De sanctificatione festorum, I, 340.
Fideicommissum, I, 867.
Fideiussio, I, 1007-1019.
Fides. Eius necessitas, I, 184 seq.; professio, 492-499; bona fides ad praescriptionem, 534-546. Professio fidei contra modernistas, II, 73 *h*.
Finis agentis, I, 33-35.
Filius. Obligationes, I, 359-368; quoad dominium, 498-505.
Fluxus menstruus, v. *Menstruatio*.
Fetus apparenter mortuus, II, 1203; an et quomodo baptizandus, 1210, 1211.
Fori privilegium, II, 1127 *a*.
Forma. Sacramentorum, II, 148 seq ; baptismi, 191-198; Eucharistiae, 258 seq.; paenitentiae, 386-392; forma conditionata, 392-398.
Fraudatio tributorum, I, 751-757.
Furtum. Materia gravis, I, 553 seq.; furta minuta, 555 seq.; filiorum, 557 seq.; famulorum, ibid.; uxorum, 560 seq.

G

Gabella, v. *Tributum*.
Gibraltaria. Valent ibi matrimonia haereticorum et mixta, II, 1019.
Gradus. Incestus, an sint explicandi in confessione, II, 454, 455.
Guatimala. **Vol. I.** Adultera seipsam prodens, 749.—Auctorum dominium, 509 *c* et *d*. Cessio bonorum, 725. — Consuetudo, 138. — Donatio revocabilis, 807. — Donationis collatio, 825. — Contractus de re turpi, 763, 767. — Fideicommissum, 868.—Filii familias dominium, 498. — Inventio, 521, 526.— Patria potestas agnoscitur in matre, 326.—Possessor bonae fidei, 599, 600, 604, 607.— Praescriptio, 534-543. — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682.—Legatum sub conditione non nubendi, 787.—Legitima, 824.—Restitutionis ordo, 695, 697; restitutio ad fornicationem, 739; restitutio pro homicidio, 733.— Specificatio et commixtio, 550. — Testamentum. Eius conditiones, 846. — Thesaurus, 526.—Venditio. Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936.— Vis et efficacia legum civilium, 761 *h*. — **Vol. II.** Vigebat cap. *Tametsi*, 1011.

H

Habituatus. Quando absolvendus, II, 701 seq.
Haitiana Resp. Auctorum dominium, I, 509 *c*. —Viget cap. *Tametsi*, II, 1011.
Hereditas testamentaria, I, 829-842; fideicommissoria, 867 seq.

Haeretici. Quoad communicationem cum eis, I, 199 seq.; quoad absolutionem in morte, II, 488-491; quoad matrimonium ratione clandestinitatis, 1025-1027; quoad eorum libros, 1132-1138.

Hasta. Venditio sub hasta, I, 951-955.

Hispania. Vol. I. Adultera seipsam prodens, 749. — Abstinentia. Limaces, ranae, etc., an habendae ut caro, 478, 489. — Assecuratio. Conditiones huius contractus, 1014. — Auctorum dominium, 509 *c* et *d*. — Census. Obligationes censuarii, 1005. — Collatio bonorum, 825-828. — Bulla Cruciatae, 140. — Condonatio, 821. — Consuetudo, 138. — Cessio bonorum, 725, 726, 728. — Commixtio, 550-552. — Condimenta ex adipe, 464. — Contractus de re turpi, 375 *g*, 375 *i*, 763, 767, 768, 769; consensus in contractu, 776; metus, 785, 786. — Ecclesiae ius acquirendi iuxta codices et leges concordatas; commutatio bonorum ecclesiasticorum iuxta Concordatum, 509 *a* et *b;* emptio bonorum ecclesiasticorum, 761 *a-h*. — Depositum, 876. — Donatio inter vivos, 802-804; donationis revocatio, 807-810. — Donatio mortis causa, 811-813, 816, 817, 819. — Coniuges. Donationes inter ipsos, 845. — Famuli. Quid iuris quoad dimissionem, 373, 971. — Fideiiussio, plurium pro uno, 1008; uxoris pro marito, 1009. — Filii familias dominium, 498. — Fideicommissum, 868. — Furtum: res furtiva in publico mercatu empta, 602 *a*, seq. — Interesse legale, 984. — Inventio quoad dominium, 521, 526. — Iuramentum, an firmet sponsalia privata, 301. — Legatum sub conditione non nubendi, 787, 788. — Legitima, 824. — Legata relicta heredi qui praemoritur testatori, 851. — Locatio. Pensionis imminutio ob infortunia, 973-976; quid si res locata pereat, 977. — Ludus, 1026. — Milites quoad ieiunium et abstinentiam, 484. — Minor contrahens, 770. — Occupatio, 514, 515. — Patria potestas agnita in matre, 326. — Possessor bonae fidei, 599-601, 604, 606, 607. — Praescriptio, 534, 541, 543, 545. — Restitutio ob damna ab inferioribus illata, 682; ob damnum illatum rei assecuratae, 652; restitutionis ordo, 695, 697, 700; ob stuprum, 737; ob fornicationem, 739; restitutio pro homicidio, 733. — Separatio bonorum inter coniuges, 730, 731. — Specificatio, 550-552. — Sponsio prodiga, 1026. — Testamentum. Eius conditiones, 829, 832, 833, 836, 845, 847; dispositio testamentaria incerta, 843; iuramentum in testamento, 847. — Thesaurus, 526. — Transactio, 962, 963. — Uxoris dominium, 506, 560; uxor quoad restitutionem, 585; uxor contrahens, 773, 775. — Usura. Interesse ex interesse, 904; contractus usurarii annullati, 906 *b*. — Venationis leges, 514. — Venditio, 776, 777, 781, 914; in nundinis, 914; ex dolo, 936. — Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936. — Vitia rei manifestanda, 910, 911. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h*. — **Vol. II.** Coadiutoris parochi facultates, 68. — Dominium religiosorum, 111. — Matrimonia haereticorum, 1017, 1018, 1020. — Matrimonium civile, 1075 *bis*. — Moniales quoad subiectionem Ordinariis, 582. — Sponsalia privata sunt invalida, 834 *k*. — Testis unius testimonium, 19. — Vocatio in statum religiosum. An requiratur consensus parentum, 92. — Vigebat cap. *Tametsi*, 1011.

Homicidium, I, 376-382; quid ob illud restituendum, 732-736; quoad irregularitatem, II, 1183-1191.

Hondurensis Resp. Vigebat cap. *Tametsi*, II, 1011.

Honestas. Impedimentum dirimens matrimonii, II, 975-980.

Horae canonicae. Obligatio, II, 41; quinam ad illas teneantur, 41, 125-129; quomodo recitandae, 44-46 *bis;* recitatio iuxta novum psalterium, 51 *a;* iuxta novas rubricas, 51 *c;* quid excuset ab illis, 57-61.

Hypnotismus. Quid sit, an et quando licitus, I, 273-276 *c;* suggestio mere interna, 275; secreta

per hypnotismum an extorquenda, 276 *a*, seq.
Hypotheca. Quod pariat ius, I, 1015.

I

Ieiunium. Obligatio, I, 458-467; causae excusantes, 468-477. Ieiunium quoad ova et lacticinia in cenula, 464. — Ieiunium dispensatum ratione festivitatis, 497 *a-d*. — Ieiunium quoad communionem, II, 292-298 *b*.
Ignorantia. An excuset a poena, I, 12-16; an impediat irritationem legis, 122-124; impedimenti matrimonii, II, 924; an impediat reservationem, 577; censuram, 1118; irregularitatem, 1158.
Impedimentum solvens sponsalia, II, 858; impediens matrimonium, 929-940; dirimens, 924 seq.; eius dispensatio, 1033-1036; obligatio revelandi impedimenta, 883-889, 1040-1047.
Impotentia quae excuset a Missa, I, 347-351; a ieiunio, 469-477; a restitutione, 714-717; ab officio, II, 57-61.
Impotentia feminea quoad matrimonium, II, 1032 *a-g*.
Incardinatio, II, 820.
Incestus. An gradus declarandi, II, 454.
Indissolubilitas matrimonii, II, 902-909.
Infans aut puer quando baptizandus, II, 209-216; confirmandus, 247, 248; communicandus, 277-280; absolvendus, 712; ungendus, 799.
Infideles: communicatio cum ipsis, I, 202 *b*, seq.
Ingressus in religionem, v. *Vocatio*.
Inimicus. Quomodo diligendus, I, 216-218.
Iniustitia, v. *Furtum, Damnum*.
Innocens. An possit occidi, I, 388-389; an damnari si iuridice habeatur nocens, II, 1.
Intentio in impletione legis, I, 101-102; in confectione sacramenti, II, 159-163; in cius susceptione, 180; ad ordines, 818; in Missa applicanda, 345, 346.
Interdictum. Eius efficacia, II, 1151-1156.
Inventio quoad dominium, I, 516-533.
Interesse legale, I, 984.
Invidia. Quantum peccatum, I, 168-171.
Ira. Quandonam gravis, I, 174.
Irregularitas ex defectu, II, 1161 seq.; ex delicto, 1179 seq.
Irritatio legis, I, 122-123; voti, 326-331; matrimonii, II, 924. — Irritatio votorum a matre, I, 326.
Italia. Adultera se ipsam prodens, I, 749. — Auctorum dominium, 509 *c*. — Collatio bonorum, 825, 827. — Contractus de re turpi, 763; metus, 785, 786. — Depositum, 876. — Donationis revocatio, 807. — Donationes inter coniuges, 846. — Filii familias dominium, 498. — Inventio quoad dominium, 526. — Legata relicta heredi qui praemoritur testatori, 851. — Legatum sub conditione, 788. — Minor contrahens, 770. — Possessor bonae fidei, 600, 602 *c*, 604. — Restitutio pro homicidio, 733; pro fornicatione, 739. — Uxor contrahens, 773. — Venditio, 781. — Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936. — Vitia rei manifestanda, 910. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h*.
Iudex. Obligationes, II, 1-5. — An ei liceat divortii sententiam pronuntiare, 5 *a*, seq.
Iuramentum. Eius conditiones et efficacia, I, 296-302; contra modernistas, II, 73 *h*.
Iurisdictio ad absolvendum, II, 539; probabilis, probabilitate facti, 550; iurisdictio pro militibus in statu bellicae convocationis, 556; iurisdictio in articulo mortis, 555-560; circa peccata reservata, 593-602; quoad matrimonium, 1025-1032. — Iurisdictio quoad convictores religiosorum, 554.
Iustitia, I, 498; eius reparatio, v. *Restitutio*.

L

Labor in die festo, I, 352-358; in magnis fabricis, 358 *bis*. — Laborandi obligatio, 183 *a*.

Lectio librorum prohibitorum, I, 497 *e*, seq.
Legatarius seu heres, I, 829 seq.
Legatum. Quomodo adimplendum, I, 848-856; legata profana formis destituta, 857; legata conditionata, 854; legata pia informia, 859.
Legislator. Qua gaudeat potestate, I, 95-98.
Legitimatio prolis, II, 1022 *a, c.*
Legum civilium vis et obligatio, I, 761 *h.*
Lenitas. Irregularitas ex defectu lenitatis, II, 1174-1179.
Lex, I, 79; subiectum, 79-88; obligatio, 99-102; dispensatio, 109-116; obligatio legis civilis, 127. — Lex poenalis, 125; irritans, 122.
Liber. De libris haereticorum, II, 1132-1138.
Ligamen. De impedimento ligaminis, II, 1005 seq.
Locatio. De contractu locationis, I, 970-977.
Locus ad baptismum, II, 221-224.
Loteriae syngrapha quasi derelicta, I, 533 *a*, seq.; furto sublata, 621 *a*, seq.
Lucrum filii in domo patris, I, 498 seq.; in ludo, 1021-1033; in mutuo, 891 seq.; obligatio illud solvendi, 906 *bis.*
Ludus. Conditiones, I, 1021-1033.
Lusitania. Adultera se ipsam prodens, I, 749. — Auctorum dominium, 509 *c.* — Collatio bonorum, 825, 827, 828. — Contractus de re turpi, 375 *g*, 763, 765; metus, 785, 786. — Depositum, 876. — Donatio inter vivos, 802; donationis revocatio, 807. — Donatio mortis causa, 811-813, 816, 817. — Donationes inter coniuges, 845-847. — Famuli. Quid iuris quoad dimissionem, 373, 971. — Fideicommissum, 868. — Filii familias dominium, 498. — Inventio quoad dominium, 526. — Legata relicta heredi qui praemoritur testatori, 851. — Legatum sub conditione non nubendi, 787, 788. — Minor contrahens, 770. — Occupatio, 514. — Possessor bonae fidei, 599-602 *c*, 604, 606, 607. — Restitutio ob damna ab inferioribus illata, 682. — Restitutionis ordo, 695, 697. — Restitutio pro homicidio, 733; pro fornicatione, 739. — Testamentum. Eius conditiones, 833, 836; dispositio testamentaria incerta, 843. — Transactio, 962, 963. — Usura. Interesse ex interesse, 904. — Uxor contrahens, 773. — Venditio, 781. — Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936. — Vitia rei manifestanda, 910, 911, 914. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h.*

M

Magia. Quale peccatum, I, 267.
Maleficium, I, 267.
Magnetismus animalis, an licitus, I, 273.
Mandans seu iubens. Ad quid teneatur, I, 657-661.
Mandatarius, I, 661 *a*, seq.
Mandatum, I, 885-888.
Manuales Missae, II, 354 *a-g.*
Maritus. An possit irritare vota uxoris, I, 326 seq.; eius obligationes, v. *Coniuges.*
Mater. An possit vota irritare filiorum, I, 326; eius obligationes quoad filiorum lactationem, nutricem et ancillas, 370 *a*, seq., v. *Coniuges.*
Materia voti, I, 305; contractus, 762-766; sacramentum, II, 145; baptismi, 184-190; confirmationis, 238-241; Eucharistiae, 250-254; paenitentiae, 377-385; extremae unctionis, 785-792; ordinis, 811.
Matrimonia mixta, II, 999-1005; matrimonia haereticorum et mixta, 1025-1027.
Matrimonia in mortis periculo, II, 1022, 1022 *a*, seq.
Matrimonium. Consensus coniugalis, II, 890-900; indissolubilitas matrimonii, 902-909; solutio, ibid.; divortium, 910-918; impedimenta impedientia, 929 seq.; dirimentia, 941 seq.; dispensatio, 1033; revalidatio, 1061-1075; sanatio in radice, 1078 *a-d.*
Matrimonium civile inter catholicos est invalidum etiam civiliter in Hispania, II, 1075 *bis.*
Matutinum, v. *Horae canonicae.*
Medicus. Extorquens secreta, aut morbos sanans per hypnotismum,

I, 276 *a*, seq.; quoad secreta professionalia, 370 *e*, 438 *a*; examinandis futuris militibus praepositus, 760; vel iis qui contractum assecurationis vitae inire volunt, 1014 *d-e*. — Eius obligationes, II, 26-28 *f*.

Mendacium. Quale peccatum, I, 414-419.

Menstruatio. An eius absentia sit signum impotentiae vel sterilitatis in femina, II, 1032 *b*.

Mercator, v. *Venditio*.

Mercatus publicus quoad venditionem rei furtivae, I, 602 *a*.

Metus. Quid efficiat in contractu, I, 785; in matrimonio, II, 993-998.

Mexicana Resp. **Vol. I.** Adultera seipsam prodens, 749. — Auctorum dominium, 509 *c*. — Consuetudo, 138. — Contractus de re turpi, 763; metus in contractu, 785, 786. — Donatio inter vivos, 802; revocabilis, 807; donatio mortis causa, 817, 819; donationis collatio, 825. — Filii familias dominium, 498. — Interesse legale, 984. — Inventio, 521, 526. — Legatum sub conditione non nubendi, 787, 788. — Legitima, 824. — Legatum, 825. — Minor contrahens, 770. — Patria potestas agnoscitur in matre, 326. — Possessor bonae fidei, 599, 600, 607. — Praescriptio, 534, 541, 543. — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682; restitutionis ordo, 695, 697; restitutio ob fornicationem, 739. — Specificatio et commixtio, 550. — Testamentum. Eius conditiones, 832, 836, 846, 847. — Venditio, 777, 781, 908, 936. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h*. — Vitia rei manifestanda, 910. — Thesaurus, 526. — Uxor contrahens, 773. — Usura Interesse ex interesse, 904. — **Vol. II.** Moniales quoad officium divinum, 128; quoad vota, 140; quoad clausuram, 1141. — Vigebat cap. *Tametsi*, 1011.

Milites. Hispani quoad ieiunium et abstinentiam, I, 484. — Milites in statu bellicae convocationis, 556.

Minister sacramenti. Eius obligatio quoad intentionem, II, 159; dignitatem, 164; Sacramenta ministranda, 167-171; indignis deneganda, 174.

Minor. An contrahere valeat, I, 770-773.

Missa. Auditio in festis, I, 343-346; causae excusantes, 347-351. — Missa *pro populo*, II, 328. — Missa in nocte Natalis Domini, 376 *a-f*. — Missae manuales, 354 *a-g*. — Preces post Missam dicendae, 376. *c-f*. — Missa conventualis, ibid., v. *Sacrificium*.

Modernistae. Fidei professio ac iuramentum contra ipsos, II, 73 *d*.

Monetam falsam intrudens, I, 656 *a*, seq.

Monialis, v. *Regulares*.

Monopolium. An licitum, I, 958-961.

Moribundus adiuvandus, II. 481-487; sensibus destitutus, ibid. — Confessarius cum moribundis, 718-724.

Mortis certae quaenam signa, II, 1192 seq.

Mortui apparenter an et quomodo Sacramentis donandi, II, 1209 seq.

Mulier, v. *Uxor*. — Confessarius cum mulieribus, II, 436, 470, 497, 522, 725 seq. — Mulier cui uterus vel ovaria excisa sunt, 1032 *a-g*.

Mutus. Tacens quoad damnum, I, 690.

Mutuum. Obligationes, I, 891-899. — An liceat lucrum percipere ex mutuo, 896 seq.; cum damno emergente, 900 seq.; cum lucro cessante; ibid.; cum periculo sortis, ibid.; cum titulo legis civilis, ibid. v. *Usura*.

N

Natalis Domini. Missa et communio in nocte, II, 376 *a-f*.

Navarra. Testamenti conditiones, I, 829.

Navigantes, quoad absolutionem, II, 660 *k-n*.

Necessitas. Fidei, I, 184; spei, 203 seq.; caritatis in proximum, 213; in inimicos, 216; in pauperes, 219; excusans ab auditione Missae, 347 seq.; a prohibitione operum servilium die festo, 354; a ieiu-

nio, 468 seq.; a restitutione, 714 seq.
Negotiatio, I, 964 seq.; clericis interdicta, II, 61 *a-c*, v. *Venditio* et *Contractus societatis*.
«**Ne temere**» (decret.), quoad sponsalia, II, 834 *bis,* 845-849 *b;* quoad matrimonium, 197, 1003, 1014-1032 *bis,* 1078 *d*.
Nicaraguensis Resp. **Vol. I.** Adultera se ipsam prodens, 749. — Cessio bonorum, 725, 726. — Consuetudo, 138. — Contractus de re turpi, 763; metus in contractu, 785, 786. — Depositum, 876. — Donatio inter vivos, 802; revocabilis, 807; donatio mortis causa, 817, 819; donationis collatio, 825, 826. — Filii familias dominium, 498. — Interesse legale, 984. — Inventio, 521, 526. — Legatum sub conditione non nubendi, 787. — Minor contrahens, 770. — Occupatio, 514, 515. — Possessor bonae fidei, 599, 600, 604, 607. — Praescriptio, 534, 541, 543. — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682; restitutionis ordo, 695, 697; restitutio ob fornicationem, 739. — Specificatio et commixtio, 550. — Testamentum. Eius conditiones, 836, 846. — Thesaurus, 526. — Transactio, 962, 963. — Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936; vitia rei manifestanda, 910. — Venditio, 776, 781. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h*. — Uxorum bona, 560; uxor contrahens, 773, 775. — Usura. Interesse ex interesse, 904. — **Vol. II.** Religiosorum dominium, 111. — Vigebat cap. *Tametsi,* 1011.
Nomen. Nomen complicis a confessario non exquirendum, II, 466.
Notarius. Eius obligationes, II, 20.
Novitiatus, II, 140 *c,* 948.
Novitius quoad confessionem, II, 660 *e*.
Numerus peccatorum unde repetatur, I, 150; exquirendus a confessario, II, 666.
Nuptiae, v. *Matrimonium*.

O

Obligatio in iuramento, I, 298 seq.; in voto, 311 seq. — Obligatio restitutionis, 580 seq.
Obligationes filiorum, I, 359 seq.; parentum, 368 seq.; dominorum, 374; famulorum, 371.
Oboedientia, quoad filios familias, I, 359 seq.; quoad famulos, 371; religiosos, II, 120 seq.
Obreptio et *subreptio* in petitione alicuius dispensationis, I, 117.
Observantia vana. Quid sit, I, 253.
Occasio peccatorum, II, 685 seq. — Quomodo agendum confessario cum iis qui in occasione peccati versantur, ibid.
Occisio, v. *Homicidium*. — Occisio sui indirecta, I, 376 seq.; occisio innocentis, 388.
Occupatio. Modus acquirendi dominium, I, 510.
Odium inimicorum, I, 216.
Officium, v. *Horae canonicae*.
Operarius. An excusetur a ieiunio, I, 468.
Onanismus. Eius malitia et quibus modis committatur, II, 1103-1117 *d*.
Operatio caesarea. An licita vel obligata, II, 271 seq.
Operistitia (huelgas), I, 972 *b-d*.
Opinio. Quid opinio probabilior, aequiprobabilis, I, 56.
Ordo. Sacramentum, II, 811. — Titulus incardinationis, 820.
Ovaria. An eorum absentia mulierem reddat impotentem, II, 1032 *a-c*.

P

Pactum, v. *Contractus*.
Paenitens. An teneatur sequi opinionem confessarii, I, 69. — An interrogandus, II, 666.
Paenitentia ut sacramentum, II, 377. — Eius necessitas, 398.
Paenitentia sacramentalis, v. *Satisfactio*.
Panis. Qualis sit Eucharistiae materia, II, 250.
Papa. Eius potestas quoad leges,

I, 95; quoad vota, 332; quoad impedimenta matrimonii, II, 1033.
Paraphernalia. Bona propria uxoris, I, 505.
Paraquariensis Resp. Auctorum dominium, I, 509 *c.* — Dispensatio a lege de non permiscendis epulis, 489, v. *Argentina*. Paraquaria enim habet uti proprium Codicem civilem argentinensem a die 1 ian. 1877.
Parentes. Eorum obligationes, I, 368-370 *a;* quoad filios non mittendos in scholas neutras, 370 *b*.
Paroecia. In ea Missa audienda, I, 343; communio paschalis agenda, 448 seq.; banna denuntianda, II, 872.
Parochus. Eius obligationes, II, 62; residentia, 65; celebratio *pro populo,* 328 seq.; praedicatio, 62; ministratio Sacramentorum, 65; assistentia matrimonio, 1025 seq ; munus, 62 seq.
Participans in furto, I, 676 seq.; in damno, ibid.
«**Pascendi**» encyclica, quoad clericos et religiosos Universitates civiles frequentantes, II, 73 *a,* seq.
Pastor, v. *Episcopus*, *Parochus*
Patria potestas agnoscitur in matre iure *recentiori,* I, 326.
Patrimonium clericorum, I, 507.
Patrinus in baptismo, II, 230 seq. — Eius dotes, ibid.; obligationes, ibid.
Pauperes. An excusentur a prohibitione laboris in die festo, I, 356; a lege abstinentiae, 478.
Paupertas. Votum paupertatis, II, 96 seq.
Peccatum. Diversa gravitas, I, 141; differentia specifica, 144 seq.; numerica, 150 seq. — Peccata interna, 158 seq.; capitalia, 165 seq.
Peregrinus, quoad leges, I, 81 seq.; quoad ordines, II, 820 seq.; quoad matrimonium, 1028 seq.
Periculum peccati, v. *Occasio.* — Periculum in mutuo, I, 900.
Periurium, I, 296.
Peruviana Resp. **Vol. I.** Adultera se ipsam prodens, 749. — Auctorum dominium, 509 *c.* — Cessio bonorum, 725, 726. — Consuetudo, 138. — Contractus de re turpi, 763; metus in contractu, 785. — Depositum, 876. — Donatio inter vivos, 802; donationis revocatio, 807; donatio mortis causa, 817. — Donationes coniugum inter vivos, 845. — Fideicommissum, 868. — Filii familias dominium, 498. — Interesse legale, 984. — Inventio, 521, 526 — Legatum sub conditione non nubendi, 787. — Minor contrahens, 770. — Occupatio, 514. — Patria potestas agnoscitur in matre, 326. — Possessor bonae fidei, 599, 600, 604, 607. — Praescriptio, 534, 543, 545. — Restitutionis ordo, 695, 697; restitutio ob damna ab inferioribus illata, 682; restitutio ob fornicationem, 739; restitutio pro homicidio, 733 — Specificatio et commixtio, 550. — Testamentum. Eius conditiones, 846. — Thesaurus, 526. — Uxoris dominium, 506. — Venditoris et emptoris obligationes, 908, 936. — Vitia rei manifestanda, 910. — Venditio, 776, 781. — Vis et efficacia legum civilium, 761. *h.* — Uxoris dominium, 506; uxor contrahens, 773, 775. — Usura. Interesse ex interesse, 904. — **Vol. II.** Religiosorum dominium, 111. — Vigebat cap. *Tametsi*, 1011.
Pharmacopola, II, 29, v. *Medicus.*
Philippinae Insulae. Vol. I. Assecuratio. Conditiones huius contractus, 1014. — Census. Obligationes censuarii, 1005. — Collatio bonorum, 825, 826, 827. — Consuetudo, 138. — Contractus de re turpi, 375, 763, 765; consensus in contractu, 776, 777; metus, 785, 786. — Donatio inter vivos, 802-804; donationis revocatio, 807, 810. — Donatio mortis causa, 811-813, 816, 817, 819. — Donationes inter coniuges, 845-847. — Famuli. Quid iuris quoad dimissionem, 373, 971. — Fideicommissum, 868. — Filii familias dominium, 498. — Interese legale, 984. — Inventio quoad dominium, 526. — Ieiunium. An liceant in cenula ova et lacticinia, 464, 465. — Dispensatio a lege de non permiscendis epulis, 489. — Iuramentum. An firmet sponsalia privata, 301. — Legata

relicta heredi qui praemoritur testatori, 851. — Legatum sub conditione non nubendi, 787, 788.—Legitima, 824. — Locatio. Pensionis imminutio ob infortunia, 973-976. — Possessor bonae fidei, 599, 600, 601, 602 *a*, 604, 606, 607. — Praescriptio, 534.—Restitutio ob damna ab inferioribus illata, 682. — Restitutionis ordo, 697. — Restitutio pro homicidio, 733. — Tempus paschale, 448. — Testamentum. Eius conditiones, 832, 833, 836; dispositio testamentaria incerta, 843. — Transactio, 962, 963. — Uxoris dominium, 506. — Uxor contrahens, 773, 775. — Usura. Interesse ex interesse, 904 — Venditio, 781 —Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936 — Venditio in nundinis, 914. — Vitia rei manifestanda, 910, 911, 914 — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h*. — **Vol. II.** Sarcerdotes demigrantes, 834 *a*. — Vigebat cap. *Tametsi*, 1011. — Matrimonia haereticorum, 1017.

Pignus, I, 1010.

Pisces in die ieiunii, I, 488.

Pistor, I, 661 *a*, seq.

Poenalis. Lex poenalis, I, 125.

Portugallia. Vigebat cap. *Tametsi*, I, 1009

Possessio daemonis, v. *Adiuratio*.

Possessor bonae fidei, I, 599 seq ; malae fidei, 610 seq.; dubiae fidei, 622.

Praescriptio. Eius conditiones, I, 534-546.

Praesentia confessarii ad absolutionem, II, 389; parochi ad matrimonium, 1025 seq.

Pretium rei, quodnam sit licitum, I, 916 seq., 918 *a*, seq.

Privilegia in genere, I, 139.

Probabilismus. Eius usus, I, 65 seq.

Probabilitas, I, 65 seq. — Quaenam licita, ibid.

Probitas in ministro Sacramentorum, II, 164 seq.; in eorum subiecto, 181 seq.

Proclamationes matrimonii, II, 872 seq., v. *Banna*.

Procurator. Eius obligationes, II, 10 *a*-10 *b*.

Professio religiosa, quoad validitatem, II, 140 *e*, 948 seq.; quoad sponsalium dissolutionem, 858; quoad matrimonium ratum dissolvendum, 907.

Promissio. Quomodo obliget, I, 797 — Promissio sponsalitia, II, 835 seq. — Promissio matrimonii, vivente comparte, 981 seq.

Promulgatio legis, I, 89.

Propositum requisitum ad contritionem, II, 417 seq.

Proxeneta, I, 888 *a*.

Proximus. Quomodo diligendus, I, 215.

Puer, quoad primam communionem, II, 278; quoad confirmationem, 247; quoad absolutionem, 712-717; quoad Viaticum, ibid.; quoad extremam unctionem, ibid. — Ratio agendi cum pueris, ibid.

Punctio cordis, II, 28 *d*.

R

«**Recenti**» (decretum), II, 354.

Recidivus. An absolvendus, II, 704.

Recursus. Praebens recursum, ratione damni, I, 672-675.

Refectio unica in ieiunio, I, 458.

Regulares. Eorum obligationes, II, 120 seq.; quoad approbationem, 568; quoad absolutionem, 567, 660 *a-i*.

Relatio actionum ad Deum, I, 35.

Relatio mercatoria. Modus lucrum ex pecunia percipiendi, I, 947, 993, 1034 seq.

Reliquiae Sanctorum, I, 251.

Reportus ac **deportus.** Quid sint, et an liciti, I, 947-949.

Res furtiva, I, 602 *a*, seq.

Res inventa, I, 516 seq.

Residentia canonicorum, II, 73-73 *d*.

Reus in iudicio, II, 13.

Reservatio casuum, v. *Casus reservati*.

Restitutio, I, 580. — Eius obligatio, 580-587; ob monetas falsas intrusas, 656 *a*, seq ; ob homicidium, 732 seq.; ob stuprum, 737; ob adulterium, 743 seq.; ob damnum illatum rei assecuratae, 651; ob damna ab inferioribus illata,

682; ob defraudationem in tributis, 751; ob damnum occasione militiae, 757 seq.; ob fraudes in papyro conficienda, 942 *a*, seq.; ob operationes bursae, 946 *a*, seq.
Restitutionis ordo, I, 695-700.
Restrictio mentalis, I, 414.—Quaenam sit licita, ibid.
Retrovenditio, I, 945.
Revalidatio confessionis, II, 497 seq.; matrimonii, 1061 seq.
Revelatio criminis, I, 420; secreti, 436; sigilli sacramentalis, II, 748 seq.
Rubricae in Missa, II, 364 seq.
Rutheni in Canada, quoad matrimonia, II, 1015, *h*.

S

Sabbatum sanctum, quoad communionem, II, 272, N. B.
Sacerdos. Eius obligationes quoad Eucharistiae dispensationem, II, 167-168; Missae celebrationem, 317. Sacerdotes demigrantes in Americam aut Philippinas insulas, 834 *a-i*, v. Clerici.
Sacramentum. Materia, II, 144; forma, ibid. — Obligatio ministrandi, 167; an et quando conferendum apparenter mortuis, qui probabiliter adhuc vivunt, 1209 seq.; denegandi indignis, 174; simulata administratio, 178; susceptio, 108, 181.
Sacrificium Missae. Intentio sacerdotis, II, 325. — Obligatio illud perficiendi, 321-324 *h*. — Applicatio pro populo, 328 seq.; applicatio ratione stipendii, 334 seq.; permutatio applicationis, 355, 356; modus celebrandi, 357 seq.
Saecularizationis indultum, II, 140 *a*.
Saevitia ut est causa divortii, II, 914.
Salarium famulorum et operariorum, I, 972 *a;* salarium singulare, familiare, etc., ibid.
S. Salvatoris Resp. **Vol. I.** Adultera se ipsam prodens, 749. — Auctorum dominium, 509 *c*. — Cessio bonorum, 725, 726. — Consuetudo, 138. — Contractus de re turpi, 763; metus in contractu, 785-786. — Depositum, 876. Filii familias dominium, 498. — Donatio inter vivos, 802; revocabilis, 807. — Donatio mortis causa, 817, 819. Donationis collatio, 825, 826. — Interesse legale, 984. — Inventio, 521, 526.—Minor contrahens, 770. — Occupatio, 514, 515. — Patria potestas agnoscitur in matre, 326. —Possessor bonae fidei, 599, 600, 604, 607. — Praescriptio, 534, 541, 543. — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682. — Restitutionis ordo, 695, 697; restitutio ob fornicationem, 739. — Specificatio et commixtio, 550. — Testamentum. Eius conditiones, 836, 846. — Thesaurus, 526. — Transactio, 962, 963. — Venditio, 776, 781, 908, 936. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h*. — Vitia rei manifestanda, 910. — Uxorum bona, 560; uxor contrahens, 773, 775. — Usura. Interesse ex interesse, 904. — **Vol. II.** Religiosorum dominium, 111. — Vigebat cap. *Tametsi,* 1011.
Satisfactio sacramentalis, II, 502. — Eius necessitas, 515 seq.; impletio, 531 seq.; commutatio, 522 seq.
Scandalum. Quale peccatum, I, 226 seq.— Choreae, 233-237; spectacula, 238.
Scholae neutrae, I, 370 *b*.
Scriptura in sponsalibus, II, 845-849 *b*.
Scrupulosus. Directio scrupulosorum, I, 48.
Secretum, I, 436; commissum professionale, 438 *a*, seq.
Sectio venae, II, 28 *d*.
Sigillum litterarum, I, 439; sacramentale, II, 748, 749.
Simonia. Quid, quotuplex, I, 285 seq. — An liceat clerico praesentato solvere litis expensas, 292 *a*, seq.— Simonia confidentialis, 292 *c*.
Simulatio in Sacramentis, II, 178.
Sinenses christiani eorumque communicatio cum aliis paganis, I, 202 *b*.
Societas in contractu, I, 981-987; sociorum iura ad lucrum, 984.

Solidaritas. Ad quos pertineat, I, 693.
Sollicitatio ad turpia, II, 648-660; eius processus iudicialis, I, 652 *a, b.*
Sortes divinatoriae, I, 256. — Virga divinatoria, 269-270.
Sortilegium, I, 267.
Species peccatorum, I, 144; blasphemiarum, 293 seq.; sacrilegiorum, 281-284.
Specificatio. Modus acquirendi dominium, I, 550.
Spectacula. An licita, I, 238.
Spes. Obiectum, I, 203; vitia opposita, ibid. et seq.
Spiritismus *(Espiritismo),* seu invocatio mortuorum, I, 277.
Sponsalia. Eorum valor, II, 835-841; forma et effectus, 845-849; forma et efficacia, 849; consensus erroneus, 850-856; dissolutio, 858 seq.; sponsalia iuxta decret. *Ne temere,* 845-849 *b.*
Sponsi, v. *Sponsalia.*
Sponsio. An sit licita, I, 1017-1019.
Status religiosus, II, 74. — Status laicorum, 1; clericorum, 32.
Stipendium pro celebratione Missae, II, 334-354 *f.*
Stuprum, quoad restitutionem, I, 737.
Subiectum legis, I, 79-88; Sacramentorum, II, 179-183; baptismi, 205; confirmationis, 245-249; Eucharistiae, 276; paenitentiae, 389; extremae unctionis, 799-800; ordinis, 825.
Substitutio, v. *Fideicommissum.*
Suicidium, I, 376.
Suffragium ferendum in comitiis, I, 375; venditum et non datum, 375 *g,* seq.
Suggestio, v. *Hypnotismus.*
Superbia. Quale peccatum, I, 165.
Superflua beneficiorum, I, 507.
Superstitio, I, 292, *c.* — Eius gravitas, 253.
Suspensio. Eius natura, effectus, II, 1142 seq. Suspensiones contra sacerdotes demigrantes in Americam aut Philippinas insulas, 834 *c,* 834 *h.*
Syphilide infectus, quoad lactationem, I, 370 *d;* quoad matrimonium, 438 *b.*

T

Tabulae rotantes *(Mesas giratorias),* I, 271.
Tempus paschale in Amer. lat., I, 448.
Tentatio Dei, I, 280.
Testamentum. Eius conditiones, I, 829-836
Testis in iudicio, II, 17.
Thesaurus inventus, ad quem pertineat, I, 525-526.
Timor, v. *Metus.*
Titulus ad praescriptionem, I, 534; ad auctarium in mutuo, 900; ad confessionem audiendam, II, 539; ad ordines suscipiendos, 820.
Transactio, I, 962, 963.
Tributum. Obligatio illud solvendi, I, 751-756.

U

Unctio in baptismo, II, 229; in confirmatione, 238-241; in extrema unctione, 785-792.
Universitates civiles quatenus a clericis aut religiosis frequentandae, II, 73 *e,* seq.
Uruquariensis Resp. **Vol. I.** Adultera se ipsam prodens, 749. — Auctorum dominium, 509 *d.* — Cessio bonorum, 725, 726. — Consuetudo, 138. — Contractus de re turpi, 763. — Depositum, 876. — Fideicommissum, 868.—Filii familias dominium, 498. — Donatio inter vivos, 802; revocabilis, 807. — Donatio mortis causa, 817. — Donationis collatio, 825, 828. — Interesse legale, 984. — Inventio, 521, 526. — Legatum sub conditione non nubendi, 787. —Legatum, 825. — Minor contrahens, 770. — Testamentum iuramento firmatum, 847. — Occupatio, 515. — Patria potestas agnoscitur in matre, 326. — Praescriptio, 534, 543. — Possessor bonae fidei, 599, 600, 604, 607. — Thesaurus, 526. — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682. — Restitutionis ordo, 695, 697; restitutio ob fornicationem, 739; restitutio pro homicidio,

733. — Specificatio et commixtio, 550. — Testamentum. Eius conditiones, 846, 847. — Transactio, 962, 963. — Uxorum bona, 560. — Uxor contrahens, 773, 775. — Usura. Interesse ex interesse, 904. — Venditio, 781; obligationes venditoris et emptoris, 908, 936. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h.* — Vitia rei manifestanda, 910. — **Vol. II.** Religiosorum dominium, 111. — Vigebat cap. *Tametsi,* 1011.

Usura. An, vel quando prohibita, I, 893-899; tituli ab ea excusantes, 900; contractus usurarius a lege annullatus, 906 *b,* seq. V. *Mutuum.*

Uteri tumescentis ablatio indirecta, I, 403 *e,* seq.

Uterus. An eius carentia reddat feminam impotentem, II, 1032, *f.*

Uxor. Eius dominium, I, 505; furta, 560. — Uxor quoad contractus, 773-776. — Uxor quoad habitationem, II, 910-918.

V

Vagus, quoad leges, I, 79. — Quoad matrimonium, II, 1014-1017.

Vana observantia. Quale peccatum, I, 253 seq.

Vana usurpatio nominis Dei. An sit peccatum, vel quale, I, 293.

Vasectomia duplex. Quid sit, an licita, an inducat impedimentum dirimens, II, 1032 *h*-1032 *o.*

Vectigal, v. *Tributum.*

Venditio. Obligationes venditoris, I, 907 seq.; quoad iustum pretium, 916-920; 942 *a,* seq.; retrovenditionem, 945; venditionem sub hasta, 951-955; per monopolium, 958 seq.; quoad obligationem vitia rei manifestandi, 910. — Venditio rei furtivae in publico mercatu, 602 *a,* seq.

Venezolana Resp. **Vol. I.** Adultera se ipsam prodens, 749. — Cessio bonorum, 726. — Consuetudo, 138. — Depositum, 876. — Coniuges. Donatio inter ipsos, 845. — Donatio inter vivos, 802, 804; revocabilis, 807; mortis causa, 817. — Filii familias dominium, 498. — Interesse legale, 984. — Inventio, 521, 526. — Legatum sub conditione non nubendi, 787, 788. — Patria potestas agnoscitur in matre, 326. — Possessor bonae fidei, 599, 600, 607. — Praescriptio, 534, 543 — Restitutio ob damnum ab inferioribus illatum, 682. — Restitutionis ordo, 695, 697; restitutio ob fornicationem, 739. — Specificatio et commixtio, 550, 551. — Testamentum. Eius conditiones, 846. — Thesaurus, 526. — Uxor contrahens, 773. — Venditio. Obligationes venditoris et emptoris, 908, 936. — Vis et efficacia legum civilium, 761 *h.* — **Vol.** II. Religiosorum dominium, 111. — Vigebat cap. *Tametsi,* 1011.

Viaticum moribundis dandum, II, 302-311; an per fistulam suscipi possit, 307; an et quomodo amentibus conferendum, 277 *a-e.*

Virga divinatoria. An eius usus sit licitus, I, 269-270.

Vitia rei manifestanda in venditione, I, 910.

Vocatio ad statum religiosum, II, 74-90; ad ordines, 32.

Voluntarium indirectum, I, 7-11.

Votum, I, 307; obligatio, 312-318; commutatio, 337; dispensatio, 332-336; irritatio, 326-331. — Votum sollemne, an sit in Gallia, Belgio, Mexico, pro monialibus, II, 131; pro religiosis, ibid —Votum paupertatis, 96-106; castitatis, 117; oboedientiae, 120-124. — Votum ut impedimentum impediens matrimonium, 929; ut dirimens, 946. —Triennium votorum simplicium, 948.

LICENTIA ORDINIS

IMPRIMI POTEST

Raimundus Lloberola, S I.

Praep. Prov. Arag.

LICENTIA ORDINARII

NIHIL OBSTAT

EL CENSOR,

Fernando Fuster, S. I.

Barcelona, 19 de junio de 1920.

IMPRÍMASE

ENRIQUE, Obispo de Barcelona.

Por mandado de Su Excia. Ilma.,
el Obispo, mi Señor,

Dr. Juan M.ª Miñana,

Secretario.

SUBIRANA, Editor y Librero Pontificio. — BARCELONA

OBRAS DEL P. JUAN B. FERRERES, S. I.

ompendium Theologiae Moralis

AD NORMAM NOVISSIMI CODICIS, DISPOSITIONIBUS IURIS HISPANI AC LUSITANI, DECRETIS CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE NECNON I CONC. PPOV. MANILANI EARUMDEMQUE REGIONUM LEGIBUS PECULIARIBUS ETIAM CIVILIBUS ACCOMMODATUM. — EDITIO 11.ª, QUARTA POST CODICEM

Se han tenido presentes en esta nueva edición todas las declaraciones las Sagradas Congregaciones y especialmente de la Comisión Pontia encargada de la interpretación del Código; se han tratado en ella mayor extensión y diligencia muchos puntos que contienen doctrina acionada con el Código, y, en orden al derecho civil, no se ha omitido guna nueva sentencia del Tribunal Supremo ni ningún decreto que rezca ser conocido por los confesores.—*Dos tomos en 4.°, a pesetas 28 rústica y 33 en tela.*

Versión castellana del

Compendium Theologiae Moralis

Reclamada años hace con muy apremiantes instancias de personas orizadas, publicóse esta versión, y sirve especialmente para los que án poco versados en la lengua latina y para aquellos a quienes conga estudiar las materias de moral relacionadas con las cuestiones soles, económicas y científicas modernas que con tanta competencia y ensión trata aquí el P. Ferreres. — *Dos tomos en 4.°, a ptas. 30 en stica y 35 en tela.*

---

pítome del Compendio de Teología Moral

SEGÚN LA NORMA DEL NOVÍSIMO CÓDIGO CANÓNICO, ACOMODADO A LAS DISPOSICIONES DEL DERECHO ESPAÑOL Y PORTUGUÉS, LOS DECRETOS DEL CONCILIO PLENARIO DE LA AMÉRICA LATINA Y DEL CONCILIO PROVINCIAL DE MANILA Y AUN A LAS PECULIARES LEYES CIVILES DE AQUELLAS REGIONES

Con esta versión castellana del *Epítome* del P. Ferreres se consigue todas las facilidades deseables para el estudio de la Teología moral, ecialmente a los que no tengan gran dominio de la lengua latina y a seglares que se propongan estudiar con alguna amplitud la moral católi. De que es realmente útil esta edición castellana es testimonio la nde aceptación que va teniendo la obra apenas salida de las prensas. *Un volumen, impreso en papel indiano, a ptas. 10'50 en rica encuadernación de tela, y 10 en tela muy flexible, propio para bolsillo.*

ADDITIONES ET MUTATIONE

FACTAE IN NONA ET DECIMA EDITIONIBUS COMPENDII THEOLOGIAE MORALIS

Así como antes del Código, en cada nueva edición, publicábamo fascículo aparte todas las variaciones y añadiduras hechas en las ed nes anteriores, se imprimió también este opúsculo para los que pose primera y segunda edición *post Codicem.* — *A ptas. 2 en rústica.*

Brevis Tractatus de Novissima Bulla Cruciat

Fué publicado aparte este tratado para los que poseen antiguas ed nes del Gury-Ferreres.—*Un opúsculo, a ptas. 0'50 en rústica.*

La justicia, el derecho y los contrat

CONFORME A LOS PRINCIPIOS DE LA MORAL CATÓLICA Y A LOS CÓDIGOS CIVIL DE ESPAÑA, PORTUGAL Y DE LAS DIVERSAS NACIONES DE LA AMÉRICA LATI

Es un tomo de unas 380 págs., extractado del *Compendium* y des do especialmente a los seglares a quienes interese conocer sólidam los principios por que se rigen la justicia, el derecho y los contrato *Un tomo en 4.°, a ptas. 8'50 en rústica y 11 en tela.*

MACH-FERRERES **Nueva edición d**

TESORO DEL SACERDOT

O REPERTORIO DE LAS PRINCIPALES COSAS QUE HA DE SABER Y PRACTICAR EL SA DOTE PARA SANTIFICARSE A SÍ MISMO Y SANTIFICAR A LOS DEMÁS. DÉCIMOQ EDICIÓN, NOTABLEMENTE AUMENTADA Y CORREGIDA CON ARREGLO AL CÓDIGO C NICO, A LAS NUEVAS RÚBRICAS, TANTO DEL BREVIARIO COMO DEL MISAL, A LOS CIENTES DECRETOS DE LAS SAGRADAS CONGREGACIONES Y A LAS NUEVAS DIS CIONES DEL DERECHO CIVIL

Nada hay en esta edición que no se halle adaptado al derecho vig ni ninguna cuestión moderna se ha omitido que tenga relación con la teria del libro. Así esta pequeña *enciclopedia eclesiástica* continuará tando grandísimas utilidades a los sacerdotes. Para una gran multitu cuestiones y de consultas en materias ministeriales, así para el culto d como para sus deberes pastorales, y aun para la vida privada, hal aquí soluciones acertadas y seguras. Esta edición lleva un comen muy completo de las nuevas Rúbricas del Misal. La obra está adopta muchos Seminarios como texto de Liturgia, Oratoria y Teología past — *Dos tomos en 4.°, a ptas. 26 en rústica y 31 en tela y dorados.*

Precios de las obras anunciadas en el volume

DERECHO SACRAMENTAL Y PENAL ESPECIAL
Un tomo en 4.°, a pesetas 10 en rústica y 12'50 en

INSTITUCIONES CANÓNICAS
Dos tomos en 4.°, a pesetas 20 en rústica y 25 en

INSTITUTIONES CANONICAE
Dos tomos en 4.°, a 17 pesetas en rústica y 22 en

EPITOME COMPENDII THEOLOGIAE MORALIS
Un tomo de bolsillo, nítidamente impreso, a pesetas 6'50 en

239.6
F414

3649

FERRERES - GURY

AUTHOR

Casus Conscientiae

TITLE

Vol. II

DATE LOANED

[redacted]

OOM
MBER

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

3649